BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO
UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE
UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia
FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

PONTANO GIACOMO, *Progymnasmatum Latinitatis, sive dialogorum. Volumen I. Cum annotationibus. De rebus literariis. Editio decimasettima. Accessit ex codice Augustano de scholasticorum, aliorumque ridiculis farrago, eodem interprete*, Trento, Santo Zanetti, 1642.

Esemplare digitalizzato:
Trento, Biblioteca comunale, TT I k 101

LINK: https://bdt.bibcom.trento.it/156

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA
progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro ("Bando Archivi 2014"), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell'Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l'University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All'interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l'Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell'edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation ("Bando Archivi 2014"), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.


The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

TT
k
116

1642

TRENTO




K 364303
D 364244

Stcg
TT I k 101

# IACOBI PONTANI
## DE SOCIETATE IESV,

*Progymnaſmatum Latinitatis, ſiue Dialogorum.*

# VOLVMEN I.

*Cum Annotationibus.*

## DE REBVS LITERARIIS.

Editio decimaſettima.

*Acceſſit ex Codice Auguſtano de Scholaſticorum, aliorúmque ridiculis Farrago, eodem interprete.*

HABEMVS OPE-




Ego Joannes Matthias Conser

uenit Posthorsd Lucius Pontani à me empti Anno 1693

TRIDENTI, ex Typog. Epiſc. Sancti Zanetti,

*De Conſenſu Superiorum.* 1652.

# GENEROSO ATQVE OMNIBVS REBVS ORNATISSIMO ADOLESCENTI,

GEORGIO FVGGERO, IACOBI F. BAroni in Kirchberg & Vueissenhorn,

IACOBVS PONTANVS de Societate Iesu.

S. P. D.

QVoniam inueterata, eademq; laudabilis eruditorum consuetudo me hortabatur, vt postea, quàm primo meorum progymnasmatum, dialogorumque volumini summum fastigium imposuissem, deliberarem mecum, cuinam in aliquo dignitatis & excellentiæ gradu locato, idipsum inscribere ac donare potissimum oporteret, eam omnem deliberationem ab illustri adolescentia tua incisam, planè, ac sublatam gaudeo, vehementerq; lætor. Etenim adeò multa, mi-

nimeque leuia rationum momenta, cur ſub tuo nomine hoc vigiliarum meārum opuſculum, & hunc primum perquam mediocris ingenij mei partum in vulgus exire ſinerem, etiam nil tale voluntati occurrerunt, vt niſi ore ſim duriſſimo, animoque longè ingratiſſimo, ad alium præter te, quātumuis omni genere nobilitatis eminentiſſimum, deferre illum neutiquam poſſim. Nam ſi quis vnquam in ampliſſima familia natus, proba & præclara mentis indole auctus, domeſticis virtutum exēplis abundans, aliquo coniunctionis vinculo cum altero colligatus: poſtremò, ſi quis adhuc extitit, qui iure ſuo ab alijs multa exigeret, cuncta hæc in te vnum donfluxerunt. Quanquam enim nondum permiſſa tibi liberius, ac tuo arbitratu viuendi poteſtate, apud familiam

miliam noſtram beneficia ponere hactenus non potueris, tamen haud parum iam in nos tuæ voluntatis contuliſti, tuamque erga Collegium noſtrum propenſionem ſatis declarauiſti. Et meruerunt quàm optimè de nobis parentes tui : meruerunt aui tui: meruerunt ambæ. Fuggerorum nimirum, Ilſungorumque domus, vnde tu paternam, & maternam originem ducis. Quibus vniuerſis atque ſingulis cùm pro amoris magnitudine, meritorum verò etiam multitudine pares agere gratias (quid enim dicam referre?) nequeamus, quis tandem eſt, qui non intelligat, eorum nos, minoribus in omne conſequentis æui ſpatium teneri obſtrictos? Deinde in noſtram diſciplinam traditus es à patre, & traditus ex florentiſſima gente veſtra primus ante omnes: certè

quidem in hac vrbe ac patria tua: magnumq; Gymnasio Societatis ornamentum addidisti, quando inter condiscipulos, quorum per multi nobiles, ac patritij, velut quoddam lumen præfulges. Iam qui nescit, quàm sancta inter Præceptores & discipulos, quàm coniuncta necessitudo intercedat, is se non plus cernere quàm pecudē fateatur necesse est. In parentum loco Magistri sunt colēdi, & qui ab ijs erudiuntur, vicissim in filiorum loco diligendi. At tu curæ nostræ, & institutioni commendatus, non vnum sed multos patres inueneristi: si quidem nos omnes, quibus docendæ iuuentutis est mandata prouincia, ingenium tuum præceptis vtilissimis, & saluberrimis fingere percupimus, & tanquam filium certatim amamus, atque in oculis ferimus: in spem certam ingredientes,

dientes, te crescentibus annis per semitam à maioribus tuis prius calcatam incessurum, in eorumque mores & instituta abiturum, qui semper optimarum artium cognitionem cum maximis, clarissimisq; virtutibus copulauerunt: ac proinde tantum sibi, posteritatiq; suæ amplitudinem pepererunt, vt omnium pęne gentium oras nominis vestri gloria famaque peragrauerit. Quid vtroque auo tuo ad opinionis celebritatem commendatius? aut quibus aliquando ciuibus fortunatior fuit hæc tam prædicata, vereq; augusta ciuitas? Paternus quidem Antonius Fuggerus, cùm esset à potentissimis Principibus ad amicissimorum numerum adscriptus, copijs omnibus circumflueret, nihilominus tanta moderatione, tanta modestia in illa sua felicitate enituit,

quanta etiam nunc hominum ſermonibus crebrò vſurpatur. Quis eodem aut fuit, aut eſſe debuit, prudentia, liberalitate, iuſtitia, conſtantia, aut vllo demum genere laudis præſtantior? Maternus autem, Georgius Ilſungus, Eques auratus, Sueuiæ Prefectus & quatuor Imperatorum Conſiliarius, quo ardore, qua animi excelſitate præſtitit in propugnando pro religione Catholica? Quanta eius apud Principes exiſtimatio, & auctoritas? Quam magnas ille res, quanta cum prouidentia procurauit? quæ morum in illo integritas? quæ humanarum rerum deſpicientia? In noſtram porrò Societatem quantam beneuolentiam nauauerit, quibus eam officijs coluerit, dictu eſt per difficile. Cuius erga nos tam incenſi amoris hæredem & ſucceſſorem, experti iam ſæpe didici-

mus

mus quem reliquerit: Annam videlicet filiam ſuam, matrem tuam, præſtanti religione erga Deũ, commemorabili beneficentia in egentes, eximia humanitate in omnes, ſpectatiſſimam, deniq; atq; optimam feminam. Sed ad clariſſimum patrem tuum feſtinat oratio, cuius laudes, quas ex ſinceriſſimo numinis cultu, & ex amore, ac veneratione Eccleſiæ Catholicæ, ſacrisq; ædibus omni magnificentia exorandis, & alijs præterea rectè factis capit egregias, hoc maiori tibi ſunt ornamento, quò tu illi, & ille tibi eſt, ſanguinis neceſſitate coniunctior. Declarauit is non Auguſtæ ſolùm, verùm etiam Landſpergæ, & alibi, quem erga nos animum gereret: nec id verbis tãtùm honorificis, verùm etiam donationibus ijſdem creberrimis, ijſdem ampliſſimis; quam nos liberalitatem

cole-

colemus, vti par eſt, memoria ſempiterna. At enim non eſt in præſentia mihi decretum generis tui panegyrim contexere, cui par nulla poteſt reperiri laudatio: illud tantummodo carptim demonſtrandum putaui, quale tibi à parentibus & maioribus relictum ſit ad virtutis decus inuitamentum. Ac nulla ſanè præcepta ad ſolidum, verumq; honorem adipiſcendum æquè valent, vt patrum facinora pulcherrima ante oculos nepotum obuerſantia: quorum vitia & peccata tanto notiora euadunt, quanto ipſorum parentes, & aui in maiore claritate vixerunt. Quemadmodum ſcilicet in puriſſimo fonte, & in lucidiſſimo ſpeculo minutæ ſordes atq; maculæ faciliùs conſpiciuntur. Tu verò GEORGI, à paruulo educatus es diligentius, quàm vt hoc tantum malum de te pertimeſ-

timescendum videatur. Huc accedit, quod nec oris tui dignitas, & egregia totius corporis conformatio, quæ plerumq; futuræ probitatis indicium est, nec perspecta nobis iam pridem indoles tua tale quidquam timere nos patitur. Suscipies igitur hanc primam partem lucubrationum mearum, tibi multò antè desponsam, & ea ad vtilitatis tuæ fructum aliquem vtere; vt nostris legendis sermonem tuum cultiorem, pleniorem q; afficias: & eadem opera ad doctrinam accessionē qualem qualem adiungas. Quod vt tu, tecum q; adolescentes, qui ad Humanitatem informantur, possetis, si minus sum consecutus, omni tamen contentione, vt consequerer, mihi est elaboratum. Quemadmodum autem parens tuus literas ac literatos, virtuteq; condecoratos homines omni gratia,

officio

officio, charitate ſemper adhuc complexus eſt, & complecti perſeuerat; ſic tu, vbi maturior ætas virum te reddiderit, eorundem eſto præſidium atq; perfugium: nec pura vſpiam melius te collocare beneficia. Nam vt de cęleſti remuneratione taceam, illi maximè ſcriptis ſuis immortalibus nomẽ tuum ab obliuione & ſilentio vindicabunt. Vale. E. Collegio Societatis Iesu, Auguſtæ, Kal. Decembr. Anno Domini M. D. LXXXVII.

---

IN GENEROSVM ADOLESCENTEM
GEORGIVM FVGGERVM,
Epigramma.

*CVM te ſpectarent Iuuenem, Fors, Gloria. Virtus.*
*Pædua, has inter lis fuit orta Deas*
*Hic meus eſt. Virtus: meus eſt hic. Gloria dixit:*
*Pædua eſſe ſuum, Fors ait eſſe ſuum.*
*Audiuit, magnámq; volens componere pugnam:*
*Addidit Aſtripotens: Cuiq; quod optat, erit.*

Matthæus Raderus.

INDEX

# INDEX
# PROGYMNASMATVM
## PRIMI VOLVMINIS.


| | | pag. |
|---|---|---|
| 1. | Deductio pueri ad Magistrum, & primum examen. | |
| 2. | Consimile argumentum. | 10 |
| 3. | Euntes in ludum. | 17 |
| 4. | Tardè ludum petentes. | 21 |
| 5. | Redeuntes à Gymnasio. | 24 |
| 9. | Excusatio absentiæ. | 32 |
| 7. | Calami apparatio. | 37 |
| 8. | Elementorum conformatio. | 41 |
| 9. | Eiusdem materiæ. | 43 |
| 10. | Orthographia. | 48 |
| 11. | Dimissio improuisa. | 51 |
| 12. | Serus in ludum aduentus. | 53 |
| 13. | Silentium & attentio. | 57 |
| 14. | Suggestio. | 61 |
| 15. | Absentes. | 63 |
| 16. | Accusationes. | 67 |
| 17. | Petitio lusus. | 72 |
| 18. | Idem argumentum. | 77 |
| 19. | Ludus ex pacto concessus. | 82 |
| 20. | Nox transacta. | 87 |
| 21. | Virgæ. | 93 |
| 22. | Colloquium in schola. | 97 |
| 23. | Arma scholastica. | 99 |


24. In-

24. *Innitatio Magistri.* 104
25. *Ludimagister defensus.* 108
26. *Dies remissionis.* 111
27. *Emendatio scriptionis.* 115
28. *Diuersarum scriptionum emendatio.* 122
29. *Leges.* 131
30. *Ascensus.* 139
31. *Præmia.* 144
32. *Repulsam passi.* 148
38. *Vacationes.* 159
34. *Studium in Siluis ac nemoribus.* 167
35. *Mutuatio calami.* 172
36. *Frustratio petiti atramenti.* 173
27. *Ludendi potestas recusata.* 175
38. *Comparatio nominum, verborúmque coniugatio.* 177
39. *Explicationum repetendarum ratio.* 180
40. *Dicta altera.* 181
41. *Interrogationes variæ.* 183
42. *Amissus & promissus liber.* 185
43. *Auxilium & consilium.* 187
44. *Chartæ in membrana insutæ.* 190
45. *Nomenclatura.* 192
46. *Iterum Nomenclatura.* 196
47. *Exercitationes.* 198
48. *Temeraria suspicio.* 201
49. *Astutia puerilis.* 203
50. *Somnus in gymnasio.* 205
51. *Spes & metus ob certamen scholasticum.* 207
52. *Litigium.* 209

53. Simplicitas, & lentitudo Magistri. 211
54. Hora productæ. 214
55. Pecunia vtiliter collocata. 216
56. Virtus in teneris. 218
57. Præceptor honesta imperat. 221
58. Pueri multandi verberibus. 225
59. Literæ Bellerophontis. 230
60. Minæ. 233
61. Recitatio. 234
62. Repetitio. 236
63. Disputatio. 239
64. Concertatio scriptionis. 241
65. Examen. 246
66. Auditiones. 249
67. Industria discendi. 252
68. Pensum diurnum. 257
69. Obseruator. 262
70. Formulæ petendarum facultatum. 264
71. Certamen copiæ. 266
72. Cantus musicus. 279
73. Græcæ literæ. 289
74. Bibliotheca. 290
75. Descriptio gymnasii. 296
76. Pædagogi. 299
77. Præceptores. 304
78. Auctores scholastici. 309
79. Formulæ salutandi atq; valedicendi in congressionibus atque literis. 312
80. Cupiditas proficiendi. 319
81. Munditia librorum. 322

82. *Academiæ.* 324
83. *Honores Academici.* 328
84. *Depositio.* 334
85. *Actio Latinitatis.* 341
86. *Litera Pythagoræ, seu bivium Herculis.* 352
87. *Laudatio eruditionis.* 372
88. *Studia politioris Humanitatis.* 384
89. *M. T. Cicero.* 395
90. *Epistolæ M. Tullij.* 413
91. *Rhetorica M. Tullij.* 417
92. *Orationes M. Tullij.* 427
93. *Philosophica M. Tullij.* 437
94. *Tres linguæ principes.* 444
95. *Hebræa lingua.* 448
96. *Græca lingua.* 451
97. *Latina lingua.* 455
98. *Solutæ pedestrisq; scriptionis varietas.* 458
99. *Poëticæ scriptionis varietas.* 464
100. *Actio scenica.* 471

---

## *APPROBATIO.*

HIc Progymnasmatum primus liber R.P. Iacobi Pontani, è Societate Iesv, Politioris literaturæ Studiosis vtilissimus est, eò quòd & Doctrinam singularem ad formanda Christianæ iuuentutis ingenia contineat, & de moribus grauem admodum disciplinam complectatur. Typis proinde mandatum publicari debere iudicaui.

*Petrus Steuartius Leod. Colleg. Theolo. hoc tempore Decani Vicarius.*

PRO-

# PROGYMNASMATVM LATINITATIS, SIVE DIALOGORVM.

VOLVMEN PRIMVM.

## PROGYMNASMA SIVE DIALOGVS PRIMVS.

### Deductio pueri ad Magistrum, & primum examen.

*PATER, MAGISTER, PVER.*

PATER. Salute plurima doctorem te literarum impertio. M. Habeo gratiam, vir optime. Quid est negotij, quamobrem me velis? P. Si non grauaberis paruam dare operam mihi, paucis exequar qua caussa ad te accesserim. M. Aduerto animum. P. Ego germani patris officium secutus, paruulum hunc, quem cernis, filium meum honestissimis doctrinarum studijs, & virtuti à primordio ætatis deditum esse nimium quantum cupio. M. Laudabilis, & iustissimo atque præclarissimo desiderio incensa voluntas: quam primùm enim, &

quàm diutissimè discendum sapientes prædicant, quod nunquam perdiscitur, & proficit in perpetuũ. Præterea multum refert, quibus odoribus testa recens imbuatur. P. Est verò ita vt dicis. Hunc igitur puerum (quod mihi, familięq; meę feliciter eueniat) tibi in manum do, tibi committo, tuæq; mando fidei. Natura ego sum, amore, cura & sollicitudine tu illi pater esto. Tua institutione, ac disciplina probitatẽ, & intelligẽtiam rerum (quanta quidem in istam teneritudinẽ cadit) adipiscatur. M. Certè quidẽ haud repugnãter in album discipulorum ipsum retulero, si vt est in more positum, ingeniolum eius, atq; progressum, quẽ in litteris hactenus effecit, periclitatus antè fuero. P. Teneas licet sollemne tuũ, & exquiras quodcunque tibi exquisito opus videbitur. M. Age, mi fili, edenomen tuum. P. V. Mihi nomen est Iacobus. M. Quotum agitas annum? PV. Hic, opinor, nonus incipit. M. Elementa conformare nostin'? PV. Maximè: quanquã haud venustissimè. M. Quid? rudimenta Gramaticæ nũ doctè calles? etenim in hoc meo gymnasio illa non traduntur: instructum ab ijs venire ad me audiendum oportet. PV. Spero mẽ scientia comprehendisse illas præceptiones, quantum potuerim. M. Cuius autem Gramatici erant illa tua rudimenta? PV. Emanuelis Aluari Lusitani. M. Emanuelis? Visne explorẽ quàm studiosè didiceris? PV. Explora, si placet. M. Cedò, inflexiones nominum quot sunt? PV. Quinque. M. Hæc vox, sensus, quota declinatione continetur? PV. Quarta. M. Quo casu effertur? PV. Nominandi, generandi, vocandi singulari:

lari:& rursum nominandi, accusandi, vocandi multitudinis numero. M. Bonus, cuius generis? PV. Masculini M. Certúmne istud habes? PV. Certissimum. M. Eius fœmininum? PV. Bona. M. Neutrũ? PV. Bonum. M. Da comparatinũ,& superlatiuum? PV. Melior, optimus. M. Cur non dicis, bonior: boniſſimus: perinde vt doctior, doctissimus? PV. Dicerem verò, nisi esset anomalum, siue inæquale, vt illa quoque: malus, peior, pessimus: paruus, minor, minimus. M. Probè respondet adolescentulus. De hinc Pronominis definitionem recita. PV. Quod loco nominis positum, certam, finitamq; personam adsignificat. M. An emendatè sic loquemur: saluũ te aduenire gaudemus? PV. Prorsus emendatè. M. Vndenam hoc intelligis? PV. Ex regula IV. M. Audiamus. PV. Verbũ personale infiniti modi, postulat ante se accusandi casum. M. Pernosco,& demiror egregiam, singularemq; diligentiã tuam. Hanc si in posterum similiter ad discendum attuleris (quod te facturum esse, mihi quidem dubitare in mentem non venit) promitto, ac recipio huic parenti tuo, te hominem eruditissimum venientibus annis euasurum. P. Diligentiam quidem pueri in spe optima ponat Magister. Ego item, quò minus illi cessare, & socordia, atq; desidia bonum otium conterere sit integrum, curabo sedulò. PV. Ignauus non ero. M. Macte indole, sic facies, mi Iacobe,& cras postquã luxerit, cum libellis tuis, armisq; scholasticis ad sextam in ludum hunc meũ itare, Diuis bene iuuãtibus, occipies. Tu interim filium reduces domum: quẽ propter ingenij bonita-

tem, & quàm facilè perſpicio, naturæ præſtantiam multò commendatiſſimum nobiſ, chariſſimumque fore credas velim. P. Liberalis iſta, & humanitatis plena pollicitatio, vir doctiſſime, omnibus neceſſitudinibus me tibi obſtringit. Bene vale. M. Et tu.

## ANNOTATIONES.

PRogymnaſma, ſiue Dialogus) *Qui tirones ſuos ciendis belli ſimulachris ſeu ludicris quibuſdã certaminibus & umbratilibus pugnis ad ſerios conflictus, atq; ad vera prælia ineunda prius exercent, ac præparant: quiq; aliis in rebus & artibus idem faciunt,* προγυμνάσται. *& antecedentes illæ, primæq; exercitationes* προγυμνάσματα *dicuntur, verbum è verbo præexercitationes, præexercitamenta. Poſſis etiam proluſiones appellare. Ego itaq;, cùm iam inde vſq; ab initio laboris mei progymnaſten me eſſe optauerim, & ſtuduerim, hoc eſt adoleſcentes. Humanitatis alumnos latinæ linguæ myſteriis initiare, & ad eius in omni vita vſum veluti bellicis quibuſdam concurſionibus præparationem ipſis adhibere contẽderim, nõ incommodè videbor hoc quidquid eſt, qualecunque eſt ſcriptorum meorum, nominaſſe Progymnaſmata. Quoniam autem in hoc genere ſcripturæ Dialogorum contritiſſima eſt appellatio, nec nos eam repudiamus.* Doctorem literarum) *Magiſtros Grammaticæ nitidius, & honoratius ita vocabimus, voce nimirum generali, reſpicientes ipſum nomen artis, quod à literis ductum eſt:* ἀπὸ τῶν γραμμάτων *quippe* γραμματικὸν, *& pro Grammaticis dicti ſunt literatores; vt Sylla quidam apud Catullum. Et Sueton. de illuſt.*

*Gram-*

*Grammat. Appellatio Grammaticorum Græca consuetudine inualuit, sed initiò literati vocabantur. Eodem respexisse apparet M. Tullium 1. de Orat. Quis musicis, inquit, quis huic studio literarum, quod profitentur ij, qui Grammatici vocantur, &c. studium literarum nominat Grammaticam. Idem aliàs cùm de Grammaticæ rebus loquitur, literas vocare solet. De Orat. 3. scribit literas ab Aristophane tractatas fuisse. De Seruio Sulpitio in Bruto. Sed adiunxit etiam & literarum scientiam, & loquendi elegantiam. In Pisonem. Quid nunc te, asine, literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam qua sum amictus: nec arma, scutum, aut gladium, & quæ sequuntur. Qui in Academijs hanc scientiam profitentur, latinæ linguæ Professores audire volunt, & ipsi hoc se nomine afficiũt. Id neque falsò, quod omnes vident, neq; iniustè, quando Grammatici nomen hoc sæculo vilescit, ac despicitur. Et Seneca Epistola XCV. custodes latinitatis nuncupat.*

A Primordio ætatis) *Propert. lib. 3 eleg. 4.*

*Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,*
*Musarumq; choris implicuisse manus.*

*Sunt eadem huic: Ab adolescentulo, ab adolescentulis, ab ineunte, à prima adolescentia, ab ineunte, à prima ætate, ab initio ætatis, à primis temporibus ætatis, à puero, à pueritia, à parulo, à puero paruulo, à pusillo, à pauxillo puero, à tenero, à teneris, à teneris vnguiculis, de tenero vngue Horat. quod Græci ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων.*

Nimium quantum cupio) *Immane quantum, nimium quantum, non aliud sibi volunt, quam illa, summope-*

moperè, mirificè, valde, maiorem in modum, & similia. Græci θαυμαστὸν ὅσον, ἀμήχανον ὅσον, &c. mirabile quantum, seu, mirabile admodum, difficile quantum, seu difficillimum, seu valde difficile. Cicer. in Orat. Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo mirum quantum valent. Sallust. apud Nonium. Immane quantum animi exarserunt. Horat. Ode 27. lib. 1. Vino & lucernis Medus acinaces. Immane quantum discrepat. Quam diutissimè) Tamdiu immorandum in studijs liberalibus suadet Seneca, quandiu melius agere animus nihil potest. Et tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si prouerbio credimus, quamdiu viuas, epist. 76. Idem de philosophia. quæ laudatorum artium fons & parens est, epist. 72. cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi à pueritia vsque ad longissimos humani æui terminos vita protendatur. Quibus odoribus testa) Horat. epist. 2. lib. 2. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Quo carmine quàm nihil verius, tam nihil pernulgatius, Geminum huic est, quod legitur in 3. de Finibus de filio Luculli puero. Sed infici tamen debet ijs artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. Et quod ex eiusdem Hortensio producit Nonius]. Vt qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic literis talibusq; doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendum imbui ac præparari decet. Aristot. 2. de moribus. ἀ μικρὸν διαφέρει τὸ ἔτως ἢ ἔτως ἐθίζεσθαι ἐκ νέων ἀλλὰ παμπολύ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. Non parum refert, sed permultum, vtrum sic, an sic à pueris assuescamus.

mus: immò verò totum in eo positum est. Addamus & Fabium. Natura, inquit, tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: vt sapor quo noua imbuas durat: nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. lib. 1. cap. 1. Huc pertinent canes Lycurgi, dissimili ratione educati Plutarch. de liberis educand. Quod mihi familiæque) Cicer. 1. de Diuinat. Neq; solùm deorum voces Pythagorei obseruabant, sed etiam hominum quæ vocant omina, quæ maiores nostri, quia valere credebant, idcirco omnibus rebus agendis: Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit præfabantur. Varro lib. 5. de lingua Latin. Vbi noctis in templum censura auspicatur, atq; de cælo nuntiatum erit: præconi sic imperato, vt viros vocet. Quod bonum, fortunatum, felix, salutareq; sit populo Romano Quiritium, Reiq; publicæ populi Romani Quiritium, mihiq;, collegæq; meo, fidei, magistratuiq; nostro, &c. Liuius lib. 1. Quod bonum, faustum, felixq; sit, inquit, Quirites regem create. Idem. Quod bonum, faustum, felixq; sit populo Romano ac mihi vobisque Albani. Talia sunt apud Plautū. Aulul. Dij bene vortant. Ibidem. Quæ res bene vortat mihiq;, tibiq; tuæq; filiæ. Et Capt. Quæ res bene vortat mihique, meoque filio, vobisque. Et Trin. Vxor venerare, vt nobis hæc habitatio bona, fausta, felix, fortunataq; eueniat. Virgil. eclog. 9. Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos. Liuius l. 1. Quod bene vertat, castra Albanos Romanis iungere iubet. Cicer. pro Muræna. Idem ego precatus sim, vt ea res fauste, feliciter, prospereq; eueniret. Fuit & hæc apud veteres præfandi ratio, θεὸς, θεός, vt ex

Pausania recit. ac Rhodig. lib. 1. cap. 2. Solemne tuum) Tenere, seruare solemne suum, est tenere institutum ac morem suum. Cicer. ad Attic. lib. 7. epist. 6. Tantum igitur nostrum illud solemne seruemus, vt ne quem istuc euntem sine literis dimittamus. Mihi nomen est Iabus) Quatuor modis priscos Latinos in proprio nomine indicado vsos inuenio. Dicebant enim. Est mihi, est illi nomẽ Fabius, Fabij, Fabio. Qui quidem tres modi in vulgus noti sunt satis, quartus non æquè, accusandi casu nimirum. Liuius l. 1. cui parẽtes Ascanium dixêre nomen. Eodem libro Lucium Tarquinium Priscum edidêre nomẽ. Gellius quoq; l. 15. c. 29. fatetur hanc nouam figuram esse, adducitq; ex annalibus Pisonis hoc exemplum. L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuêre: eumq; orat, vti sua voluntate Romam contendat. Hoc perinde est, inquit, tanquam si ego dicã mihi nomen est Iuliũ. Virg. 3. Æneid. Æneadasq; meo nomen de nomine fingo. Quasi dixerit: impono illis nomen Æneadas. Seruilius in 1. Æneid. Dicim⁹ est mihi nomẽ Cicero, Ciceronis, Ciceroni, Ciceronianum. Quotũ agitas annum?) Verbum agitare, Sallustius in ore habet quàm sapissimè. Vita hominum sine cupiditate agitabatur. Agitabatur magis magisq; in dies animus ferox. Beneficijs magis quàm metu imperium agitabant. Gaudium atq; lætitia agitabant. Multa agitanti nihil processit. Rempub. agitauêre. Cùm præcepta patris mei agitarem. Quæ mẽte agitaui. In hoc meo gymnasio) Loca in quibus nudi luctarentur, seseq; exercerent, dicta sunt gymnasia, παρὰ τὸ γυμνάζω nudo. Ipsa exercitatio palæstra. Placuerũt deinde illa loca philosophis, in quib.

disput-

disputationes suas habere cœperunt, quod etiam 2. de Orat. testatus est Cicero. Nunc pro quibuscumq; locis ad docendas literas destinatis ista vox capitur. Venientibus Annis ) Horat. ad Pison. Multa ferunt anni venientes commoda secum. Multa recedentes adimunt. Veniunt anni dum ad annum iuuenile viuendo progredimur: recedunt dum ad senectutem tendimus. Seu, anni venientes sunt ab infantibus vsq; ad mediam, & virilem ætatem: recedentes, à virili ætate ad sepulchrum. Quo minus illi cessare) Cic. 1. de nat. Deor. Profectò Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri, etiam cùm cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur. Postquam luxerit) Simul atq; cælum albescere cœperit, seu, vt Cæsar. 1. de bello ciuili, albente cælo, & lib. 4. de bello Gall. orta luce. Cùm primùm dies orta fuerit. Primùm aurora noua cùm spargit lumine terras. Cùm sol ortus sua luce conuestit, ac perfundit omnia. Dum rosea face sol inferret lumina cælo: quæ sunt Lucretij. Cum prima luce, diluculo, primo diluculo. Hæc omnia volunt, lucere: diem, inquam, ac lucem esse. Cic. pro Sex. Roscio. Occisus est à cœna rediens. Nondum lucebat, cùm Ameriæ scitum est. De Diuinat. lib. 2. Vbi lucere cœpisset. Epist. 4. lib. 15. expedito exercitu ita noctu iter feci, vt ad 3. id Octob. cùm lucesceret, in Amanum ascenderem: Catull. ad Calum. Nam si luxerit, ad librariorum Curram scrinia. Plautus Milite. Priusquam lucet assunt. Apud hunc, & Terentium crebrò legas, lucet hoc, lucescit hoc: subaudiendum cælum, aut interuallum, quod inter cæleſtes orbes, terrarúmque

sola

*sola interiectum est, quod digito videntur ostendisse: vt proinde illud, hoc, δεικτικῶς accipiatur.* Diuis bene iuuantibus) *Liuianum. Ennius dicit: cum magnis dijs volentibus. Profert Cicer. 1. de Offic. Sic Plaut. Persa. Et Milite. Agite, ite, cum dijs beneuolentibus. Vulgaria sunt illa, Deo fauente, Deo annuente. Iacobus Apostolus cap. 4. Christianos bene ominari docet in hunc modum.* ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν, καὶ ποιήσομεν τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο. *Si Dominus voluerit, viuemus, & hoc aut illud faciemus. In Xenophonte ista passim occurrunt.* σὺν θεῷ, σωὶ τοῖς θεοῖς, ὦ θεὸς θέλῃ, θεῶν συνθελόντων, θεῶν ἑκόντων ὄντων, ὦ θεὸς μὴ βλάψῃ, εἰ ὁ θεὸς μὴ ἐναντιοῖτο.

# PROGYMNASMA SECVNDVM.

## Consimile argumentum.

### *MATER, PVER, LVDIMAGISTER.*

MATER. Narcissule, agedum, coopertus palliolo tuo actutum sequere me. P. Quò concessura es mater? M. In locum periucundum, perque amœnum, & salutarem. P. In hortum? M. Etiam, in hortum ibimus. P. Tollam ergo mecum corbulam meam ad poma & flosculos colligendos. M. Non opus istis corbulis ad hæc poma, atque ad istos flores, eius de quo loquor hortuli asportandos: moue te ocyus. P. Non intelligo, mater, quorsum

sum me ductura sis. M. In scholam ad Magistrum te ducam, ô fili: ibi latinitatis tirocinium pones, posteaquam intra domesticos parietes à pædagogo vsque ad hoc temporis legere, & formas literarum quoquo modo conscribere doctus es. P. Hei, nolo in scholam itare. M. Caue sis malam rem: debes velle quæ pater & ego volumus. P. Virgas pertimesco, quibus me Præceptor assiduissimè tacturus est. M. Ne timueris, mitissimus atque lenissimus homo est, puerosque dociles, ac dicto audientes amat vnicè: nec eos digito attingit. P. Missum me fac isto anno: insequenti quod constitutum habes transige. M. Opprime os, & sequere. P. Sequor. M. Hem, illæ sunt ędes, illic est Gymnasiũ, quò maturo pergere. At ipse Ludimagister eccum prodit foras. Cùm proximè accesserimus, primum nudato capite inflecte aliquantum genua: deinde dexteram manum tuam osculatus eidem porrige. Astabis autem solo fixos tenens oculos, & quàm modestissimè, placidissimeque ad interrogata respondebis. P. Vt iubes mater. L. Salue bona fœmina cum istoc paruulo tuo. M. Salue multùm vir literatissime. L. Tuáne isthæc soboles? M. Mea, Deo sint laudes, cui in acceptis refero. L. Quid venis? in meámne fidem ac potestatem permissura filiolum tuum? M. Ea propter huc me affero, mi Domine, & te per illos quos ipse genuisti liberos, rogo atque oro, institue mihi hunc puerum literarum atque morum præceptis, pro eo ac consueuisti diligenter. Pretium tibi largè cumulatéque persoluam: & ille qui omnibus

nibus omnia muneratur Christus, maioribus te præmijs in cœlo dignabitur. L. Ita spero quidem. Tibi autem affirmo me in isto puerulo informando nullam laboris partem prætermissurum. Hoc porrò fidelis, ac piæ matris est munus, quo tu perfungeris modo: optare scilicet & curare suos eruditi liberos: ne si manserint literarum imperiti atque rudes, haud minùs differant à doctis, quàm arbores infructiferę à fructiferis, equi indomiti à domitis, & à viuis mortui. Quî vocare? mi paruule. P. Narcissus. L. Conueniunt rebus nomina sæpu suis. Perquàm scitus puer natus est tibi, & præsagum ipsi nomen indidisti. Visura es aliquando hunc virtute, & sapientia florentissimum. Deum quæso, vt vitæ tuæ superstes sit. M. Ille idem faciat, vt huic formæ mores consimiles sint, aptæque membrorum compositioni & coloris suauitati præclara animi species olim, pulchritudoque respondeat. L. Iámne legere nôsti, Narcisse? P. Noui. L. Et ducere literas? P. Ita. L. Lege quod typis impressum cernis in hac paginula. P. *Cùm & contra voluntatem meam, & præter opinionem accidisset, vt mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset, ĩ multis & variis molestiis, legationibusq; meis hæc vna consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior.* L. Sufficit; perfectè legis. Libentérne frequentabis scholas? M. Permetuit virgas Domine, vt pueritiæ mos fert: alioqui non inuitus discit. Veruntamen in hoc metu illum esse haud inutile est. L. O Narcissule, habe bonum animum. Nisi fueris incredibiliter turbulentus &

seguis

segnis (quod minimè futurum credo) nihil graue patieris: sed primum apud me amicitiæ locum tenebis, disputatorum duces familiam; sedebis loco primario, & quàm sæpissimè brauio potière. Nec me defectura est pomorum, ficuum, amygdalorum, & sacchari copia, vnde crebra sedulitati tuæ dem munuscula. Tu matrona, cures licet ne domi nimium lusibus vacet inter coæuulos suos; néue mulierum ancillarum blandimentis abstrahatur à studijs. Prouideas ne absit à schola, nisi forsitan morbo teneatur. Progressus plurimùm impedit absentia. M. Scilicet ita res est. Satis contentè illum habebo: neque finam vt absit à gymnasio. M. Emes libellos illi ad hanc scholam necessarios, & in diebus paucis in ludum mittes. M. Etiam. L. Vale. M. Communis ille omnium magister & imperator Deus te nostræ iuuentutis moderatorem lectissimum, longissimo tempore viuum ac sospitem præstet.

## ANNOTATIONES.

*QVæsitum est à doctis quo tempore literis tradendus foret puer. Summus ille iuuentæ moderator Quintil. etiam ante septimum ætatis annum id fieri oportere censet. Cur, inquit, non pertineat ad literas, quæ ad mores iam pertinet? Chrysippus, vt idem scribit, cum nutricibus triennium daret, etiam tum ab illis infantiam optimis institutis informandam iudicauit. Lege cætera lib. 1. cap. 1. Alia ponitur quæstio, maiorène cum fructu intra parietes domesticos, an foris in schola, in celebritate coæuorum condiscipulorumq;*

rumq; erudiantur pueri. Complures, & sanè quàm idoneas rationes idem Quintil. affert. lib. 2. cap. 2. quamobrem publicè docendi videantur, & aliud sentientes refellit. Tertio loco quæri potest, ecquid extra fines patriæ institutionis causſa mittendi sint. Hac de re legendus Maphæus Vegius lib. 2. c. 3. Cuius præterea consilium est cap. 2. eiusdem libri, ne subitò multo discendi labore obruantur ingenia puerilia: quando nec aratores, nec equorum domitores id faciunt: illi dum iuuencos iugo, hi dum equulos fræno essuefaciunt. Eadem ante ipsum Quintil. cuius est illa omnibus notissima similitudo de vasculis anguſti oris, quæ superfusam humoris copiam restinguunt sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur. Præcipitur hoc quoque prudenter à Maphæo: ne Magistri pueros assiduò in scholis cùm cæteris morari cogant: sed spectatores magis, quàm discipulos esse patiantur. Sicut vinitores periti nouellas vites non solent multùm extendere, quò vinum proferant, donec in stirpem robustiorem succreuerint. Deniq; de officio Doctorum nec pauca, & perutilia disserit lib. 2. c. 7. 8. 9. 10. sparsim nonnulla etiam Quintil. lib. 1. & 2. Tacturus est) Quam Græci μείωσιν, & ἐλάττωσιν, Latini imminutionem, & extenuationem dixére: per quam se tetigisse aiunt, qui dicto factóue grauiter quempiam læserunt, aut durius etiam verberarunt. Terent. Eunuch. Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio. Id est, dicto aculeato vulnerauerim. Catull. velut prati Vltimus flos præterеunte postquam Tactus aratro est. Propertius libro 2. eleg. 34.

Me

*Me iuuet æternis positum languere corollis :*
*Quem tetigit iactu certus ad ossa Deus .*

*Vsurpatur, item tangere pro fallere, fraudare, circumuenire, decipere. Plaut. Epid. Istis adeò tetigit te triginta minis. Et Pseudol. Si neminem alium potero, tuum tangam patrem. Sic vsus est verbo, ferire, Terentius. Phorm: Geta ferietur alio munere.* Ea propter huc me affero) *Terentius Andr. Haud auspicatò huc me attuli. Id est, huc veni, huc accessi, hîc me stiti. Contrarium, auser te hinc, abi, discede. Cicer. ad Tiron. similiter locutus est. Vt te Leucadem deportares. Quomodo & Sophocles Antig.* σὺ μὲν χαμίζοις ἂν σεαυτὸν εἰδὶ-λὶς. Per illos quos ipse genuisti) *In obtestationibus, & obsecrationibus nominabant aut res magnas, aut ijs caras quos obsecrabant. Cic. pro Quin. Obsecrauit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius coniugem & liberos. Plaut. Capt. Per deos atq; homines ego te obsteor Hegio, Ne tu istunc hominem perduis. Ibid.*

*Hæc per dextram te dextra retinens manu*
*Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego sum tibi.*

Pretium tibi large) Δίδακτρον, *minerual. Largè autem, dignissimi enim bi operarij mercede sua. Sed reperiuntur quibus Magistri nimis grande minerual exigere videantur, quique mille denarijs mancipium, aut iumentum malint emere. Emant, & sibi habeant duo seu mancipia, seu iumenta, vt respondit Aristippus cuidam. Plutarch. de lib. ed.* Equi indomiti à domitis) *Aristippi est, qui præterea interroganti, quanam re melior esset euasurus filius, si eum instituendum literis*

*cura-*

curaret: *Vt nihil aliud, inquit, certè in theatro non sedebit lapis super lapidem. Quod sequitur de viuis & mortuis in dialogo, protulit Aristoteles.* Lege quod typis impressum) *Cum pueri docentur legere, audiendus est. Quintil. cuius hæc sunt verba. Incredibile est quantum moræ lectioni, festinatione adijciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio; plus quam possunt audientibus: deinde cùm errarunt, etiam ijs quæ iam sciunt diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas.* Familiam Duces) *Qui in re aliqua primam merentur laudem, primúmque locum obtinent, ij ducunt familiam. Tralatio ab his, qui quod potestate, aut honore, aut scientia præstant, cæteros ducunt, & comites habent. Mur. lib. 4. c. 17. Man. in Cic. ep. 5. lib. 17. Quint. lib. 1. c. 2. ducere classem. Cic. in Phil. ducere ordinem.* Pomorum, Ficuum) *De genere & inflexione vocabuli ficus, lege Vallam. l. 1. c. 4. Legitur etiam ficulus, pro fructu, apud Plaut. Sticho. Meminit huius moris Hor. sat. 1. l. 1.*

*--- vt pueris olim dant crustula blandi*
*Doctores, elementa velint vt discere prima.*

*Qui huiusmodi crusta & crustula parant, coqui & artifices crustarij & crustularij dicuntur,* Pasticcieri *Plato in 7. de Repub. non vi cogi pueros ad disciplinas, sed ludentes potius inuitari vult: vt appareat, ad quod quisque genus studiorum naturâ sit idoneus. Verum tamen non debent ijdem semper, & secundi quidem flare venti. Nunc pluit, & clara nunc Iupiter æthere fulget.* Mulierumque ancillarum) *Sallust. Iugurth.*

*gurth. Cùm interim Hiempſal reperitur, occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ. Omnis ancilla mulier, non quæuis mulier ancilla. Terent. And. Mirum verò, impudenter mulier ſi faciat meretrix. Plaut. Menæch. frater geminus. Pœn. Lapis ſilex. Cæſar lib. 3. de bello Gall. digitus pollex. Ibid. homo adoleſcentulus. Huiuſmodi apud claſſicos ſcriptores ſunt, terra Gallia, terra Italia, terra Græcia, terra Campania, & alia.* In diebus paucis) *Idem prorſus valent, in diebus paucis, paucis diebus, intra paucos dies. Terent. Andr. In diebus paucis, quibus hæc acta ſunt, vicina hæc moritur. Cic. epiſt. 7. lib. 1. Paucis enim diebus eram miſſurus tabellarios domeſticos. Catull.*

*Cœnabis bene mi Fabelle apud me*
*Paucis, ſi tibi Dij fauent, diebus.*

*Propert. lib. 2. eleg. 19.*

*Tu quoties aliquid conabere, vita memento*
*Venturum paucis me tibi luciferis.*

# PROGYMNASMA TERTIVM.

## Euntes in ludum.

### ANTONIVS, MARCELLVS.

ANTONIVS. Securúſne, & timore expeditus in phrontiſterium vadis Marcelle? M. Quid tibi iſta percunctatione vis? explicatum, non enim ſatis intelligo. A. Fabor ergo apertiùs. Contexuiſti

epistolam, quam à nobis hodie requiret Præceptor? M. Contexui, & descriptam porto mecum. A. Præcurrit alacritas tua meam tarditudinem. Quanquam haud ita pigritia me, vt chartæ penuria, qua premebar, remorata est, fecitque vt meam non totam describerim: serius quippe adeptus sum papyrum. M. Quid acturus, si poposcerit? A. Dum vestras emendat, interea quod reliquum est nullo negotio describam. Hoc concessurum mihi spes est: siquidem alijs aliâs concessit. M. Ostende sis tuam scriptionem. A. Hem. M. Quàm fœdè tu componis literas? gallinam scripsisse arbitror. Quàm item vacillant versus? A. Dummodo legi queat scriptura, parui duco tristia sint, an læta, pulchra visu, an deformia elementa: versus ad amussim nequeo dirigere, quantumuis coner. Atqui non tam valde vtraque laude mihi antestas, M. Iudicium cæci. A. Aliter doceat me Præceptor, si ipsi displiceo cum istis illepidis, inuenustisque characteribus. M. Abhorrent istæ partes ab eius munere. A. At vnde discam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es? M. Aliquem peritum adolescentem pacta pecunia conducant parentes tui, quem hanc ad rem magistrum capias. A. Attamẽ doctrina quoque spectati & clari homines plerumque inscitè, & indecorè efformant figuras istas. M. Dici aliter non potest: verùm non idcirco sunt docti: & tamen multi illorum decenter. A. Parentes mei (quod vitium senectus affert) attentiores sunt ad rem quàm sat est: defraudant genium suum: vereor vt illis persuadeam. M. Adhibe procura-

curatorem Magistrum, cuius vnum verbum huic plus valebit, quàm centum tua. A. Rogabo vt hanc mihi opellã surripiat. M. Cæterùm, quæ heri explicata sunt in Cicerone, si te fortè nominauerit, poterisné repetere? A. Nisi ipsemet opituletur, parum bene: oblitus enim sum quorundam, & quem domi interrogem, habeo præter parietes neminem. M. Hærenti subueniet: Ego insuper, quoad eius facere potuero, tibi opem feram. A. Mi optime Marcelle. M. Sponden'te mutuum esse facturum mecum, si in eodem luto hæsitauero? si necessitudo postulauerit? A. Spondeo firmiter. M. Salua res est.

## ANNOTATIONES.

TImore expeditus) *Quemadmodum apud probatos scriptores legimus curis expeditus & curis expeditis, curis solutus & solutis, soluere animum curæ, soluere curam, ita licebit dicamus, timore expeditus, timore expedito, &c. Possunt etiam pronomen accusandi casu, & præpositio interponi. Expedire se æthemnis expedire se ab occupationibus. Dicimus item expedire negotium, nodum, &c.* In Phrontisterium) *à verbo φροντίζω cogito, meditor, commentor, deflectitur, φροντιστηριον, locus ad commentandum, meditandum, cogitandum. Locus nempe, in quo cogitationes & sensa nostra explicamus, atque ad audientes proferimus. Accommodatur ad scholam: ibi siquidem Magistri discipulis sua, & auctorum quos interpretantur cogitata mentémque explanant. διδασκαλεῖον quoque dici potest, à docendo: διδάσκω namque*

est doceo. σχολὴ est otium & cessatio. Hinc schola, quòd à cæteris negotijs omnibus vacui atque liberi, in ea vnis tantùm studijs impertiri nos debeamus. Eodem vocabulo disputationes, & controuersiæ inter doctos agitatæ, & quæstionum denique non leuium tractationes significantur. Gellius cap. 26. lib. 1. diatribam nominat, græca item voce: ob studium scilicet, operámque liberalem, qua tempus discendo atque audiendo consumimus. Latinè auditorium, Sueton. Item ludus, quoniam generatim locus in quo quis exercetur, sic dicitur; Ludus gladiatorius, ludus musicus, ludus fidicinus, ludus palæstræ. Ac meritò quidem ludus, quando, vt 3. Off. Cicero ait, discendi voluptas potius est, quàm labor. Addimus interdum, literarius. Hinc ludum aperire. Cic. 1. Tusc. loquens de Dionysio: quod parum latinè quidam: professionem suscipere. Gallinam scripsisse) Plautus initio Pseud. huiuscemodi lepidas literas, lepida conscriptas manu irridens, inter cætera.

An obsecro hercle habent quoq; gallinæ manus?
Nam has quidem gallina scripsit

Vacillant versus) Quid hoc sit, sequentibus statim verbis de amussi declaratur. Cicer. epist. 15. l. 16. Accepi tuam epistolam vacillantibus literulis. Nec mirum tam graui morbo. Vacillare memoria, ad Atticum. Doctrina quoque clari) Vulgata ac propemodum vera opinio. Isthuc enim negotium illi ἀτιμώτατοις ὀφρυδάρταις, quemadmodum Anacreon Polycrati Samiorum tyranno quinque talenta, quibus ab eo donatus fuerat, & ob quæ duabus noctibus somno caruerat, restituens dixisse fertur, Theodosium minorem, Arcadij

F. iam

*F. iam ad clauum sedentem Nicephorus cap. 3. lib. 14. describendis libris mirè delectatum, & καλλιγραφώτατον, multaq; eius manu exarata ad suam ætatem permansisse, potuisseq; ipsum ea scientia vitæ sumptum tolerare commemorat.* Quod vitium senectus) *Tenacitas, & auaritia senum, effusio iuuenum est. Illi quærunt, & inuentis miseri abstinent, ac timent vti; quoq; minus restat vitæ, eò plus corradunt viatici. Nihil absurdius. Hi vtilium tardi prouisores, prodigi æris, vt inquit ad Pisones Horatius.* Necessitudo postulauerit) *Necessitas & necessitudo, sicut suauitas & suauitudo, sanctitas & sanctitudo idem sunt, & vtraq; vox coniunctionem beneuolentiæ seu familiariorem amicitiam, consanguinitatem, & id quod necessum est significat, Gell. lib. 13. c. 3. apud Sallustium quidem posterius frequenter sanè. Vide insuper Manut. in ep. vlt. lib. 2.*

# PROGYMNASMA QVARTVM.

## Tardè ludum petentes.

*EMMANVEL, EVSTACHIVS.*

EMMANVEL. Saluus sis Eustachi. Eu. O salue Emmanuel. Quò ire intendis? EM. In scholam. Quò te pedes? EV. Eòdem. EM. Vbi libri? vbi atramentarium? EV. Sub pallio & axilla gestito. EM. Audiuistin' primam? EV. Pridem. EM. Ain'tu pridem? Væ nobis? EV. Quid consternaris? aut

quid metuis? EM. Quid metuam? quod ſolent ſerò venientes ab. EV. Ego ſanè probabilem excuſationem adducam. EM. Obſecro, quam? EV. Mater me cum mandatis ad ſororium miſit, cuius reſponſum renuntiandum fuit domum; & abſunt illius ædes à noſtris longiùs: eò tardiùs venio. EM. Quid ſi hanc rationem tanquam commentitiam repudiet? EV. Fiducia eſt id minimè facturum. Nam me ab huiuſcemodi mendaciunculis temperare non raro expertus didicit. EM. Me miſerum maliq́ue fati: quid machiner? quid confingam, cùm (vt hoc æſtiuum, & pomeridianum tempus etiam magno natu homines inuitare ſolet) ſomno captus obdormiuerim ſuper libro? in extremo ſitæ ſunt fortunæ meæ, nec quî agam certum eſt. EV. Si rem ipſam ingenuè confiteare forſitan delicti gratiam faciet. Quid forſitan? certè faciet: exonera te metu. EM. Obtemperabo bene monenti: abſterſiſti metum. At enim ecce aliud mihi timorem obiecit. EV. Aliud? dic quæſo. EM. Formido malè, ne hîc elapſus, alibi in caſſes incidam. EV. Vbi? EM. Quæ memoriter pronuntianda præſcripſit, haud teneo abſolutè. EV. Suſpicari fas eſt, non te inter primos interrogatum iri: tum ego qui ſecundus tibi ſedeo, oblita inſuſurrabo diſſimulanter & fideliter. EM. Id amabò, adiuta me. Summum tibi beneficium debuero, hoc ſi perfectum dederis: nam nunc ſpes, opesq́ue meæ omnes in te ſunt ſitæ. EV. Ambulemus contentiùs.

EM. Tam ſtrenuè te conſequi vix poſſum.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

QVO te pedes?) *Virg. Eclog. 9. Quò te Mœri pedes? an (quò via ducit) in vrbem? Subaudimus ducunt, portant, aut simile quid.* Ain' tu pridem?) *Ain' tu? &, ain' tandem? dicere consueuimus ea de re interrogantes, quæ ab alio dicta, admiratione nos affecit, Cicer. epist. 21. lib. 9. Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, vt scribis fulmina? Ad Att. lib. 4. epist. 5. Ain' tu? an me existimas ab vllo malle mea legi, probarique, quàm à te? Et epistol. 1. lib. 6. ad famil. Ain' tu? Scipio hic Metellus proauum suum nescit censorem non fuisse? Terent. Andr. Ain' tandem? ciuis Glycerium est? Hecyra. Ain' tu tibi hoc incommodum euenisse iter? Plaut. Asinaria. Ain' tu meum virum hîc potare? Manut. in epist. 21. lib. 9.* Pomeridianum tempus) *De meridiatione, seu somno meridiano nos quædam disseremus secunda voluminis tertij, cùm de re medica & morbis agemus. Plaut. Mostell. Non bonus somnus est de prandio.* Somno captus) *Varias & elegãtes locutiones creat adiectiuum captus, per metaphoram. Exempla sint hæc, Captus mente, pro deliro, captus amore, errore, dolis, verbis, voluptate. Illa de valetudine prostrata, & offensione partium humani corporis quam venusta sunt? Captus membris omnibus, captus oculis, captus pedibus. Auderem quoque dicere, captus auribus, captus manibus, captus linguâ; captus naribus non auderem. Etiam oculis captus is dicitur, qui rei alicuius specie captus est, & allectus, vt eã vehementer cõcupiscat,*

*piscat, & habere ardeat. Cic. 5. in Verr. Tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam, ac nefariam decidisti.*

# PROGYMNASMA QVINTVM.

## Redeuntes à Gymnasio.

*ANDREAS, LVDOVICVS, TIBVRTIVS.*

ANDREAS. Portenti ac prodigij simile numerandum. Hodie nullus plorauit in schola. L. Post meridiem fortassis eueniet, vt tu princeps fleas. T. Quid si vterque vestrûm? A. Nos fleamus? quare fleamus? quid offendimus? L. Crimen aliquod fabricatus es, nisi aberrat suspicio, quod nobis inferres: ibi si litem perdiderimus, tu in nostra incommoda, & afflicta fortuna triumphabis gaudio. Si me audias, teipsum consulas, ad te prius referas, quid moliare: inest & formicæ suabilis. T. Minimè gentium ego quidem: vestra vos singularis, eximiaque virtus ad tribunal reos citabit. Dixi. A. Iste Harpocrates indignissimè patitur, Ludouice, nos conferre capita, & interdum sermones communicare in auditorio. Tanto magis confabulabimur, vt tibi oculi doleant. Ecquid intellexisti? T. Vro hominem. Incedit laneis pedibus noster doctor, & quò tardius, hoc grauius vindicare solet in noxios. Ecquid intellexistis? Quando autem excellenter vapulantes præ acerbitate plagarum

rũ miſerrimè vlulabitis; dupliceſque ad ſidera palmas tendetis, tũ ſcilicet cognoſcemus, quibus malè ſit, mihíne an vobis. L. Tun' optas virgis nos percuti? T. Opto vos cum ſilentio diſcere: ſi id contemnitis, opto condignis decorari præmijs, vt metatis nimirum, quemadmodum ſementem facitis. A. Et quod lucellum ad te redibit, peſſime, ſi nos diuerberabimur? T. Lucellum? imò enimuerò quàm plurimum lucri. L. Quodnam eſt illud lucrum, quod iſte ſomniat? nequeo perſpicere. T. Vt gaudeam de conſeruata iuſtitia, quæ cuique quod ſuum eſt tribuit. A. Hoccine illud immenſum, infinitumque compendium? credebam te exſpectare tot talenta, quot Alexander Rex Phocioni Athenienſi miſiſſe dono fertur. L. Eſtné aliud quod nobis exprobres maleficium? T. Eſt ſanè. A. Quin dicis? T. Dicam liberrimè. Tantum non quotidie, cùm è memoria recitandus eſt Cicero, libros veloci oculo inſpicitis, & ſuggeritis inuicem, in quibus vacillat memoria, ea aſtutia, vt Magiſter vix aduertat. L. Non me fefellit, te iſtuc expromptum. Quid tua (malùm) intereſt quomodo nos geramus? nunquam tu huiuſmodi præſidiarijs indiguiſti? T. Studioſus nunquam, deſidioſus ſæpiſſimè. A. Quis poteſt, niſi capite ferreo, & viſceribus æneis vſque adeò ſe macerare ſtudijs vt tu? L. Diligit ſe Tiburtius, & magnificè circũſpicit: albæ gallinæ filius. Vtcunque merebitur, non conſulet in ipſum paulò duriùs Præceptor. T. Quanto rectiùs, ſi conaremini vos quoque penitus intrare in eius amicitiam? at bonis artibus, modeſtia nimirum

atque

atque industria, quas ille amat, cùm discipulos amat. A. Morem habes deferendi condiscipulorum nomina, & es clandestinus noster Iudas: propterea nempe blanditur tibi. Phuy. T. Tu vt me tam maledicè appelles? non hoc tibi sic abibit, non. Haud feres tacitum: ad Magistri aures perueniet. L. Ne faxis Tiburti. Meministi, ob conuitium non dissimile in Lambertum pronuper iactum, quàm atrocem pœnam sustinuerit. T. Cur ergo (nefas) ictus piscator non sapuit? L. Quid vis? lingua mentem anteuertit. Roga veniam Andrea: alioqui cribrum carnificinum futurus. T. Parum etiam præ vt futurum est prædicas. A. Eia ignosce Tiburti: & istuc insipienter à me factum sapienter ferto: præ vibicibus etiamnum vix possum sedere. T. Itaque iam tergum dolabitur fustibus, quoniam alibi recentibus plagis, vt te affirmantem audio, non est locus. A. Obtestor te per fortunas meas, charissime Tiburti, si vnquam posthac. T. Tam subitò ex Iuda factus sum huic cõuitiatori charissimus? quis risum teneat? L. Quidquassas caput? sine te placari. T. Egóne vt contumeliam tuam insignem in me accipiam? A. Per Christũ te rogo, ne inaudiat Præceptor. L. En quàm supplici-ter. Ne sic te obfirmaueris. Adeóne ingenio te esse inexorabili, vt precibus istis molliri non queas? an vis vt tibi flens muliebriter, ad pedes accidat? At meæ saltem voluntati, ac precibus iniuriam istam, doloremque tuum condona, eiusque memoriam abijce. T. In Christi gratiam tacebo nunc quidem. A. Asperfisti aquam redijt animus. T. In eiusdem

gra-

gratiam, si denuo tale quid, siue aduersus me, siue aduersus alium quemcunque euomentem te audiuero, Præceptori palàm faciam, ne inultũ auferas. Satin' hoc planè, satin' disertè sũ locutus? L. Haut opus erit, Andrea.

## ANNOTATIONES.

POrtenti simile) *Cic. 1. de Diuinit. Quorum quidem vim, vt tu soles dicere, verba ipsa prudenter à maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.* Princeps fleas) *Vocabulum princeps, apud maiorum gentium latinos auctores frequentissimè non dignitatis, sed ordinis est. Atque inde natum arbitror, vt dignitatem quoque sonaret. Etenim qui aliquo in ordine primi sunt, fermè etiam cæteris antecellunt. Cic. de Inuent. Exordium princeps omnium debet esse. Idem ad Attic. lib. 2. Ego princeps in adiutoribus, ego secundus. Et. Accusat. lib. 2. Omnium nationum princeps Sicilia se ad amicitiam, & fidem populi Romani applicuit. Cæsar. lib. 1. de bello Gall. Ea pars princeps pœnas persolut. Lucretius lib. 1. de Iphianassa, seu Iphigenia Agamemnonis.*

*Nec miseræ tali prodesse in tempore quibat,*
*Quod princeps patrio donârat nomine Regem.*

*Id est, quod prima patrem fecisset Agamemnonem, cùm ante sorores, & ante fratrem esset progenita. Horat. Ode 16. lib. 1.*

*Fertur Prometheus addere principi*
*Limo coactus particulam vndique*
*Desectam*

*Principem limum vocat lutum, seu argillam, è quâ poëtæ fictum primum hominem à Prometheo Iapeti filio fabulantur. Ouid. l.b. 1. Metamorph. Rursum Horat. Ode vlt. lib. 3. Princeps Æolium carmen ad Italos Deduxisse modos. Ait se primum inter Latinos Lyricum extitisse, ante se nullum. Virgil. 5. Æneidos de nauibus Æneæ.*

*Princeps ante omnes densum Palinurus agebat*
*Agmen, ad hunc alij cursum contendere iussi.*

*Plura testimonia, pluresque auctores mitto prudens, ne paullo humaniori videar soli lumen inferre.* Fleas) *Lamentari propriè mortuos dicimur, & mulieribus hoc verbum magis conuenit. Terent. Andr. Quia tum mihi lamentari præter cæteras visa est. Et Phorm. Miseram, suam matrem lamentari mortuam. Cicer. de Orat. Matrémne vt miseram, lamentantémque videam? Pacuuius. Conqueri fortunam aduersam, non lamentari decet. Id viri est officium. Fletus muliebri ingenio additus. Flere est emittere lacrymas & vocem: plorare lacrymas tantùm. Gemere in pectore. Eiulare est sublata voce flere, quod ad mulieres pertinet. Lamentari est voce querula & tristi oratione calamitatem testari suam. Hæc Muret. in Terent.* Dixi) *Lepidè, quasi contra eos egisset in iudicio. Nam oratores caussa perorata addebant. Dixi. Et hoc erat mittere in consilium. Id est, Iudices dimittere ad dicendam sententiam. Lucian. εἰρηται ὁ λόγος. Solebant autem è consilio dimitti iudices per præconem, ita pronuntiantem. Actum est, licet, id est, ire licet. Concio his verbis dimittebatur. Si vobis videtur, Quirites, discedite. Senatus hac formu-*

*la.*

la. Nihil vos moramur. P. C. Iſte Harpocrates) *Deus quidam apud veteres ita eſſingebatur, vt primo digito labris admoto ſilentium indiceret, qualis Romæ Angerona Dea colebatur. De qua ſcriptum eſt apud Plinium lib. 3. cap. 5. his verbis. Namque Diua Angerona, cui ſacrificatur ad diem XII. Kal. Ianuarij, ore obligato, obſignatóque ſimulacrum habet. Reddere, ſeu efficere quempiam Harpocratem, eſt illi ſilentium imponere, eum quaſi mutum, & elinguem reddere.* Oculi doleant) *Iis dicuntur dolere oculi, qui rem moleſtam ſibi & odioſam coguntur aſpicere. Iis etiam apud Græcos, qui rem pulchram atque iucundam cernerent, qua tamen frui non poſſent. Lege cap. 5. lib. 2. apud Victorium.* Laneis pedibus, & quò tardius) *Paræmia, Dij laneos habent pedes. Qua docemur, diuinum numen ad capiendas de ſceleratis pœnas non feſtinare. In eos tamen nec opinantes tandem animaduertere, & plerumque quò ſeriùs, eò ſeueriùs. Cæſar. l. 1. de bell. Gall. Conſueſſe Deos immortales, quò grauiùs homines ex commutatione doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Tibull. l. 1. Sera tamen tacitis pœna venit pedibus. Valer. lib. 1. c. 1. Lento enim gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira: tarditatémque ſupplicij grauitate compenſat.* Phocioni Athenienſi) *Centum talenta miſit Rex Phocioni. Idem Xenocrati quoque magnam vim pecuniæ. Ad C. Fabricium, & Curium Romanos, Samnites multum auri attulerunt. Hi omnes qua animi magnitudine oblata recuſauerint, quidque fecerint ac reſponderint, vide Plutarchum in*

Pho-

*Phocione, & in Apophthegmatis Regum, ac Ducum. Cicer. in Catone. & in Off. & V. Tuſcul. Athenæum lib. 10. c. 5. Ælian. lib. 1. c. 25. Eætium in Xenocrate, Gellium lib. 1. c. 14.* Viſceribus æneis) χαλκίντες, id eſt, *ænea ſeu ferrea inteſtina habens. Sic cognominatus eſt Didymus Grammaticus, quem librorum 4. millia ſcripſiſſe affirmat Seneca epiſt. LXXXVIII. vbi etiam docet, quàm inanes quæſtiunculas ſit perſecutus. Propter indefeſſum in ſtudijs, ſcribendiſque libris animum, etiam Origenes dictus eſt Adamantius.* At bonis artibus) *Latini & virtutibus, & vitijs artium nomen cribuunt. Terent. Andr. Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro: ſed his quas ſemper in te intellexi ſitas, fide & taciturnitate. Plaut. Trin. Aut. ſi ægrotant in te artes antiquæ tuæ. Salluſt. Catil. Namq; auaritia fidem, probitatem, cæteráſq; bonas artes ſubuertit. Et paullò ſuprà. Agitabatur magis magiſq; in dies animus ferox inopia rei familiaris, & conſcientia ſcelerum, quæ vtraque vis artibus auxerat, quas ſuprà memoraui. Cicer. pro lege Manil. Sed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ, comiteſq; virtutis. Ac primùm, quanta innocentia, &c. Eſt ergo vnum hoc de communibus, ancipitibus, mediis vocabulis: vt tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria, periculum, venenum, contagium, pretium, fortuna. Gell. lib. 12. c. 9. In hunc ordinem referenda ſunt, honeſta turpitudo, felix ſcelus, & alia nonnulla cùm græca; tum latina.* Non hoc tibi ſic abibit, non) *Eleganter geminata negatio. Catull. Non, non hoc tibi falſe ſic abibit. Propert. Non, non humani partus ſunt talia dona.*

*Apud*

Apud Terent. quædam interijciuntur. Adelph. Non æquum dicis, non. Et apud Cic. ad Atticum epist. 9. lib. 1. Non sunt ab obsequio nostro, non: suas radices habent, sic enim legendum censuit Manut. pro, nam: qui in eiusdem epistolæ comment. exempla plura huius figuræ loquendi ex Cicer. collegit. Eadem vis sentitur in voce nihil. Agraria 2. Nihil sibi appetit præcipuè Pompeius, nihil. Lingua mentem anteuertit) Præceptum Isocratis ad Demonicum, πᾶν ὅ, τι ἂν μέλλῃς λέγειν, πρότερον εὐσκόπει τῇ γνώμῃ· πολλοῖς γὰρ ἡ γλῶττα προέχει τῆς διανοίας. Quicquid dicturus es, prius expende apud animum. Sunt enim non pauci, quorum cogitationibus lingua anteuertat. Cribrum carnificinum) Plaut. Mostell.

O carnificinum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reueniat senex.

Indicat loris, flagris, & virgis eius pellem ita laceratum, perforatum, ac pertusum iri à lorarijs tanquam carnificibus, furcam in collo per viciniam gestantem, prædicantemq́, delictum suum, quod seruis alicuius facinoris compertis fiebat, vt cribri speciem exhibere videatur. Lam. Per fortunas meas) tuas, nostras, &c. genus obtestationis in re misera, nec vnquam sine dolore, quod omnia vndique ex antiquis libris collecta exempla testabuntur. Manut. in epist. 20. lib. 3. ad Attic. Idem tamen in epist. 7. lib. 10. ad eundem. Vsurpatur hic loquendi modus cum dolore, aut certè cum summa cupiditate obsecrantis, &c. Ne inaudiat Præceptor) Huius verbi, inaudire, vis hac est, vt nõ nisi

in

*in rebus occultis ponatur. Vt in epistola ad Patum. Aquini & Fabraterix consilia sunt inita de me, quæ te video inaudisse. Et apud Plautum, aliosque eiusdem generis sunt exempla. Manut. in epist. 1. lib. 9. ad Attic.* Ad pedes accidat) *Germana huic: ad genua seu genibus accidere, procumbere ad genua, se alicui summittere, ad pedes se abijcere, prosternere, ad pedes procumbere, procidere, ad pedes se prouoluere. Græci* προπίπτειν. *Cur autem supplicantes ad genua caderent, eaq; tangerent, caussa affertur, quod illi consecrata essent misericordiæ, vt dextra fidei, aures memoriæ, frons pudori, seu Genio, digiti Mineruæ. Seruius in Eclog. 6. Iunius Animad. lib. 2. cap. 11.*

# PROGYMNASMA SEXTVM.

## Excusatio absentiæ.

*MAGISTER, ANIMADVERSOR, ANTONIVS, IOANNES, MARCVS.*

MAGISTER. Euge animaduersor, adesdum. A. Adsum, impera. M. Quinam hesterno die scholam non obierunt? A. Qui? Antonius Niger, Ioannes Faber, Marcus Syluius. M. Perpaucos memoras. A. Reliqui ad vnum omnes coram præsentes affuerunt. M. Extra eos videlicet, qui munusculis te elinguauerunt. A. Hoc quidem alias cùm tentarent nonnulli, semper Austrum perculerunt. M. Probatus

tus es adolescens,& Magistro tuo fidelis.Heus,prodite vos in medium, repentè, statim,sine mora. An nondum etiam?confestim, inquam,aduolate. Quid habes Antoni dicere ad excusandam absentiam. A. Ingens quidam, & intolerabilis dolor occupauerat sinciput meum. Quocirca mihi in mandatis dabat mater,extra ædes pedem ne vsquā ponerem.M. Fabulæ. Tibi vt credam? non ego te noui? A. Si verbis meis exigua apud te est fides , certum hominem ad matrem,& familiares indagatum allega.M.Logi.A. Haud secus reperies.M.Somnium.Quasi verò tu,vt es callidus, & versipellis, hoc tuis non imposuisses, tibi nimirum cōdolere caput: Studebas verberationem effugere, quæ propter segnitiē te manebat. A. Neutiquā Præceptor:non imposui profectò: reuera nihil finxi. M. Poteróne hodie verum ex isto puero exsculpere?Caue mihi mendacij quidquam.A.Vera loquor.Si aliter fuerit ac dixi,causſæ nihil erit,quin tibi dem pœnas. M.I sessum: rem ego nunc quidem in medio relinquā.Tu bone Faber,quo negotio implicatus tenebare? I.Pater quopiam profectus ad animum suum relaxandum,remittendumq;,me perduxit illuc secum. M. Quò profectus? L.In villulam nostram, quæ aliquot millia passuum ab vrbe distat. M.Cur pridie à me copiā non petebas? I. Noctu hac de re deliberauit pater: tum multo manè in viā nos dedimus, vt ad te adire nequiuerim, nec voluerim, quòd verebar vt cubitu surrexisses. M.Dictum inopinatum atq;mirabile:te alioqui somniculosissimū, id temporis,sub galli cantum scilicet experrectum.

Monſtra, ac portenta loqueris. I. Videre me ſomnũ haud ſinebat gratiſſimæ promiſſionis exſpectatio. M. Quin tu exoraueras patrem, vt hoc permitteret? I. Factum eſt vt patre ſecundo villam amœniſſimã petiuerim, ibiq; animum ſtudiorũ perpetuitate fatigatum triduo iſto inſtaurauerim. Proinde, amabo mi Præceptor, parce vltrà quærere: quandoquidem te clam non eſt, quanto me opere ſchola delectet, nuſquam vt ſim libentiùs. M. Quj tibi inceſſit metus plagarum inſolitus, hic de improuiſo oratorem te reddidit. Nunc condonabitur erratum. Poſthac niſi quoquo modo de abſentia certiorẽ me feceris, verberibus te cędam, vt ſi in piſtrino moleres. Percepiſti? I. Planiſſimè. M. Reſtat vt te quoq; purges, ſolute adoleſcens, & omnium inertium inertiſſime. Quid egiſti? aut vbi fuiſti? aut quare in ludum non veniſti? Quid eſt Sylui? quid taces? MAR. Exiſtimabam eſſe ferias literarias. M. Ridiculum. Hoccine os tuũ? iſtáne frons tua? Ecquid, ô inſulſe, nudius tertius, aut quartus primùm auditiones obire cœpiſti? quomodo? an tu neſciebas vacationi diem Mercurij conſecratum? Hîc ego te manifeſtũ mendacij teneo. MAR. Aſt mihi occurrebat heri Mercuri. M. Aſt ego faxo tibi hodie Tiſiphone accincta flagellis occurrat. Lepidum capitulum. Téne errare in iſto negotio tam antiquo, tam noto, tam vulgato? Quamobrem autem horis antemeridianis ſaltem nõ comparuiſti in hoc loco? Prætexis culpam hoc figmento: non fit mihi veriſimile quod ais. Illi illi ſodales & congerrones tui aliquò te ambulatũ, aut luſum auocarunt.

Para:

Para: mox tibi virgis corium conscribam. MAR. Miser, ah miser, cui tam malè vertit dolus. Sed te obtestor, vnam hanc dimitte noxam: si quando rursus admisero, tum occidito. M. Nihil agis.

## ANNOTATIONES.

A Desdum) *Ades, imperatiuum est, dum παρέλκον. Est enim productio, & adiectio syllabæ, vt Ehodũ ad me. Donat. in And. Non tam verò significat, veni huc, quàm hîc esto, hoc age, attende, ades animo.* Qui) *Festiuè per verbum eius quî cum loquimur, ac præsertim extremum respondemus, aut interrogamus, ταυτολογικῶς scilicet. Cuius festiuitatis exempla in Plauto, & Terentio sexcenta, & in hisce quoq; dialogis nõ pauca. Adducamus tamen aliquot. Terent. And. Factum est hoc Daue? D. factum. Ibidem. Aut si tibi nuptiæ hæ sunt cordi. P. Cordi? Idem Phorm. Scisne hoc certo? G. Certò. Plaut. Amphit. In eodem lecto? A. In eodem. Ain' tu geminos? B. geminos. Cicer. ad Att. lib. 7. Coronatus Quintus noster Parilibus? Parilib⁹, & pro Sex. Roscio. Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat?* Ad matrem &c. allega) *Quæ sit proprietas & vis horum trium, allegare, legare, ablegare, quiq; differant. Cardinal.* Quin tibi dem pœnas) *Idem est quod dare alicui supplicium, puniendum se præbere scilicet. Terentius And. Enuch. Plaud. Epid. Catull.* Somnum haud sinebat) *Cura vehemens, & affectus ingens insomnia conciliant. Quare sub noctem desæcandus est animus, vt sopor suauis oculos operiat: quo se priuatam propter immodicam ex versuum eius elegan-*

*tia conceptam delectationem. Catull. ad Licinium conqueritur. Et Cicer. ad Att. lib. 9. epist. 12. Sed cùm me ægritudo non solùm somno priuaret, verùm ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur.* Patre secundo) *Elegans huius voculæ vsus est pro fauente, amico, benevolo, fœlice ac prospero. Horatius Ode 10. lib. 2. Sperat infestis, metuit secundis. Alteram sortem bene præparatum Pectus. Sic apud eundem rumore, omine, Aquilone secundo. Secundis, & aduersis auribus aliquid accipere, Liuius. Secundæ admurmurationes, fortuna secunda. Cic. Existimatio secunda, Sueton. Clamor secundus, cursus secundi, Virgil.* Tisiphone) *Furias Acherontis, ac Noctis filias tres inducunt Poëtæ, Tisiphonem, Alecto, & Megæram, de quibus Ouid. in 4. Metamorph. & in 6. Æneid. Virgil.* Téne errare in isto) *Istiusmodi orationes per modum infinitiuum cum accus. casu ad animi affectum vehementiorem exprimendum aptæ sunt, subauditurq; , oportet? æquum est? credibile est? censet? putet, credat aliquis? patiar? par est? verum est? &c. Cicer. epist. 1. lib. 14. Me miserum, te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me indicisse? epist. 2. eiusdem lib. Hem mea lux, meum desiderium, vnde omnes opem petere solebant, te mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrymis & sordibus? lib. 2. ad Attic. Facinus indignum: tibi hoc contigisse? Virg. 1. Æneid. Méne incepto desistere victam? & paullò post. Méne Iliacis occumbere campis. Non potuisse? tuaq̃; animam hanc effundere dextra? Plaut. Persa. siccine hoc te mihi facere? Amphit. Ita me probi, stupri, dedecoris arguam à viro meo?* Horis

ante-

antemeridianis ſaltem) *De ui, & origine vocis, ſaltem, lege quæ tradit Gellius lib. 12. c. 14. & Donat, ad illud Terentij And. Vt aliquot ſaltem nuptijs prodat dios, & Adelph. ad illud. Meum mihi reddat, ſaltem quanti emptus eſt, Syræ. Barbari dicunt, ad minus.* Corium conſcribam) *Plautus dixit, virgis dorſum ſcribere, Corium autem humani corporis pellem ſæpius per iocum nominat, Pſeud.*

*Quaſi in libro cum ſcribuntur calamo literæ,*
*Stilis me totum vſq; vlmeis conſcribito.*

*Amphit. Eius ornamenta, & corium vti conciderent. Huc etiam facetè tranſtulit verbum pingere. Epid.*

*Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas.*
*Quem Apelles, atq; Zeuxis duo pingens pigmentis vlmeis.*

*Catull. quoq; ad contubernales. Namq; totus vobis Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam, & ad Thallum, à quo pallium ſibi, & ſudarium ſurreptum indignatur.*

*Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina & remitte,*
*Ne laneum latuſculum, manuſq; mollicellas*
*Inuſta turpiter tibi flagella conſcribillent.*

*Hoc verbi, conſcribillo, ex Varrone iterũ affert Nonius.*

# PROGYMNASMA SEPTIMVM.

## Calami apparatio.

*VEDASTVS, BALTHASARVS.*

VEDASTVS. Cùm haud inuenuſtè exares elemẽta, doleo tibi nec chartam eſſe bonam, nec

calamos aptos. B. Ab his ſingulis fateor me inopem. Charta nec candida multùm, nec firma & plana: ſed aſpera, ſcabra, & pilis paruiſſimis plena: quos cũ à calami crena detraho, mora ſcriptioni affertur: quod ſi non detraho, ſcis ipſe quales efformentur literæ. Sed quod intolerabilius mihi accidit, etiã perfluit. verùm hæc culpa ſit atramenti potiùs, quod cũ eſſet heri ſpiſſum valde, aqua nimia effecit dilutiſſimum, & ſubalbidum. Calamos ad vſum accommodare cultello prorſus neſcio: & te etiam atq; etiam, vehementerq; rogo, vt hanc rem me doceas, ſi ipſe ſcias. V. Miſeret me tui, qui pęnè ſol° ignores, quod condiſcipuli tui didicerunt magnam partem. B. Libera tu me iſta ignorantia. V. Auſcultа igitur. Anſerinæ pennæ ſunt ad ſcribendum inprimis appoſitæ, ijſque pluries vtimur, ac ſępius quàm pauonum, aut cygnorum: quarum illæ nimis ſunt duræ, hæ nimis amplæ: quanquam diutiùs bonæ permanent atque anſerinæ. B. Teneo. V. Ex his ipſis anſerinis meliores iudicantur, quæ ſunt pellucidæ, mediocriter duræ, cauo longiore, ampliore, firmiore. Quæ autem habent cauum breue, anguſtum, & ſunt admodum duræ, vt quæ inhærent extremæ alæ, non probantur. B. Iam nouerim diligere pennas. V. Vbi delegeris, ita apparabis. Reſcindes caudam, plumulas vtrinque detrahes, ſcalpelli tergo cauum pęnæ leuigabis, extremum caui, ſeu caput reſcindes ex vtraque parte, antrorſum & retrorſum: hoc modo, vt fiat bifurcata (aſpice.) Tantum porrò reſecabis, quãtum latus eſt vnguis auricularis digiti, & medullam extrahes. B.

Memi-

Meminero. V. Posſi hęc in dorſo crenam facies: id eſt calamum cuſpide cultelli, ſiue extremo cultello iuſtè per medium ſcindes, ſic, vt fiſſio ſeu inciſura diametro dorſi pænè æqualiterque reſpondeat. Tum vbi adhuc aliquantillum deorſum à fronte exſecueris, àdextris, & ſiniſtris acuere calamum, & mucronẽ facere perges: ſeu æquabis duos illos pediculos, ſiue cruſcula. Nunc me vide, quomodo indita crena vtrumq; horum abſoluam. B. Obſeruo. V. Raſtellum hoc, quem mucronẽ antea vocaui, temperatæ gracilitatis eſſe debet, de quo quanto plus abſcideris, tanto habebis calamum obtuſiorẽ, & grandioribus notis ducendis aptiorem: dextera tamẽ pars, in quẽ calamus dũ ſcribimus incumbit ſit aliquanto altior ſiniſtra, quod diſcrimen adeò ſit minutum, vix vt perſpiciatur. Age experiamur hunc noſtrum. Accipe, vide an placeat. Quare ſic eũ capis? B. Sic aſſueui. V. Tene pollice, & medio digito, molliterque ſuperpone indicem, ſic ita minùs vacillabit manus, & firmiùs eam chartæ imprimes. Sit autem brachium vſque ad cubitum liberum dum ſcribis, & pondere ſuo tabulæ, ſeu pluteo innitatur, tota autem manus auriculari. Intuere me ſcribentem. Imitabor te ad vnguẽ, & quibuſcunque officijs potero, tuam erga me humanitatem aut obruam, aut exæquabo.

## ANNOTATIONES.

PAruiſſimis) *Hoc ſuperlatiuo ſemel, iterum, ac tertiùm vſus eſt Lucret. lib. 1.*

*Præterea niſi erit minimum, paruiſſima quæq́;*
*Corpora conſtabunt ex partibus infinitis.*

*Vſus etiã Varro, libris de re ruſt.* A calami crena) *Subtilem illam, & paruam ſectionem in dorſo calami, quo is atramentum remittat, ſimilitudine quadam crenam vocemus licet. Nam extremum ſagittæ cui neruus inſeritur, & ſumma arcus cornua, quibus extrema nerui aptantur, crenæ dicuntur à ſectionibus, & inciſuris. Et crenata quædam herbarum ſolia. Noſſe porrò quæ charta proba, quæ non proba: quomodo rectè apparetur calamus ſcriptorius, & quæ ſint eius genera: qua ratione excellens coquatur atramentum: quis ſit modus venuſtè literas figurandi: quæ ſtudioſorum deniq́; inſtrumenta ad vſum cõmodiora, hæc, inquam, & ſimilia noſſe haud indecorum eſt adoleſcentibus, qui ad artes ingenuas omne ſuum ſtudium contulerunt. Ea etiam ratio de ijs rebus purè, ac propriè loquendi paucis nota: quandoquidem & ſimplices earum voces, & coniunctionem plurimi penitus ignorant. Quorum ignorantiæ toto hoc volumine conabimur ſuccurrere. Sciendum nihilominus, in talibus circuitionem, metaphoram, catechreſin eſſe neceſſarias.* Auricularis digiti) *Habent ſua cognomenta digiti vtriuſuis manus, quorum ſatis eſt manifeſta ſignificatio. Lege nihilominus Iſidorum lib. 11. cap. 1. & Torrent. in Sueton. Aug. c. 80. qui cur indicem dexteræ manus digitum ſalutarem nominet, cauſam adhuc neſcire me fateor. Sed quare is qui minimo, ſiue auriculari eſt proximus, annularis dicatur, ſeu potius quamobrem anulo decoretur (nam inde adeptus eſt id nomen) cauſam explicant. Gell. lib. 10. cap. 10. Macrob. lib. 7. cap. 13.*

PRO-

# PROGYMNASMA OCTAVVM.

## Elementorum conformatio.

### IOSIAS, EXVPERIVS.

IOSIAS. O ſcitiſſimum archetypon, ô ſpecioſiſſimas literas, ô illecebras Diuina, quod aiunt virgula adeptus es hanc elegantiam. Sed vnde? E. Meus germanus patris iuſſu manu ſua mihi confecit. I. Vbi porrò ipſe didicit ductus hoſce belliſſimos? E. Semper huius artificij cupidus fuit, & in quendam magiſtrum anno proximo ſuperiore incidit, qui Latinas, Græcas, Germanicas figurabat excellentiſſimè. I. Exemplar, & prototypon quoddam mihi quoque datum eſt muneri ab amico: verùm præ tuo ſordet. En. E. Quare contemnis? ſi ad iſtum modum ac formam effinxeris elementa, vti in hac tua papyro, efficta conſpiciuntur, iudicabo te oleum non perdidiſſe. I. Atqui optima imitandi cupido aſſiduè verſat animum meum. E. Atqui hîc non quæritur optimum. I. Laudatur tamen. E Non nego. I. Oſtende ſis mihi tuam manum. E. Ecce. I. Quaſdam formas propemodum perfectè: quaſdam non aſſequeris, quod pace dixerim tua. E. Paulatim, & conſuetudine imitandi aſſequar. I. Prô quàm decentia ſ. quàm decora p. q. & omnes denique caudatas literas facit ille frater tuus? E. Quid notas

gran-

grandiores? nónne amas? I. Mirificè E. Aſpice. A. vide D. & M. tanquam ſi ex typis æneis in chartam eſſent impreſſæ, I. ipſa verò quæ alphabeto ſubiecta eſt ſcriptura, quàm ad lineam rectâ ſine linea, directis verſibus? quàm æqualibus ſurſum, ac deorſum elementis? Vnum te volo. E. Vel decem. I. Nónne tibi præcepta dat formandi, & lapſus corrigit? E. Certè: & nonnunquam ſua manu meam, tenentem calamum comprehendit, atque alienis digitis rem peragit, vt ego figuris probè conficiẽdis hac ratione aſſuefcam. I. Inires à me non vulgarem gratiam: ſi exemplum à fratre mihi curares E. Difficulter inducam. Nihilominus quoniam te tanto ſtudio pulchrè exarandorum characterũ ardere animaduertero, curabo, vt voti compos ſias. I. Quotum intra diem polliceris daturum in manus? E. intra quartum. I. Perlubenter gratiſſimum hoc donum tamdiu expectabo, cogitaboque interim quo te honorario remunerer. E. Sic habeto me gratuitò hoc operis non eſſe facturum.

## ANNOTATIONES.

TVam manum) *Dicta eſt manus, vt vult Iſidor. quod ſit totius corporis munus. Ipſa enim cibum ori miniſtrat, ipſa operatur omnia atque diſpenſat: per eam accipimus, & damus lib.* 11. *c.* 1. *Sunt autem notiones huius vocis diuerſæ, quæ vt modò recenſeantur, nõ eſt neceſſe. Tantum hoc breuiter monendum, capi pro figura ipſa literarum, quas alij aliter, & quidam pulchriùs, alij deformiùs ducere ſolemus. Sic verò Ciceronis*

*nis exemplo loquemur. Hoc est aliena manu, mea, tua, sua manu, subandi scriptum. Hæc est librarij, Petri, mea, tua manus. Amo te de ista manu, seu, amo manum tuam. Scripsi istuc mea manu, non propria manu.* Et consuetudine imitandi assequar) *Quid ni tantillam rem assiduitate, & diligentia consequamur, quando vel difficillima, & vix superabilia non aliter consequimur. De quo dicerem, nisi id alijs locis arbitrarer fieri posse commodiùs. Nunc, quoniam proximum est nomina scribere, postquam literas cœperit effingere puer, auscultemus Quint. illumq; hanc operam in vulgaribus, & fortè occurrentibus perdere ne sinamus. Plura dialogo sequenti.*

# PROGYMNASMA NONVM.

## Eiusdem materiæ.

*DAMASVS, ALBANVS.*

DAMASVS. Tam artificiosè tamque graphicè characteres Romanos efformare, tanta proportione, & tam compositè mutuò respondentes, versibus præterea paribus interuallis à summa pagina ad imam vsque diremptis, & nulla omnino in parte vacillantibus, dic sodes quid tandem vtilitatis affert? A. Modus ipse quærendi tuus, clamat te istuc in quæstione ponere non debuisse. D. Quid ita non? A. Quoniã ostendit non displicere tibi hanc manus

meæ

meæ elegantiam. Atque vt agam apertiùs: delectarísne, si quando quidpiam à me exaratum aspicis? D. Ac multum profectò, non secus, quàm si nitidam, & collustratam picturam intuerer. A. Hæc igitur vna est vtilitas, vt mearum literarum veluti pictura tuis, aliorumque oculis blandiatur, lectoresq; meos voluptate quadam nec illiberali demulceat. D. Benè tu quidem hactenus: sed plura desiderio A. Ego ipse quoque (id quod omnibus mei ordinis vsu venire existimo) propterea libentiùs, faciliùs, maioreque cum iucunditate scribo. Adde quòd lectu expeditior est venusta, quàm rustica, indocta, imperitáque manus: nec aliud in causa est, quare tantoperè typis descriptos libros amplectamur, nobiscumque feliciter actum credamus, si calamo ad illorum typorum venustissimam speciem quàm proximè accesserimus. D. Negari non potest, manum tuam exquisitam, probè distinctam, & luculentam esse. Nunc da, qua via & ratione ad huius scientiæ facultatem perueneris. A. Quorsum id nosse expetis? D. Etiam tu hoc rogas? Vt facere quea similia. A. Si animum huc aduertas, narro tibi. D. Asto auidissimis auribus. A. Principiò percommodum fuit exemplar, in quo erat alphabetum maioribus minoribusque literis compositum. Nec ibi solùm completæ & integræ, verùm etiam imperfectæ, partesque, & frustilla earum visebantur. Ostendebatur item, quo pacto illa fragmenta coagmentanda essent, vt absolutum literæ corpus efficeretur. Verbi causa: ducebatur ab alto virgula ad hunc modum

I. appingebatur minutus ſemicirculus dextroſum, ſeu inuerſum c, ſic, ɔ, vt docerer, b componere ſi illi porrectæ deorſum ad angulos rectos lineolæ hanc notam copulaſſem. In d idem præſtabatur præpoſito c. ſic tamen, vt poſtquam c. illud cum virgula coiuiſſet, puncti inſtar de infimo eius extrà emineret. In maiuſculis eadem planè ratio cuſtodiebatur. Sed vt rem clariùs cognoſcas, ipſum tibi prototypon demonſtrabo, ſi fuerit occaſio. D. Optatiſſimum acciderit. A. Poſthæc binæ, ternæ, quaternæ connectebantur, vt, ab.do. mu.ptu, flo gram. trum. Subijciebatur adhuc vocum ſeries, quæ aliquam animantem, arborem, herbam, morbum, inſtrumentum indicarent, eæque haud ità vulgatæ ac tritæ Tandem breuiores ſententiolæ, vt illæ (nam edidici, ſicuti vocabula de quibus dicebam) *Vacare culpa, magnum eſt ſolatium. Medio tutiſſimus ibis. Feſtina lentè. Neſcis quid veſper ſerus vehat. Homo bulla.* D. Videtur Magiſter hoc exemplar meditatus confeciſſe. A. Credo. D. Quid erat nouiſſimo loco? A. Longior ſcriptura, ſex, ſeptem verſuum ſcilicet, quæ ad virtutem excolendam me hortabatur. Ex Platone, Tullio aut Seneca, vt reor, deprompſerat, D. Nec illius te capere debuiſſet obliuio. A. Non cepit. Erat autem concepta his verbis. *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, inuictum infatigabile: voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem*

*manus:*

*munus: voluptatem latitantem ſæpiùs, ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero atq; vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* D. Quid? tantúmne ſæpius inſpectanda hac formula perdidiciſti hoc tuum artificium? A. Non. D. Quid egiſti hoc amplius? A. Sua manu Præceptor meam complexus moderabatur ac dirigebat. Iubebat item tenuiſſimæ, ac ſubtiliſſimæ papyro membranam ſubſternere, in qua ineſſent feſtiuiſſimè efficta elementa cum egregiè concinnata ſcriptura, & calamum ſuper literas per chartam ſatis tralucētes ducere, vt ſic ductibus earundem æmulandis aſſuefcerem & habitu quodam confirmarer. Quin imò ſtylo plumbeo interdum literas cùm exaraſſet, eas me atramento tegere, & de liuidis nigras reddere voiebat. Cæterùm ne facerem inæquales, eas, inquam, quæ vel ſurſum lineas non proijciunt, vel infrà non demittunt, vt vocales, & conſonantes c. m. n. r. &c. applicata regula trahebat lineas duas anguſto ſpatio diſtantes: intra has mandabat mihi vt ſcriberem aliquid. Idem in grandioribus ſeruaui, quarum inter ſe omnium æqua eſt magnitudo. His ego exercitationibus vſus, quantum cernis proceſſum effeci. D. Si nanciſci poſſem magiſtrum æquè ſcientem ac peritum, diſcerem hanc artem ſanè. A. Si ſollicitus quæras puto te inuenturum. D. Difficillimè: paucorum eſt enim bella manus: contrà, deformiter ſcribentium numerus infinitior quàm frondium in ſyluis, piſcium in vndis.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

QVuid tãdem vtilitatis) *Duæ vtilitates* καλλιγραφίας, *infrà ponuntur & ab illo loco:* Principio percommodum fuit, *rationes quinque enumerantur, quib. pueri elementa ductu calami conficere docebuntur. Quint. Non eſt aliena res, quæ ferè ab honeſtis negligitur, bene ac velociter ſcribẽdi.* Feſtina lentè) *Auguſt. Imp. & dicere in ſermonibus, & ſcribere in epiſtolis ſolebat,* σπεῦδε βραδέως. *Per quod monebat, vt ad rem agendam ſimul adhiberetur & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Gell. lib. 10. c. 11. Atq; hoc dictũ nummis quoq; ſuis exprimebat, cùm terminum fulmini coniungeret, ſicuti anchoram delphino Titus Imp. ſic vt eius medium velut temonem delphin obuolutus complecteretur. Crebrò etiam iactabat illud ſat celeriter fieri, quidqd fiat ſatis bene Suet. Octauio c. 25. Catonis qdem eſt: ſat citò ſi ſat benè. Quint. li. 1. c. 1. verſus huiuſcemodi morales pueris ad imitandum in ſcriptura proponendos ſuadet. Non otioſas velim, inquit, ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes. Proſequitur hæc memoria in ſenectutem: & impreſſa animo rudi, vſq; ad mores proficiet.* Nouiſſimo loco) *Gell. lib. 10. c. 21. hoc verbum Ciceronem fugiſſe narrat, vti etiã aduerbiũ, nouiſſimè, (quib. tamen plures illa ætate vterentur) quod ea veluti non latina haud pbaret. Priore nihilominus vſus eſt pro Q. Roſcio. Alterum inuenias epiſt. 24. l. 10. Planci ad Ciceronem.* Sua manu Præceptor meam) *Vide quæ ſint hac de re apud eundem eodem capite, quo ſuperiora, Quintilianum inquam.*

PRO-

# PROGYMNASMA DECIMVM.

## Orthographia.

*SEPTIMIVS, ANSELMVS,*

SEPTIMIVS. Si tibi faciendum videtur, Anſelme, conferamus inter nos, quę ante meridiem à Magiſtro de orthographia accepimus. A. Ordire, ego cœpta perſequar. S. Tu maior, & plura tenens memoria. Si quid effluxerit iam tibi, fortaſſis id mihi occurret, tum repentè ſubijciam. A. Affirmabat igitur illam ſe ſtatuere ortographiam probatiſſimam, & præcipuè complectendam, quæ conſtaret per benè formatis literarum figuris: quæ haberet verſus ad amuſſim extenſos, mininéque velut à recto tramite vſque deflectentes. S. In hiſce duobus ipſemet magno nobis exemplo eſt: quis enim eo literas ductitat ſpecioſiùs? quis tam recta linea? verùm hæc potiùs ornamenta ſunt quædam orthographię, quæ ne doctis quidem ſingulis contingunt; nec illi magnoperè inflammato eorundem ſtudio rapiuntur. A. Sic eſt vt ais. Attamen cùm ornamenta hæc amemus, & admiremur in alijs, quid eſt quod ipſi non conſectamur? S. Quod erat tertium? A. quod? ſcire quæ cùm Latinæ ac Romanæ, tum Græcæ, hoc eſt, è fontibus Græcorum in latinitatem deriuatæ transfuſæque voces (quarum innumerabilis eſt multitudo) diphthongo: quæ vocali &

qua-

quanam scriberentur: quibus consonantibus vbi addendum aspirationis indicium. Quid sequebatur? S. De voculationibus, seu accentibus nescio quid. A. Iam recordor. Nôsse etiam quo tono, acuto, graui inflexo vbi vtendum. Adhæc de interpunctionibus, quę videlicet nota hypodiastoles disiungenda, quæ per ὑφ' ἓν coniungenda, quando demum syllaba porrecta super se pusilla linea insignienda: quando semilunula inferiore ad breuitatem indicandam: quando comma seu incisum, quando puncta, quando bina puncta, seu colon, quando interrogationis signum, quando parentheseos nota adhibenda. S. Dicebat in orthographia locum esse non deriuationibus duntaxat, notationibus siue etymologijs, originibus, sed consuetudini etiam: videndumque quid solerent eruditi: qui si discreparent, & alij hoc, alij alio modo verbum idem scriptitarent plurium valere oportere iudicium. A. In reprehensionem denique vocabat eos, qui cum peruicacia manuscriptis codicibus, saxis ac numismatis vetustis adhærent; quoniam illi sculptores, scalptores, monetarij sæpiùs illiteratissimi fuissent. Locutos quidem latinè, vti nos omnes patria lingua Teutonicè loquimur, non tamen idcirco scisse Grammaticam: & ita falsò putari mysterium, atque auctoritatem grauissimam, quę esset alicuius idiotæ opificis mera insciția. S. His addebat, inspiciendos crebrò decoris typis in typographeo descriptos libros illosque imitandos. A. Vltimum proponebat hoc præceptum. Non solùm formas literarum de-

coras ſtudiosè contemplari: Sed aſtare etiam ſcriptoribus librarijs, & ductus atque tractus quàm diligentiſſimè obſeruatos intimis ſenſibus mandare. Hoc quale eſſet, ſimilitudine ante oculos ponebat. Vt enim viua vox magis nos afficit quàm lecta in libris & muta: ſic ipſa manus ſcriptoris multò vehementiùs inprimit in animo ideam elementi: ſeu potiùs rationem ipſius conformandi, quàm ipſum ſolum iam in charta abſolutum, & relictum elementum. Hæc ferè audiuimus hodie: cras & deinceps reliqua exſpectemus. A. non omittendum illud præterea conſilium quod dabat. Vt orthographicos libellos Aldi Manutij Pauli F. aliorumque volueremus. S. Diu eſt cùm hoc factito.

## ANNOTATIONES.

*HOc progymnaſmate aliquot, & quidem, vt videmur, bona, nec difficilia orthographiæ præcepta complexi ſumus, quæ Magiſter induſtrius diſtinctè diſcipulis, & paucioribus verbis ediſcenda commendabit. Noſtri autem propoſiti non eſt hæc & ſimilia ex inſtituto perſequi. Quin autem nonnulla* οὐδὲ πάρεργον, *& tanquam aliud agentes tractemus, facere nequimus: quandoquidem latinitatem in re literaria* διαλογικῶς *perſequimur.* In Typographéo) τυπογραφεῖον *locus eſt, in quo formis æneis libri deſcribuntur, inuento duorum fratrum Moguntiæ: primique omnium excuſi Lactantius Firmianus, & Auguſtinus de ciuitate Dei. Typographia, ipſa deſcriptio, ſeu* γραμματόδεσις. *Ineptè igitur ac falsò, In typographia fui, ſi lo-*

*locum intelligas. Verùm hæc & alia id genus infinita, quæ in lingua latina quasi herba irrigua succreuerunt vberrimè, quorúmque licet messem metere maximam, vt est apud Plautum, curiosiùs emendare velle ac diligentiùs, vereor ne sit apud simum odorem spargere, & bones inuitos plaustro subiungere.*

# PROGYMNASMA VNDECIMVM.

## Dimissio improuisa.

*GORGONIVS, THEOBALDVS. EVSEBIVS.*

GORGONIVS. De scholáne? T. De schola. G. Proripuistis vos inde, an potestatem abeundi obtinuistis? T. Neutrum. G. Quid igitur exeundi tempus ante capitis? nec dum enim secundam audiuimus, & exiri solet ad quartam demum. E. Quin taces? non displicebit tibi, simul rem intellexeris. Bonum factum té in nos incidisse; lætitia & lubentia onusti incedimus. G. Expedite breui. E. Præceptor nos dimisit lusum. G. Hui, lusum? Dies Mercurij præstitutus est, ad quẽ exerceantur ludi, nõ Martis. T. Scisciture ex alijs si lubet, & si inueneris secus, mẽtitos dicito. G. Ain' tãdẽ ita esse vt dicis? T. Quidni aiam? G. Qua propter dimisit hodie? qd natum est noui? quid viro in mentẽ venit? E. Duplex causa. G. Cedo. E. Vna, quia misit sanguinẽ è brachio dextro

quod videbamus illum geſtare in mitella bombycina, & nigra. T. Altera quia hodie dabit natalitia. G. Mulſa loquimini: iam aſſentior. Eſt enim vtraque cauſſa perquam veriſimilis: & in memoriam regredior, aliâs quoque nos ideo iuſſos redire domum, quia cum amicis diem ſuum natalem auĉturus erat. T. Nobis nec opinantibus hæc fortuna obtigit: ſiquidem ita ingreſſi eramus gymnaſium tanquam veteri more exituri. G. EV, probè. Nemo igitur hãc gratiam extorſit? E. Nemo, quod ſciam: ſponte ſua benefecit bonis. G. Omnium quantum eſt qui viuunt hominum optimus eſt homo. Verùm in iſto conceſſu, ſeu liberalitate ſui magis quàm noſtri rationem duxit: nam hæc lux, qua ipſe primùm lucem hanc aſpexit, & vitales auras hauſit, omnino hilaris ei, & ſine vlla perturbatione, moleſtiaque ſumenda eſt. E. Nos luſum vadimus rectà. G. Siccine eſt ſententia? E. Sic. G. Celeriter reuertar, & adiungam me vobis tertium. T. Vola curriculò: hunc diem ſuauem & amœnum agitabimus.

## ANNOTATIONES.

BOnum factum te) *Plinius de viris illuſtribus, vbi de Scipione Africano. Bonum factum ſi in Capitolium eamus, Sueton. Vitellio c. 14. Et Chaldæos dicere, bonum factum ne Villius Germanicus intra eundem Kalendarum diem vſquam eſſet. Plaut. Pœnula. Bonum factum eſt, edicta vt ſeruetis mea. Horum verborum vſus erit propriè in edictis, quib. illa veteres boni omnis cauſſa præponere, ac præſcribere præfarique ſolebant.*

*lebant. Tertull. Edictum, cui adscribi non poterit, bonum factum, Turneb. l. 3. c. 22. & alij.* Eu probe) *Particula approbantis seu laudantis, Græcè εὖ. benè, rectè, optimè.* Quantum est qui viuunt hominum) *Catullus creber est in illis. Et quantum est hominum venustiorum. O quantum est hominum beatiorum, pro, quotquot sunt, seu quam multi sunt homines venusti, beati. Sic Plaut. Persa Exi è fano quantum est hominum sacrilegissime. Idem, nisi fallor, alibi. Omnium quantum est qui viuunt hominum homo honoratissime.*

# PROGYMNASMA DVODECIMVM.

## Serus in ludum aduentus.

*MAGISTER, DISCIPVLVS.*

MAGISTER. Quousque tandem hoc festiuissimum, lepidissimumque frustum discipuli ad me audiendum, multo iam die, vltimum omninm ventitabit?

*Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo*
*Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit,*

inquit apud Martialem glis. Eho, aspice ad me, somni mancipium. Videte vt illi turgẽt oculi, vt sopori adhuc pleni sunt. Impexum est caput, illota facies, nõ apparet circum collum intima tunica, pendet indecorè in sinistrum latus pallium. Quid est quod stata hora nũquã expergiscaris? auscultate, vt componet sycophantias, & opplebit aures meas vani-

loquentia. D. Credas mihi affirmanti, tam matutinus hic adeſſem, quàm iſtorum vllus, ſi quiſpiam domeſticorum è ſomno me vellet excitare. M. Eia verò, quia laudator deeſt, ipſe te lauda. Quid tu ais? non te ad quintam, ſerò vtique, capit dormiendi ſatietas: vt è lecto allubeſcat ſurgere, explicata relegere, ediſcenda ediſcere, quò paratior ſcholam intres? D. Enimuerò nō poſſum profectò vltrò expergiſci. M. Nullus ergo domi tuæ ſeruus, nulla eſt ancilla, quæ te ſtertentē expergefaciat? D. ſunt famuli, ſunt ancillæ: at enim ne ipſi quidem primo diluculo ſuos lectulos deſerunt, ſomnoque, vt nos pueri, æquè paſcuntur. M. Vah, iſta ratio ponderoſa eſt. Parentes autem quî tandem hoc patiuntur? D. Neſcio, conniuent. M. Auſim ſponſionem facere, ni tu ab illis excitêre. Sed illa ipſiſſima cauſſa eſt: è ſtrato, vbi concaluerit, inuitiſſimè te moues, nunc potiſſimùm ſumma hyeme, ne conglacies. D. Ama me, illa veriſſima cauſſa eſt quam expoſui, nec alia. Proinde iram tuam mollire velis, & animum in me quietiorem accipere. M. Tu igitur (turpè) ex tanta diſcipulorum frequentia repertus es vnicus, qui neque per te euigiles, neque per alium. Quàm timeo ne mihi verba des. D. Non te circumuenio. M. Dedam alicui negotium, qui domi quærat num ita ſit, vt tute narrâſti modo. Si mentitum deprehendero neque fidem in poſterum dictis tuis tribuam, & pro fallacia iſta meritam tibi mercedem dabo. Iamne hoc tenes? D. Oppidò. Fortaſſis non fatebuntur illi culpam ſuam. M. Immò fortaſſis fatebuntur culpam

tuam, & dicent te ab ancilla clarre inclamatũ nihil consuêsse respondere: similiter ac si etiam tum arctè, & grauiter dormires. Quod si iteratò clamet & minetur, te nõnihil surrigere caput, & stridulo gutture quidpiam murmurare, velut ianuam in cardine: rursumq; super puluinum illud demittere, ac placidè, vt antea, sopori indulgere: & hanc esse vigilãtiam tuam, videriq; aut præacutis sudibus te fodiendum, aut faces tibi admouẽdas. D. Quod libido eorum feret comminiscantur: ipsi tamẽ gallos canentes nihil morantur: non surgunt. M. Tu verò ne post crebram quidem ancillarum vociferationem potes somnum excutere, ô pigerrime homuncio. Sed nũc intempestiuè de sõno lẽtia tua longo sermone vtimur, diemq; cõficimus. Cognoscam de domesticis tuis. Si fueris verax, rem tuam feceris meliusculam: sin erit, vt vanitatis in te culpam admiseris, tuipse clamore tuo omnes Endymionas vigilantissimos præstabis. Assequeris, puto, quorsum hæc spectet comminatio. D. Admodum, Præceptor.

## ANNOTATIONES.

FRustum discipuli) *Qui non est integer, qui non est totus discipulus, non verus, non germanus discipulus. Caussa patet. Plaut. Rud. propriè, & per hyperbolen. Loquere tu etiam frustum puer is? Id est, qui propter breuissimam staturam tuam magis dicendus es pars pueri, quàm puer.* Intima tunica) *Sic Gellius lib.* 10. *c.* 15. *Valerius, interior tunica. Græcè* χιτῶνιον ἐξώτερον. *Vide Brod. lib.* 6. *cap.* 7. *Vulgò indusium, subu-*

ſubucula. De quibus ita Varro lib. 4. Subucula quod ſubtus: induſium quod intus, ſubaudi geſtatur. Nonius ſic. Induſium eſt veſtimentum, quod corpori inter plurimas veſtes adhæret, quaſi intuſium. Quidam non in ſulsè, linea, & linteatunica. Auſim ſponſionem facere) Quid ſit ſponſio, quibus verbis conciperetur, vide Sigonium lib. 1. de iudicijs, c. 21 & Budęum in Pandect. Exponit etiam, quid ſit ſponſione, & ſacramento contendere. Manut. in epiſt. 21. lib. 7. Ne conglacies) Verbum glaciare tanquam actiuum extulit Horat. Ode 10. l. 3. & poſitas vt glaciet niues Puro numine Iupiter Cic. conglaciandi verbum abſolutè 2. de nat. Deor. Tum aquæ declarat effuſio, quæ neque conglaciaret frigoribus, neq; niue pruináue concreſceret. Cælius ad Cic. Curioni noſtro tribunatus conglaciat. Gallos canentes) Martial. lib. 14. Criſtatas lucis aues pulcherrimas periphraſi appellat.

Surgite, iam vendit pueris ientacula piſtor,
Criſtatæq; ſonant vndiq; lucis aues.

Ouid. autem 2. Faſt. Iam dederat cantum lucis prænuntius ales. Plinius l. 10. c. 21. Proximè gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in operæ mortalibus, rumpendóque ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum, quartáque caſtrenſi vigilia ad curas laboremq; reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diémque venientem nuntiant cantu, ipſum verò cantum planſu laterum. Et alia ibidem pulchra de gallis gallinaceis. Iam verò cauſſam, cur ante lucem galli canant, ex Democrito his verbis red-

*reddit Cicero lib. 2. de Diuinat. Depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo, cantus edunt, quiete satiati: qui quidem silentio noctis, vt ait Ennius, fauent faucibus. Lege fabulam Æsopi de muliere vidua & ancillis quas ad gallorum cantus excitare ad opera consueuerat.* Endymionas) *Canunt poëtæ Endymionem à Ioue somnum petiisse perpetuum, & captum amore Lunæ, quoniam hominum primus, vt ait Plinius lib. 2. cap. 9. motus eius varietatem, ac dissimilitudinem deprehendit. Cicero. 1. Tusc. Quasi verò quisquam ita nonaginta annos velit viuere, vt cùm sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne suos quidem id velint, non modò ipse. Endymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariæ, nondum (opinor) experrectus.*

# PROGYMNASMA DECIMVM TERTIVM.

## Silentium & attentio.

*SIGISMVNDVS, CÆLESTINVS.*

SIGISMVNDVS. Dupliciter peccatur ī gymnasio quotidie, ab alijs hoc, ab alijs illo modo. C. Quæ sunt ista peccata? S. Confabulari, & Præceptori non attendere. C. Qui prius designant, vtroque tenentur. S. Ita prorsus existimo. Verùm qui aliud agunt, alibi oculis curiosè diuagantur, p ngunt animalia, equites, stultos, libellos ineptos legunt, chartas &

scam-

ſcamna conſcindunt, illi in poſteriore genere culpam caſtigabilem committunt. C. Verè dictum ſentio, & noui quorum iſta eſt conſuetudo. S. Tu ipſe vnus de illis es. C. Egóne? S. Ita, næ. C. Falsò hoc in me vitium confers. S. Mentiri non eſt meum. C. Attentiſſimè audio. S. Non ſemper. C. Si quando eorum quæ tu coñemoraſti aliquid ago, quaſi ſi quid per tranſennam inſpicerem, & leui brachio id fit. S. Vt eleuat hic peccatum ſuum? C. Haud eleuo: vt loquor, ita res eſt. S. Quin eſt quando ſermunculos ſeris cum proximis. C. Demiror tantum tibi eſſe otij à reb⁹ tuis, vt aliena cures. S. Tam ſine pudore id perpetratis, vt non poſſim nō notare: videret vel cęcus, audiret etiã ſurdus. C. Viciſſim te captabo. S. Capta, non capies tamen. Sed extra iocum: deſiſte, ſi te amas, ab huiuſmodi virtutibus, & noli cùm te ipſum priuare tantarum vtilitatum fructu, tum alios impedire. C. Quos alios impedio, cùm tenuiſſimo ſono loquar? S. Qui propiùs tibi aſſident, dextrà, ſiniſtrà. & à tergo. C. Apage cum ſuperſtitioſa iſta religione tua. S. Amicè monenti volens obſecunda, & boni conſule: alioqui coactus, non mihi, ſed Magiſtro flagris te operienti obſecundabis. C. Adeò infanda hęc tibi peccata videntur? S. Magna procul dubio ſuo in genere. Nã quid indigniùs, ac turpiùs in ſchola delinqui poſſit, haud diſpicio. C. Niſi aut ego mutus fiam, aut tu obſurdeſcas, difficilè pax inter nos erit. S. Tu conſidera quorſum eas, & quid tibi futurum ſit. Auceps quando concinnauit aream, offundit cibũ: aues aſſueſcunt, ſæpe edunt: ſemel ſi ſunt captæ, rem

ſol-

soluunt aucupi. C. Intelligo parabolam. Opere maximo dabitur opera, ne fraudi sit hoc aucupium.

## ANNOTATIONES.

PEr transennam ) *Prouerbium, ortum à negotiatoribus & mercatoribus, qui cancellos vimineos, aut ligneos mercibus obiciunt, quæ transennæ dicuntur, quòd per eas aspectus transeat. Per huiusmodi igitur transennas non sigillatim, sed summatim, nec propè, sed procul res videntur. Cic. 1. de Orat. Quin tu igitur facis idem, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum veniſſes? si ea sepoſita, vt dicis, essent, túque valde spectandi cupidus esses: non dubitares rogare dominum, vt proferri iuberet, præsertim si esses familiaris: similiter nunc petes à Crasso, vt eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam vno in loco quasi per transennam prætereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, & suo quidq; loco collocet. Vt igitur per transennam aliquid inspicere, est non propè, nec diligenter, & in transitu inspicere: sic quasi per transennam aliquid agere, erit idipsum agere obiter translatione ab oculis ad sēsus alios, id quod sæpe fit.* Leui brachio) *Hoc, vt etiam illo, molli brachio, opera indiligens significatur. Hinc molli brachio aliquem obiurgare, leui brachio aliquid agere. Cicero ad Atticum. Translatum à parentibus & magistris fortasse, qui remissiùs filios ac discipulos verberant.* Quid tibi futurum sit ) *Quod admirantes, aut de malo aliquo siue accepto, siue accipiendo interrogantes dicere solemus, quid illi contigit? quid de illo fiet? quid mecum agetur? quid de*

*isto*

*isto faciam? & similia, Latini sic multò venustiùs: quid illi, quid mihi fiet? quid illi, aut, illo factum est? per dandi scilicet atque etiam auferendi casum, omissa præpositione. Cic. epist. 1. lib. 14. Si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Ibidem epist. 4. Quid Tulliola mea fiet? In Verr. Quid hoc homine faci es? Terent. Andr. Quid me fiet? Plaut. Trinum. Si quid eo fuerit.* Ne fraudi sit hoc aucupium) *Fraus pœnam quoque, damnum, periculum & incommodum veteribus significat: non modò deceptionem, fallaciam, atque dolum. Livius lib. 1. Rex, faciſne me tu regium nuntium popul. Roman. Quiritium? Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Cicero ad Lentulum epist. 5. Si quid ex his rebus quas tibi fortuna largita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi quàm tibi futurum. Et pro Cluent. Quæ res nemini unquam fraudi fuit. Id est, nunquam pœna dignum existimarunt, vel nunquam damno fuit. Terent. Heaut. In eandem fraudem ex largitate nimia, atque ex parsimonia incides. Id est, utrumque perinde damnosum est. Sed prioris illius significatus sunt duo bellissima loquendi genera apud Lucretium, dare fraudem alicui, & induere se in fraudem; quomodo dicimus induere se in plagas, in laqueos.*

PRO-

# PROGYMNASMA DECIMVM QVARTVM.

## Suggestio.

*MAGISTER, STEPHANVS DISCIPVLVS.*

MAGISTER. Sæpenumerò cũ minis seueriſſimis interdixi vobis pueri, ne ſubueniretis recitantibus, vbi eos deſerit memoria: vos nihilominus, qui mos eſt veſter, idem peccatum peccare nõ definitis, & patientia mea nimium abutimini. Iam poſtremùm moneo, prædico, & antè denuntio, tibi præſertim capillate, tibi bone Stephane, quem obſeruaui prẽter cẽteros in iſta noxia contrahenda diligentiſſimum, niſi temperaueritis ab iſta intempeſtiua beneuolentia, non ego mihi temperabo ab iracundia. S. Non ſoleo tam frequenter. M. Non ſoles? nemo quiſquam frequentiùs. Proſpice rebus tuis: nam acriter vlciſcar te, ſi vel ſemel ampliùs ſuggerentem conſpexero. S. Spero mitiora. M. Spera quæ vis, quod acciderit patienter ferto. S. Oportet me gratum eſſe aduerſus bene meritos. M. Etiam tu taces? Illa merita tua merebuntur, quod dixi, præmium. Itaque niſi finem datis mutuò bene merendi & imperium meum minuendi, faciam ego vt huius diei, lociq́ue, meiq́ue in omnẽ vitam memineritis. Et ego quidem verberando, vos vapulando defatigabimini. S. Crudele promiſſum. M. Nihil hoc genere puerorum pernicioſius in ſchola. Quid enim?

dum

dum hinc inde, dextrà leuaque, antrorsum, retrorsum recitantibus subueniunt, vbi eos memoria fugit, illos reddunt ignauissimos, & ipsi exspectatione similis beneficij socordia socordiores fiunt. Quisque sui memor, vt pœnam ne sentiat, punienda ne designet.

## ANNOTATIONES.

IDem peccatum peccare) *Atticismus est* χαρὰν χαρὰν, φόβον φόβῳ, πόνδας πόνδῳ, *Æschyl. Promet.* ἃ μὲ νοσεῖν τλῶδε τλῶ νόσον, *& similia multa, quæ etiam non luculenter græcè doctus nouit. Latini eodem modo, furere furorem, gaudere gaudium, canere cantilenam, currere cursum, somniare somnium, metere messem, pugnare pugnam, ludere ludos, aut ludum, quo postremo vsi sunt Plaut. Mostell. Terent. Eunuch. Horat. Ode 29. lib. 3.* Crudele promissum) *Hoc quasi non audiente magistro, summissa voce, aut auerso ad condiscipulos vultu dici intelligendum est, vt sæpe fit apud Comicos. Tale fuit, quod dialogo sexto in extremo posuimus, cùm puer mendax iam cædendus ita loquitur. Miser, ah miser, cui tam malè vertit dolus.*

# PROGYMNASMA
## DECIMVM QVINTVM.
### Absentes.

BENE-

*BENEDICTVS, AVGVSTINVS.*

BENEDICTVS. Multorum dierum interuallo non te vidimus in gymnasio, Augustine: nec tamen fuit, quod miratus sum vehementer, cùm Præceptor te requireret, aut mitteret, qui, vbi esses, & quid ageres inuestigaret. Cur abfuisti? A. Malè me habebam: idq; vt ne lateret Magistrum, curaui, quò bona cum eius venia, & tutò abesse liceret B. Meritissimò non apparuisti: si quidem est, vt autumas. Conualuistine? A. Nondum planè me confirmaui. B. Quamdiu ægrotâsti? A. Quamdiu me in schola non conspexisti. B. Haud equidem recordor quantum temporis abierit. A. Dies complusculi vndeuiginti omnino. B. Quid erat morbi? A. Febricula. B. Quo medicamento ei subueniisti? A. Inedia probè sola, qua maximos quosque morbos, & grauissimos depelli solere, aiebat Magister auctores i medicina claros & nobiles asserere. Vacuus mihi venter crepitare: ego floccipendere. B. Facili negotio consequêre, quæ inrerim præcepta nobis & explicata sunt. A. Sic mihi persuasi: & in eam rem, si non recusas, vtar tuis suppetijs. B. Repetam tibi omnia, & rectissimis tuis atque optimis studijs non grauatè obsequar. Quando te rediturum censes? A. Secundùm natalia Domini. At tu quid vagaris? cur non es in ludo? B. Eram in itinere cum libris: ecce tibi, pompa procedit ferentium instrumẽta gladiatoria, siue athletica. Ego illos sequi in aulam curiæ: ibi ludicrum illud certamẽ certantes spectaui voluptate mirifica. Nam vbi ætas maturuerit, eandem artem addi-

addiſcere cogito: quandoquidem diſciplinis liberalibus non eſt aliena. Noui perplures literatos, eoſdemque athletas non ſpernendos. A. Craſtina luce quam expurgationem habebis? B. Intendenda erit aliqua fallacia, quæ me virgarum periculo eximat: nox dabit conſilium. Si mendacium dixero, ſolens meo more fecero. A. Timeo ne aliorſum cadat res, & tu propter hanc curioſitatem ſpectandorum gladiatorum ſine vibicibus à Magiſtro non dimittare. B. Euaſi non ſemel, conflictis cauſſis abſentiæ. A. Beſtiæ quædam cùm canibus bis, ter, elapſæ fuerint, tandem capiuntur & pereunt. B. Oh, non adimet mihi vitam iſta verberatio. Gymnaſium flagrorum me appelles licet, quibus mea cutis induruit, vt ſi ad fumum pependiſſet. A. Tua res agitur. In quem exempla fient, quique clamauerit vſque ad rauim, illi, puto, aliquid dolebit.

## ANNOTATIONES.

VNdeuiginti) *Sic vndetriginta, vndequadraginta, vndequinquaginta, & deinceps. Vnum de viginti ſi auferas, manent decem & nouem: ita in aliis. Similis modus eſt, duodeuiginti, duodetriginta, duodequadraginta. Vtraque ratione dicendi crebrò boni auctores vtuntur.* Quo medicamento ei) *Primum eſt cauere, ne in morbum dilabamur. Cauebimus ſi ſeruemus quæ de tuenda valetud. à Plutarcho, à Marſilio Ficino, & ab aliis ſcripta ſunt. Proximum, vt ex illo conualeſcamus: quod quidem ſi non per inediam ſolam, at certè nunquam ſine inedia videmus fieri. Cauſſa enim*

enim ſublata, etiam effectus tollitur. Atqui morborum cauſſæ quæ ſunt aliæ, niſi humores vitioſi, ac nimij? humores autem vnde niſi è cibis oriuntur? Quorum moderationem ac delectum qui adhibent, & rariùs ægrotant, & citiùs curantur. Venter crepitare) Plaut. Menæch.

MED. Dic mihi, an vnquam tibi inteſtina crepitant, quod ſentias?

M. Vbi ſatur ſum, nulla crepitant: quando eſurio, tum crepitant,

Horatius ſat. 2. lib. 2. latrantem ſtomachum ſale & pane bene leniri affirmat. Nox dabit conſilium) Plutarch. lib. de Curioſit. noctem (velut amicam intelligentiæ) vocabant euphronen: videlicet arbitrantes quietem & aſſiduitatem illam, nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum quæ inquiruntur. Cicer. 2. de Orat. Nox te nobis, Antoni, expoliuit, hominemq; reddidit. Si mendacium dixero) Inter mendacium dicere, & mentiri Nigidius apud Gellium hoc intereſſe vult, quod qui mentitur, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere conatur. Qui mendacium dicit, ipſe fallitur. Vir bonus præſtare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Nihilominus hæc ſæpe confunduntur. Non adimet mihi vitam) Exemplum proiectæ in puero audaciæ. Tax tax tergo meo erit, inquit ille in Perſa, non curo. Gymnaſium flagrorum) hominem in quo aſſiduè verberando flagra & virgæ exercentur. Salutatio duorum ſeruorum in Plauti Aſin. hæc eſt. Le. Gymnaſium flagri ſalueto. Li. Quid agis cuſtos carceris?

LE. *O catenarum colone.* LI. *O virgarum lasciuia.* Tua res agitur) *Genus loquendi haud inelegans, cùm dicimus alicuius rem, famam, dignitatem, gloriam, salutem, caput, rem agi. Id est, in discrimine, periculoq; versari. Cicer. pro lege Manil. Aguntur bona multorum ciuium. De Orat. Agitur non solùm ingenij nostri existimatio. In Philipp. libertas agitur populi Romani.* In quem exempla fient) *Puniendorum peccatorum rationes tres adducit Gellius lib. 6. c. 14. Tertia ratio vindictæ est, inquit, quæ παράδειγμα à Græcis nominatur: cùm punitio propter exemplum necessaria, vt cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis grauissimisq; pœnis dicebant. Iam Latini dicunt exemplum prodere in aliquo, vt Cic. pro Flacco. In aliquo exemplum statuere, vt idem in 4. Verr. Exempla cruciatus edere in aliquem, vt Cæsar 1. de bello Gall. Exempla edere, vt Terent. Eunuch. Exempla faciam ego in te: aut sine præpositione (vt quidam legunt) est apud Plaut. Mostell.*

# PROGYMNASMA DECIMVM SEXTVM.

## Accusationes.

*HIERONYMVS, FELIX, MAGISTER, ALEXIVS, PANTALEON, BERNARDVS, EVARISTVS, GERVASIVS, CYPRIANVS, DAVID, IONAS.*

HIE-

HIERONYMVS. Papæ, quid tu audaciſſime locum alienum occupas? F. Alienum? H. Ita loquor, alienum. F. Tuúmne? H. Meum, inquam. F. Non eſt hic locus tuus. H. Cuius eſt? doce me. F. Meus. H. Age ſi quid agis. F. Quid ego agam? H. Reſtitue meum mihi locum, quem inuolaſti. F. Si tuus ſit, reſtituam. Aufer hinc iurgiũ, ſi ſapis. H. Pręceptor, iſte mihi iniuriam infert. M. Quid illic clamoris exoritur? H. Felix, dum ego aliquanto poſt tempus venio in ſcholam impudenter vendicauit locum meũ. F. Falsò me accuſat: teneo locum meum. M. Quid tu ad hæc? H. Quia honoratior eſt locus, idcirco me abſente auſus eſt in alienam poſſeſſionem irruere. F. Non irrui. H. Irruiſti: reſtitue debitum. F. Nihil debeo. M. Dirimam litem. Meridianis horis parati inſtructiqúe ad concertationé eritis. Tum ſi tu Felicem, Hieronyme, diſputando viceris, infimo ipſum loco, prope ianuam collocabimus, vt ei tutelam gerat, & humilietur qui ſe nouo exemplo exaltauerit. Sin ipſe te ſuperârit, retinebit hunc locum, quoniam te dignior omnium punctis cenſebitur qui hic ſedeat, & iuſtè eum repetere non poteris, mea quidem ſententia. F. Æqua conditio. H. Non detrecto hanc pugnam. Commutabo tibi nomẽ hodie, ſi viuam, vt pro Felice Infelix vocere. F. Minas tuas flocci pendo. M. Quos ego poſt tergum meum confabulantes audio? Heus, quinam modo inter ſe cõfabulati ſunt? A. Pantaleon & Bernardus. M. Linguati pueri, quare non ſilẽtio ediſcitis, quæ mox recitetis? P. Non ſumus confabulati. A. Eſtis, & diu ſa-

tis. B. Reuera non garriuimus. M. Quid fuit igitur? P. Interrogabam nonnulla Bernardum, quæ minùs intelligebam. M. Qua in re? B. In Catechismo. A. Hoc se facere simulabant illi quidem, verè autem de suis quibusdam nugis sermonem miscebant. P. Te tam audacter asseuerare? M. Hem astutiam: fatúrne rem Alexius? B. Certè hic minimè. A. Conuincam vos argumento palàm: etenim sententias quasdam retineo de sermunculo vestro. M. Premit aduersarius. Fateamini quod res est, & culpa vos soluã. Si pergitis inficiari, virgas cernitis? ijs non tam ob ruptum silentium, quàm ob mendacium tangam vos vsq; ad necẽ. B. Fatemur: de prandio hesterno, in quo simul accubuimus, colloquebamur. M. Cauete, alioqui pessimè cœnatos dimittam. E. Est quod exponã, Præceptor. M. Expone. E. Heri Geruasius, & Cyprianus se conuitijs alternatim consectabantur, vicissimq; pugnis onerabant egregiè. M. Vidistin'? E. Vidi cum fortè fortuna in eos ambulans incidissem. M. Quo tempore? E. Haud multò post, quàm solutæ sunt scholæ. M. Quo in loco? E. In publico, ante domum Cypriani. Mirabantur prętereuntes, & consistebant. Quin his auribus audiui qui dicerent: ô pueros malè moratos. Vtinam aliquis Magistro rem indicet, vt is ambobus pro dignitate stipendium numeret. M. Tantúmne est? E. Tantum. M. Facinus improbum, Surgite, & procedite in medium bellicosi hoṗuli. Hánccine disciplinam aut à parentibus vestris, aut à me percepistis? hæccine vos flagitia conscíscere? contumelias intorquere, & obserere pugnis sodales

suos?

suos? G. Goëgit me Cyprianus. C. Tu me coëgisti. M. Vtrumque nequitia sua coëgit: ambo furore & amentia impulsi ab officio discessistis; de hoc nulla est quæstio. Me tamen cogitis vobis pro isto conflictu mercedem liberalem, præsenti, & probata pecunia tribuere? Expedito mihi virgam, Euariste, de virgis melioribus, actutum. E. Curabitur. M. Quæ porrò controuersia conflauit hoc duellum? G. Irridebat me suspenso naso Cyprianus, quòd per femoralia indusium dependebat, & risu pæne emoriens, multis qui fortè circumstabant, audientibus: en, inquit, iste tam auidè cibum vorauit, vt ipsas quoq; mappas deglutiuerit. M. Magna verò, & sine dubitatione intolerabilis iniuria. Cur ad sartorem subligaculũ reficiendum non deportasti? G. Non aduerti esse lacerum. M. Non aduertisti? Sat argumẽti, te morum ciuilitatem nõ attigisse vel extremis digitis? Ad rusticanos cum isto Geruasio: qui cum vrbanus sit, vrbanum nihil habet. Iam, quas tibi contumelias imposuit? C. Nebulonem, & proditorem me appellabat. M. Quibus tu Geruasium epithetis contrà cohonestâsti? G. Subulcum, & asinũ me nominabat. M. Hoc fuit tubis cecinisse; deinde extemplò secutũ est prælium, ventum ad manus, contudistis alterutrũ: nóñe? G. Factũ. heu. C. Ac nisi me in pedes dedissem, cerebrum mihi diminuisset: sic iracundia & furore exarserat? M. Ego, vt munificus Imperator, istis duobus tam strenuis bellatoribus propter generosissimã velitationem dabo donatiuum. Et quia Geruasius ob caussam leuiorem tantoperè non debuit excandescere,

cere, dabo illi maius. Te quoque docebo Cypriane, huiusmodi scurrilibus iocis, & intempestiua dicacitate abstinere de cætero. Ite, & ad præmia capienda resolutis ligulis vos comparate. P. Præceptor, Alexius pingit. M. Alexi, quid facis? A. nihil. M. nihil? at iam faciam tibi aliquid. Exhibe chartã. A. nihil est. M. Ostende sine mora. A. Quæso. M. Videam. O Alexi, ecquando in ludum pictoris iuisti? quam graphicè adumbras canes & ceruos? Suppone siniſtram ferulæ: suppone, ecquid audis? A. ah, ah, M. Concerpito. Si rursus deprehendero pingentem, scis quid tibi depicturus sim? A. Scio. D. Præceptor, licétne pauca? M. Quid dicturus? D. Ionas non habet librũ. M. Vbi est liber tuus? I. Amisi. M. Siccine rem tuam custodis? Domine, an in schola, an in via? I. Nescio. M. Quæsiuisti? I. Tanquam si aciculam quærerem. M. Nisi tu ante noctem repereris, cras in te exemplum edetur, vt ne quis deinceps perdat libros suos.

## ANNOTATIONES.

OMnium punctis) *Horatius ad Pisones. Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci. Omne punctum ferre, est omnibus omnium sententijs atque suffragijs aliqua re dignum, seu in aliquo præstantem iudicari, seu placere vniuersis. In suffragijs, inquibus magistratus, vel leges, vel tale quid rogabatur, binæ, nisi fallor, tabellæ singulis suffragium laturis dabantur: quarum altera punctum sine dubitatione, altera nihil, vt ego puto, scriptum habebat. Itaque qui fauebant, tabellam puncto inscriptam: qui aduersabantur, alteram in eiſtam conijciebant. Hinc Cicer. pro Plancio dixit tribus*

bus nonnullas punctis totidem tulit. Idem Tusc. 4. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate bonorum loquar? Quæ flamma est, per quam non concurrerint ij, qui hæc olim punctis singulis colligebant? Corrad. in Brut. Pugnis se onerabant) Plautus Amphit. Onerandus est pugnis probè. Sic onerare maledictis in Pseud. Onerare lætitia senem, in Cap. Cicer. ep. 10. lib. 3. Onerare aliquem mendacijs. Plauti sunt etiam, pugnum impingere, Bacch. Pugnis aliquem contundere, ibidem. Pugnum in os impingere pugnis pectere, pugnis aliquẽ incursare, Rud. & Pseud. Pugnis cædere, Amphit. Pugnis concisus, ibidem. Dabo donatiuum) Munus, seu donum quod populo dat Princeps seu Imperator, dicitur Congiarium, de quo Sueton. in Octauio, Cap. 41. & Caligula cap. 17. Quæ autẽ largitio fit in milites, vltra stipendia, videlicet ob victorias, adoptiones, inaugurationes Cæsarum, ea donatiuum vocantur. Budæus in Pandect. Steuechius ad cap. 20. lib. 2. Vegetij. Attamen idem Suetonius, non malus latinitatis auctor, libello de claris Rhetorib. cap. 3. cùm de Sex. Clod. agit, vocem, congiariũ, pro dono vsurpat, quo quis priuatim à Principe afficitur, his verbis. A quo (Antonio) mox Consule ingens etiam congiariũ accepit, vt ei Cicer. in Philippicis obijcit. Eodẽ modo in Iulio cap. 27. Et in Vespasiano cap. 18. & Cælius epist. 1. l. 8. Plancus, inquit, magno congiario donatus à Cæsare. Seneca item ep. 29. Scrutabitur scholas nostras, & obijciet philosophis cõgiaria, amicas, gulam. Sic videtur. Cic. vsus, epist. 6. lib. 10. ad Attic. Ante noctem repereris) Quod Grammatici quidam ex versu Ouidij 1. Metamorph. Tu non inuenta, reperta es,

*inter inuenire & reperire hoc discriminis esse volunt, vt illud sit cum labore diu quæsitam rem assequi: hoc, fortuitò oblatam nanciſci, istuc nihil est: Nam & reperio clarissimi scriptores dixerunt pro eo, quod est operæ studioq; adhibito adeptus sum: & inueniri ab ijsdem dici videas, quod non est quæsitum. Legendus Alex. ab Alexand. & in eum Tiraquellus lib. 4. cap. 17.*

# PROGYMNASMA DECIMVM SEPTIMVM.

## Petitio lusus.

### PHILIPPVS, MAGISTER, PVERORVM TVRBA.

PHilippus. Memoriter memini, Præceptor, dixisse te aliquando nobis, necessariam esse in rebus vicissitudinem, nec durare posse, quod alterna requie careat. M. Quid tum postea? quam ob causſam tu id mihi nunc subijcis? P. Haud sanè inconsultò, ac temerè tuam hoc loco repetiui sententiam. M. Ergo quid te mouit? dicito. P. Quoniam res quędam est quam me à benignitate tua impetra tū auferre volo. M. Memora puer. P. Si molestè non es laturus. M. nisi tu iniustum quid à me petas, indignè non feram, quidquid petiueris. Nā vt iusta ab iniustis petere insipientia est: sic iniusta à iustis impetrari non decet. P. Ne tibi lubeat sinistrum suspicari. Iustè ab iustis iustus sum orator datus, & aduenio omnibus

bus lubentibus, vt quod in rem noſtram communem ſit, hoc à tua lenitate obtineam. M. Eloquere, quid eſt quod obtinere geſtis? P. Paullum eſt. M. Quin tu vno verbo dic, quid eſt? P. Iam dies effluxêre cõplures, ex quo libris ſemper affixi fuim⁹. M. Trabalibus clauis, opinor. Suboiet quorſum euaſurus ſis. Bene habent tibi principia. Pertexe telam, ſed aptè, vt ne compellam te retexere. P. Et exercitationibus auditionum, ſcriptionum, recitationum, concertationum pæne exhauſti ſumus. M. Itáne verò? Exhauſti? O me in diſcipulos atrocem, ô crudelem. P. Nec vnquam nobis vel ad momentum reſpirare, vireſque feſſas reparare datum eſt. M. Vt res ſuas exaggerat? quodque contritum vetuſtate, prouerbium: ex muſca elephantum. P. Quare vehementer & ſummiſsè te rogamus, Præceptor noſter, pomeridianis horis ad luſum remiſſionemque animi deſcendere tuo conceſſu licitum ſit. M. Æquiſſimum poſtulas. Verùm ego his conditionibus hanc poteſtatem largior. Vt abſq; tumultu ludatis néue quis alteri turbas ciere inſiſtat. Vt ante quintam ad libellos redeatis. Vt deinceps manibus pedibuſque, cum haſta, cum ſcuto, quod aiunt, ad veſtra ſtudia incumbatis. P. Iuſtæ conditiones: accipimus, vt pro tota ſchola reſpondeam. M. Capeſſe curſum: condiſcipulos affice tam bono nuncio. P. Gratias magnas, ingentes, tibi agimus, humaniſſime atque optime Præceptor. Heus heus pueri. PV. Nunquid nam apportas noui? frontẽ exporrexiſti, hoc omen placet. P. Oneratum lætitia pectus apporto. Ego

veſter

veſter hodie orator & exorator fui apud Magiſtrũ. PV. In quo? P. In ludendi venia. PV. Voluptatẽ magnam nuntias. Habemus ergo rem factam? P. Factam. PV. Bene factum, & volup' eſt. Deus te bene amet. Ludemus igitur? P. Niſi mauultis inhærere libris. PV. Valeant libri. Ludamus; ſocij, euge ludamus. P. Silete, non permittit gratis ludere. PV. Qua mercede? P. Vt abſque inconditis clamoribus, abſque ſtrepitu, crepitu, fremitu: ſic enim interpretor quod dicebat de tumultu & iurgio vitandis. PV. Fiet. P. Vt ante quintam ad libros nos recipiamus PV. Fiet. P. Vt deinceps neruis omnibus diſcamus. PV. Hîc melius eſt reſpondere, fiat, quàm fiet: optare, quàm promittere.

## ANNOTATIONES.

PEtitio luſus) *Quomodo ſtirpes mediocribus aquis aluntur, abundantibus ſuffocantur: ſic animus moderatis creſcit laboribus, nimijs obruitur. Danda eſt ergo pueris à continentib. laboribus reſpiratio: idq; in animo habendum, totam vitam noſtram in remiſſionem eſſe, ſeriumq; ſtudium diuiſam. Plutarchus de lib. educand. Quintil. lib. 1. cap. 3. Danda eſt tamen omnibus aliqua remiſſio: non ſolùm, quia nulla res eſt, quæ perferre poſſit continuum laborem, atq; ea quoque, quæ ſenſu & anima carent, vt ſeruare vitam ſuam poſſint, velut alterna quiete retunduntur: ſed quod ſtudium diſcendi voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Plura ibidem de luſibus puerorum.* Neceſſariam in rebus viciſſitudinem) *Seneca epiſt. 36. Obſerua orbem rerum*

*inter*

*ſuter ſe remeantium. Videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere. Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit. Hyems cecidit, referent illam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Stellarum iſte diſcurſus quidquid præterierit, repetit. Pars cæli leuatur aſſiduè, pars mergitur.* Plutarchus *de lib. educand. Quam ob cauſſam non vigilia modò, ſed & ſomnus inuentus eſt, neque bellum duntaxat, ſed & pax: neq; ſine ſerenitate tempeſtas: neque ſeria negotia tantùm, ſed & feriæ. Vtq; in vnam ſummam contrahamus, requies laborum eſt condimentum, & quæ ſequuntur.* Alterna requie careat) *Quid. Quod caret alterna requie durabile non eſt.* Pub. Syr. *Iucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.* Memora puer) *Vt Græcis παῖς, ſic Latinis puer pro ſeruo, pro filio, pro eo, cui contrarium eſt puella, pro ætate, annisq; primis capitur. Numero autem multitudinis vtrumque ſexum comprehendit Gell.* Trabalibus clauis) *Claui trabales grandes claui ſunt, quibus confinguntur trabes. Figere aliquid trabali clauo, prouerbium. Cic. in Verr. vt hoc beneficium (quemadmodum dicitur) clauo trabali figeret: id eſt, confirmaret & conſtabiliret. Telum trabale 12. Æneid. eſt ingens & magnum telum, inſtar trabis.* Ne compellam te retexere) *Alluſum ad dictum vetus. Penelopes telam retexere, id eſt, inanem operam ſumere, & deſtruere quod effeceris. Hom. Odyſſ. 2. caſtiſſimam illam & fidiſſimam viro ſuo Penelopen procos connubium eius flagitantes, & impotenter iam inſtantes hoc modo*

*elu-*

*eluſiſſe ſingit. Promittit ſe rupturam, vbi telam, quam tum haberet in manibus, pertexuiſſet. Quam conditionem cùm illi non repudiâſſent, callida mulier, quod per diem texuerat, per noctem diſſoluebat. Bellè autem ea de re Propert. eleg. 9. lib. 2.*

*Penelope poterat bis denos ſalua per annos*
*Viuere, tam multis fœmina digna procis.*
*Coniugium falſa poterat differre Minerua,*
*Nocturno ſoluens texta diurna dolo:*
*Viſura & quamuis nunquam ſperaret Vlyſſem.*
*Illum exſpectando facta remanſit anus.*

Num quidnam) *Terent. Andr. Vt ſciam nunquidnam hæc turba triſtitiæ afferat. Nunquidnam amplius tibi cum illi fuit? & aliàs quoque Cicer. 2. de Orat. Quid vos tandem, Craſſus. Numquidnam, inquit voui?* In ludendi venia) *Hæc vox non ſemper ad culpam refertur, nec perpetuò ea vi effertur, qua in Amphitrione Plautus, vt hoc pro ſexcentis adducam.*

*Per dexteram tuam te Alcumena oro, obſecro.*
*Da mihi hanc veniam, ignoſce irata, ne ſies.*

*Sæpiùs etiam poteſtatem, & petitionis conceſſionem approbationem notat. Cic. pro Archia. Quæſo à vobis vt in hac cauſſa mihi detis veniam. de Orat. Date nobis hanc veniam, vt ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini. Cornific. in 4. ad Herennium. Veniam ad vos, ſi mihi ſenatus det veniam. Plaut. Trin.*

*IV. Ob eam rem hæc, pater, autumaui, quia res quædam eſt quam volo.*
*Ego me abs te exorare. PH. Quid eſt? veniam iam dare geſtio.*

*Æmi-*

*Æmilius Probus in Themistocle. Huius Rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliare, veniam dedit. Annuit videlicet ei concessit, quem petebat, ad discendam linguam Persicam. Iterum in Pausania. Quòd si eam veniam sibi dedisset. Sic, cùm verbum, licentia in vitio semper putetur esse, proferatúrque è Terent. Deteriores omnes sumus licentia, id secus est. Aliquando enim honestam potestatem significat, & dare licentiam est, ἐξουσίαν δίδοναι. Cic. 1. Offic. Nec quenquam hoc errore duci oportet, vt si quid Socrates, aut Aristippus contra morem consuetudinemq; ciuilem fecerint, locutiue sint, idem sibi arbitretur licere. Magnis enim illi, & diuinis bonis hanc licentiam assequebantur. Et in 3. Nobis autem Academia nostra magnam dat licentiam, vt quodcunque maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. His duobus locis haud existimo rectè facturum, si quis licentiæ nomen immoderatam libertatem, impunitatemq; interpretetur.*

# PROGYMNASMA DECIMVM OCTAVVM.

## Idem argumentum.

### PHILIPPVS, MAGISTER.

PHILIPPVS. In memoria mihi est, commendasse te aliquoties nobis requietem, & otium à continuatis studiorũ occupationibus, cùm, haud

scio

ſcio ex quo poëta, verſiculum illum recitares, Interpone tuis interdum gaudia curis. M. Optimum eſt: vellem peridde fixiſſes animo tuo alia permulta, quæ non ſemel de me audiuiſtis. P. Compactò ad te venio. M. Quapropter venis? P. Vt quidpiam abs te auferam. M. Vt aliquid auferas? hem. Ergo furatum huc veniſti, quantum intelligo. Scin' quomodo ſe tibi res habet? tute auferaris faxo, cùm te in manifeſto facinore deprehenſum, loris adeò benignè cooperuero, vt veſtigium facere non poſſis. P. Ridicularia nihil moror: alio, & interiore ſignificatu hoc verbum cepi: quod præterue&tum eſt mentem tuam M. Impetrabundus, vt ſic dicam, ingreſſus es. P. Facultatem ludendi vt abs te impetrarem, ideo huc aditum tuli, M. Morem antiquum atque ingenium hic adoleſcens obtinet: magis de ludo, ſomno, quàm Alexãder Macedo de orbe terrarum ſub imperium ſubiugando cogitat. Cùm dies ſtatus venerit, tum ludes ad laſſitudinem, contradicente nemine. P. Mi Præceptor, ſine nos luſitare ſecundùm meridiem. M. Non ſino neque tu iſtam rem in ſpe aliqua habueris. P. Quare tam præfracte recuſas? M. Quod vos ſimiliter ſatis præfracte indiligentes, & ignaui eſtis. P. Immò certè diligentes. M. Quàm iniquè comparatum eſt, vt nemo vnquam libenter ſemetipſum fateatur malum? omnes ſeſe amant. P. De reliquo ſenties nos quàm ſtudioſiſſimos. M. Quod promittunt pueri, in vento & rapidâ ſcribere oportet aqua. P. Obſecramus (nam ego totius ſcholæ perſonam recepi) ne te hodie inexorabilem præbeas.

beas. M. Res ex compoſito geritur, quod ſentiebam equidem à principio. Actum agis, abi. Tempus diſcendi, tempus ludendi. P. Hodie ſudum ad deambulandum per amœna camporum, & vmbroſa vallium nos inuitat, qua commoditate hoc toto menſe caruimus: quippe cùm in ſingulos pænè dies pluuiam tolerauerimus. Opprimenda videtur quæ præter ſpem obuenit occaſio. M. Non moriemini, Philippe, hac quidem de cauſſa, ſi luſionem differatis in perendinum. P. Sed ſi rurſum cadant pluuiæ, & cogamur domi reſidere, tanquam ſi dati ſumus in carcerem? M. Tum vos indigniſſimè vexatos prædicabunt etiam ipſi lapides. Licet domi quoque ſub tecto, & ſecuriùs ludere. P. Licet ſanè quidem, at foris ſub dio longè iucundiùs: vbi certamus curſibus in ſtadio, vt Olympionicæ, & venationes inſtituimus, aliaque delectamenta, quæ præſens ſæpe vidiſti. M. O importunum flagitatorem. Sit poteſtas ambulandi foras, & ludendi. Dicite Hypodidaſcalo verbis meis, vti vos proſequatur, proſpiciatque ſedulò, ne quid poſtea querimoniarum ad me deferatur. P. Deus det tibi, Præceptor integerrime, quidquid voles.

## ANNOTATIONES.

INterpone tuis interdum) *Danda eſt remiſſio animis, meliores acrioresq; requiete ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt inperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus, aſſiduus labor frangit. Vires recipient paul-*

paulùm resoluti & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam & languor. Lege c. 15. Senecæ, de Tranquill. animi. Adeò benigne) Vsum quendam reconditum & elegantem huius adverbij, cùm videlicet ei, qui nobis aliquid offert, significare volumus, gratiam quidem ipsi habere nos, sed tamen eius dono nullo uti; explicat Muret. ex Horat. annotat. in Eunuch. Terent. In vento & rapida) locus erit in promissis, & rebus inconstantibus, quæ nihil habent firmitatis, Græcis ἐς πτερὰν γράφειν in cinere scribere. Nam & cinis à vento facilè dispellitur, & commissa non retinet. Contrarium est, in mente insculpere, quod Cicero sapiùs, & Græci dicunt γράφειν ἐν φρεσὶ Æschyl. Prometheo ἐγγράφου σὺ μνήμονα διανοίᾳ φρενῶν. Inscribe tabulis mentis memoris. Vide scholiasten ibid. Terent. And. etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis. Victor l. 9. c. 13. Sed de superiore locutione pergamus dicere. Catull. ad Ortalum,

*Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis*
*Effluxisse meo forte putes animo.*

Tibull. eleg. 5. lib. 1.

*Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurúsq; Notusq;*
*Iactat odoratos vota per Armenios.*

Lucret. lib. 4. Tu fac ne ventis verba profundam. Virgil. Æneid 9. Sed auræ Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant. Et 10. Nec ferre videt sua gaudia ventos. Horat. Ode 26. lib. 1.

*Musis amicus tristitiam & metus*
*Tradam proteruis in mare Creticum*
*Portare ventis.* Ouid.

Ouid.

*Quæ tibi ſunt facienda tamen cognoſce, nec Euris*
*Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.*

*Exiſtimabant enim antiqui, ventos interpretes & nuncios eſſe, noſtráſque preces & vota ad deorum aures deferre, & noſtra verba, in ſumma omnia. Hinc eclog. 3. Partem vtinam venti dictum referatis ad aures. Et Ouid. 10. Metamorph. Detulit aura preces ad me non inuida blandas. Quæ autem vota non eueniebant, & irrita cadebant, ea ad deos non eſſe perlata à ventis, ſed vel diſſipata, vel procul in regionem longinquam auecta arbitrabantur. Hinc: quæ nunc Caurusq; Notúſque, &c. atq; his affinia. Denique quidquid euenire nolebant, aut auerſabantur & abominabantur, vento differri diſiiciq; optare ſolebant, aut pernici curſu procul amandari & aſportari iubebant. Tibull. lib. 3. eleg. 4.*

*Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,*
*Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.*

*Turneb. lib. 1. c. 23. Victor. lib. 30. cap. 8.* Sudum) *Sine vdo, cælum ſerenum, ſine nubibus, aut certè non pluuium. Nonius. Sudum dicitur quaſi ſemiudum, vt eſt aër poſt pluuias, ſerenus & liquidus. Cicer. ad Tironem lib. 16. Horologium mittam, & libros, ſi erit ſudum. Plaut. Milite.*

*Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,*
*Quàm ſolis radij eſſe, olim cùm ſudum eſt, ſolent.*

*Idem Rud. Quin pertegamus villam dum ſudum eſt. Virgil. 8. Æneid. Arma inter nubes cæli regione ſerena, Per ſudum rutilare vident. Omittant ergo adoleſcentes dicere: eſt pulchrum tempus, eſt bona aura,*

*iam ſplendet ſol, ſimileſqúe modos inquinatiſſimos.* Amœna camporum) *Graeci ſubſtantiuum patrio caſu ſolent efferre* πανδαῖα τῶν πραγμάτων, μεγάλα τῶν ξύλων, οἱ σοφοὶ τῶν ἀνδρῶν, αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων. *Huiuſmodi apud Poëtas quam plurima. Virg. 1. Æneid. Miratur portas, ſtrepitumq́; & ſtrata viarum, pro ſtratas vias. Sic Lucret. lib. 1. Strataq́; iam vulgi pedibus detrita viarum, Saxea conſpicimus. Idem, clauſa, opaca domorum, rara viarum, vt Virg. anguſta viarum. Apud Horatium amara curarum, vana rerum, abdita rerum. Apuleius vno loco habet haec omnia: ardua montium, lubrica vallium, roſcida ceſpitum, gleboſa camporum. Plinius dicit, ouorum oblonga, & nigra lanarum. c. 48. l. 8. Liuius, ſubita rerum, incerta caſuum. Vides Latinis adiectiuum mutari in genus neutrum? idq́; planè perpetuum eſt.*

# PROGYMNASMA DECIMVM NONVM.

## Ludus ex pacto conceſſus.

*MAGISTER, PVERI VII.*

MAGISTER. Nimis crebrò ludendi copiam, perinde, vt ſi quæratis cibum ante famem, potum ante ſitim, requiem ante laborem: vultis enim remittere cogitationes, priuſquam eas poſt remiſſionem rurſum intenderitis. Itaque vereor ne facilitas mea veſtros corrumpat animos. P. I. Tan-

Tantummodo duas horas largire nobis in gratiam D. Cassiani, quem à discipulis pueris, librarijs scalpellis, stilisque æneis immisericorditer vita & spiritu priuatum perhibent. M. Permittam equidem ludere, sed qua conditione? PV. II. Hoc tuæ potestatis est. M. Hac nempe, vt è vobis septem ludant ij, qui vel apophthegma, vel simile, vel sententiosum ex poëta versiculum, vel Ciceronis gnomicum aliquid, vel tria prouerbia, vel Æsopicam fabellam memoria protulerint. PV. I. Ego, si placet, fabellam narrabo. M. Audio. PV. I. Hœdus fortè à grege cùm deerrâsset, eumque lupus insequeretur, conuersus insequentem sic est affatus. Mi lupe quandoquidem tibi escam me futurum scio, quò iucundiùs moriar, quæso, primùm cane tibia, vt saltem. Lupus canere cœpit, & saltare hœdus. Tum canes id audientes, lupum acerrimè institerunt persequi. Is sese ad hœdum vertens: meritò, inquit, hoc patior: oportebat enim me, cocus cùm sim, tibicinem non agere. Docet apologus, eos qui negligunt ad quæ natura sunt idonei, & quæ aliorum sunt exercent, in incommoda sæpiùs incurrere M. Dicat secundus. PV. II. Virg.

*Optima quæque dies miseris mortalibus æui*
*Prima fugit. subeunt morbi, tristisque senectus;*
*Et labor: & duræ rapit inclementia mortis.*

PV. III. Cicero. Graue est homini prudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putat: ne id quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in merce potiùs, quàm in beneficij loco numerare videatur. M. Elegãs, & verissima sentẽtia.

PV. IV. Ignis non extinguitur igni. M. Explica. PV. IV. Malum malo non emendatur: iram non ſedat iracundia, ſed lenitas: aduerſos caſus reddit leuiores patientia, iniuria ſuperatur beneficio. M. Bellè: Iam ſecundum profer, nam tria imperaui. PV. IV. Annoſa vulpes haud capitur laqueis. In eos valet, qui ob longinquam ætatem multarumque rerum vſum callidiores ſunt, quàm vt arte, dolisque decipi queant. Optimè. PV. IV. Canis fæuit in lapidem. In eos, qui mali ſui cauſſam non veris auctoribus adſcribunt. M. Audiamus iam quintum. PV. V. Nihil occurrit mihi. M. Nihilne? hem. PV. V. Nihil prorſus. M. Ne luſeris; Sextus. PV. VI. Vt grauiore pœna multandi cenſentur, qui venenum non in vnum aliquem craterem, ſed in fontem injciunt, vnde omnes bibunt: ſic ſceleratiùs peccant, qui Principum, quàm qui priuatorum ingenia peruertunt. M. Præclarè dictum à Plutarcho ſcilicet. PV. VII. Diogenes formoſas mulieres, quæ pudicitiam in propatulo habent, ſimiles dicebat mulſo letalibus ſuccis temperato: quòd afferrent quidē initiò voluptatem, ſed quam perpetuus dolor conſequeretur. M. Senſibus hæc imis, res eſt non parua, reponite, Fugite fornicationem, & templa Dei ne facitote membra meretricis. Ergo omnes, dempto illo vno, qui fuit ἀσύμβολος ad ludendum properate: verumtamen, vt poſtuláſtis, horas non amplius vnam & alteram. PV. I. Præ gaudio vbi ſim neſcio.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

QVi vel Apophthegma) *Tale pretium lusûs à pueris magistri postulent, quo ipsi potius dantes, quàm accipientes rem faciant, atque ita etiam indicia eorum exerceant, vt non sint quouis apophthegmate, versiculo sententioso, fabellâ, prouerbio contenti: sed iis demum, in quibus plus acuminis, lepôris, grauitatis, vtilitatis inesse videatur.* Cocus cum sim) *Idem contigit lupo, qui aculeum roganti asino, quem deuoraturus erat, summis dentibus è pede extraxit. Cùm enim illiso calce frontem & nasum ei comminuisset, dentesque excussisset, & iam celeriter aufugeret: meritò, inquit lupus, hæc mihi merces redditur, quoniam qui didici iumentorum esse lanius, cur eorum volui esse chirurgus?* Optima quæque dies) *Hos tres versus interpretatur Seneca libro de breuitate vitæ, cap. 9. his verbis: Clamat ecce maximus vates, & velut diuino furore instinctus salutare carmen canit. Quid cunctaris? inquit, quid cessas? nisi occupas, fugit: cùm occupaueris, tamen fugiet. Itaq; cũ celeritate tẽporis vtendi velocitate certandum est. Velut ex torrente rapido, nec semper casuro citò hauriendum est. Hoc quoque pulcherrimè, ad exprobrandam infinitam cogitationem, quod non optimam quamque ætatem, sed diem dicit. Quid securus, & in tanta fuga temporum lentus, menses tibi, & annos, & longam seriem, vtcunque auiditati tuæ visum est, exporrigis? de die tecum loquitur, & de hoc ipso fugiente. Lege cætera vsque ad finem cap. Epist. porrò 108. docens quo pacto Grammaticus hos*

*uersus, & quo Philosophus consideret, rursus illos doctissimè explanat.* Qui principium, quàm qui priuatorum) *Cicer. de leg. Nec tantum mali est peccare Principes (quanquam est hoc magnum per seipsum malum) quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt. Nam licet videre quæcunq; mutatio morum in Principibus extiterit, eandem in populo secutam, &c. Isocrates ad Nicoclem.* δῆλόν γὰρ ὅτι τοιούτας ἕξουσι τὰς βασιλείας, οἵας περ αὐτὰς αὐτῶν γνώμας παρασκεύάσωσιν. *Certum est enim, ita sese regna ipsorum habitura, quomodo ipsi animos suos excoluerint.* Perpetuus dolor) *Notum illud Demosthenis de Laide:* οὐκ ἂν ἐνὸς μυρίου δραχμῶν μετανοίαν *Vulgò, pœnitere tanti non emo. Gellius lib. 1. cap. 8. En quid in Prouer. Salomon sapientissimus de muliercula meritoria. Inclinata est ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Nulli autem, vt Seneca scribit cap. 6. de breuit. vitæ. turpiùs occupati sunt, quàm qui nulli rei nisi vino, & libidini vacant: cæteri etiamsi vanæ gloriæ imagine teneantur, speciosè tamen errant. Licet auaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel bellatores, omnes isti virilius peccant. In vinum, & libidinem proiectorum inhonesta labes est, &c.*

PRO-

# PROGYMNASMA VICESIMVM.

## Nox transacta.

*GABRIEL, LAVRENTIVS, NAZARIVS.*

GABRIEL. Saluere iubeo sodales meos, te Laurenti, & te Nazari. L. Nos te vicissim. Vt vales? valuistin? nam te quatuor ipsos dies nunquam oculis vsurpauimus. G. Paulò deteriùs, quàm heri, & nudius tertius, quartus, quintus. N. Quamobrem? G. Propterea quod ista nocte quæ præcessit proxima, haud placatè dormiui. L. Malè narras. Aliquo fragore nimirum iterum iterumque expergefactus. G. Fragor quidem nullus me perturbauit: sed. N. Sed quid? G. Mirum atque inscitum somniaui somnium. N. Quod somnium? G. Terriculamentorum plenissimum. L.

*Somnia fallaci ludent temeraria nocte.*
*Et pauidas mentes falsa timere iubent.*

G. Non eò dico, quia nunc metuam: sanè quidem nouo metu fractus omnino, ac debilitatus cohorrui, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. Videbar enim (oblitus sum perpetrati piaculi) ad subsellia iudicum seueriſſimorum raptari à lictoribus, inde condemnatus ad mortem duci. Iam carnifex rhŏphæam distringebat vt caput meum à

ceruicibus amputaret. Amabò, quid vos animi in illo omnium grauiſſimo, præſentiſſimoque periculo haberetis? L. Ingenuè dicam quod ſentio. Ego qui vel muſcas præteruolantes horreo, ante mortem ipſam morerer. N. Abeant ſomnia in malum cruciatum: nos vota Deo faciamus, vt mala ſomniorum tenus, & bona quæque vigilantibus nobis eueniant. G. Quid verò? vos hac nocte quieuiſtis ex ſententia? N. Ab octaua veſpertina ad ſeptimam matutinam iucundiſſimè: & toto proflabam pectore ſomnum. L. O factum pulchrè. Macte noua virtute puer, ſic itur ad aſtra. Ego ad intempeſtam noctem legi, donec me lucerna deſeruit. N. Tu alter Demoſthenes eris. Prô diſcendi ardorem inſolitũ! L. Tibi inſolitum, & gregalibus tuis, qui libidinem in ſomno habetis. N. Parciùs iſta viris tamen obijcienda memento. Laurenti, nos, vt nôris, quieti noctem, labori diem impendimus, ad naturæ præſcriptum ſcilicet: cui repugnare, quid eſt aliud, quàm gigantum more cum dijs bellare? ait apud Ciceronem Cato. L. Apage cum iſtac propugnatione ignauiæ tuæ. Nam hoc, crede mihi, nunquã obtinebis, vt te ſomniculoſum, & laboris fugitãtem ne iudicem. N. Quod lubet. Ideóne aut ero qui non ſum, aut non ero qui ſum? G. Quî deinde, mi Laurenti, ſomnum inire potes, cùm ita peruigiles? L. Cœna terreſtris eſt mihi: quocirca inter me & ſomnũ perbene cõuenit: cùm volo, me obtinet: cùm nolo, me relinquit. G. Malim equidem tuas vigilias, quàm huius rhonchos. N. Ecce autem ſecundum aduerſarium.

Noli

Noli tu quoque, Gabriel, me ludos facere, cùm hoc Laurentius affatim præstiterit, & in isto officio te anteuerterit. Quod nisi desistis, Magister mox aderit, quo disceptatore bellum vtrique indicam. Ibi cognoscetur, quantum vestris peruigilationibus consecuti sitis. G. Caueto ne istos tibi spiritus comprimamus. N. Vestras ego linguas ita occludam, vt de somno meo ne mussare quidem audeatis. L. Eris mihi magnus Apollo. G. Res ipsa iam erit testimonio. Audióne aduenientem quempiam? Præceptor est, verè est, ipsus est.

## ANNOTATIONES.

QVatuor ipsos dies) *Quatuor integros dies. Locutio vsitata. Cic. ad Att. lib. 3. epist. 21. triginta dies erant ipsi, cùm has dabam literas, & epist. ad Cælium. Ego cùm Athenis decem ipsos dies fuissem. Et epist. 8. lib. 6. ad Attic. Detraxit viginti ipsos dies.* Malè narras) *Cùm quid lætum & animis gratum nuntiaretur, dicere tùrue, bene narras dicebant: cùm triste, aut quod nollent, malè narras. Item vbi quid accidisset prosperè & optato. O factum bene. Bene factum, & gaudeo. Factum optimè. In contrarijs. O factum malè. Malè factum. Exempla multa in Plaut. Terent. Catull.* Somniaui somnium) *de somnijs & somniorum generibus consule Macrob. in Som. Scip. lib. 1. cap. 3. Valerium lib. 1. cap. 7. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 26. Nihil autem tam præposterè, tam inconditè, tam monstrosè cogitari potest, quod non possimus somniare. Cicer. 2. de Diuinat. Vnde somnia tetra, ex Platone idem lib. 1.*

*expli-*

explicauit. Somniare nos autem ea plerumque, quibus dediti fimus, & in quibus animo, cùm vigilaremus, occupati fuimus, docet his verſibus ornatiſſimis Lucretius lib. 4.

Et cui quiſq; ferè ſtudio deuinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Atq; in qua ratione fuit contenta magis mens
In ſomnis eadem plerumq; videmus obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges,
Endoperatores pugnare, & prælia obire,
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum,
Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum
Semper, & inuentam patriis exponere chartis.

Nouo metu) Seruius in Eclog. 3. ad illum verſum: Pollio & ipſe facit noua carmina, exponit (noua) magna & miranda. Et rurſum Eclog. 9. nouas lites, id eſt, magnas. Eadem vis eſt verbi huius in illo 4. Georg. Huic percluſa noua mentem formidine mater. Cicer. Nouum cum vocibus inauditum, inuſitatum, admirabile coniungit. Ante mortem ipſam morerer) talia dicuntur ὀξύμωρα, id eſt ſententiæ, quæ ita ſunt acutæ, vt videantur fatuæ. Apud Græcos frequenter occurrunt. Eurip. Hecuba. νύμφιον ἄνυμφον, παρθένον ἀπάρθενον Sophoc. Aiace. ἰχθρῶν δῶρα ἄδωρα. Ariſtoph. βίον ἀβίωτον. Huiuſcemodi ſunt Ciceroni, Cum tacent clamant. 1. Catil. In ſepulta ſepultura 1. Phil. Ipſam victoriam victiſſe videris, pro Marcello. Eloquentia obmutuit, in Brut. Inſaniens ſapientia, Horatio Ode 34. l. 1. Magnas inter opes inops. Ode 16. l. 3. Concordia diſcors epiſtol. 12. l. 1. Plaut. Aulul. In opib⁹ magnis pauperes. Et

ſiti-

*sit ibundos in medio Oceani gurgite. Ouid. de fortuna; Et tantum constans in leuitate sua est. Vide Victor. lib. 10. c. 12.* Alter Demosthenes) *Vigilabat multùm Demosthenes, & ad lucernam orationes suas diligentissimè elaborabat. Id cùm ei Pythias per iocum obiiceret, ac diceret orationes ipsius ὀλιγέλαιον ὄζειν, lucernam olere, respondit: melius hoc quidem, quàm si hircum. Idem interrogatus quo pacto tantam sibi eloquentiam comparasset: plus olei, inquit, quàm vini consumpsi. Celebrantur præterea lucernæ Aristoph. Grammat. & Cleanth. Epicteti autem Stoici lucernam fictilem tribus drachmarum millibus emptam tradidit Lucianus. Ac solent certè inter studiosos literarum qui ardentiùs amant suas artes, atq; in ijs cupiunt excellere, ad lucernã lectitare & scribere. Hinc Prouerb. de re meditata, magnaq; cum sedulitate facta: lucernam olet. Nisi fortè à Demosth. aliorumq; lucernis natum est. Non queo præterire, quod Niceph. de Theodosio iuniore scriptum reliquit: cap. 3. lib. 14. Sacrorum librorum eorundemq; interpretum congerendorum adeò fuit studiosus, vt ex laude Ptolomæo inferior non esset. Noctu eis legendis operam nauauit, lucerna se sponte sua, machinula quadam mouente: sibiq; ipsi oleum infundente: vt ne quis ministrorum eius in laboribus huiusmodi molestiam quampiam subiret, neq; vim naturæ cum somno colluctans inferret.* Idcóne aut ero) *Aristoteles libro de interpretat.* ἐπεὶ δὲ διὰ τὸ καταφάναι, ἢ ἀποφάναι εἶναι, ἢ μὴ εἶναι. *Non quia affirmatum, aut negatum sit ideo res erit, aut non erit. Apud Plaut: in Capt. cùm Hegio senex mortem Tyndaro seruo minaretur, à quo delusus fuerat,*

*illeq;*

illéque ſubiecisſet: *Qui per virtutem peritat, non interit*, excipit ſenex:

*Quando ego te exemplis excruciauero peſſimis,*
*Atque ob ſutelas tuas te morti miſero:*
*Vel te interiſſe vel periſſe prædicent,*
*Dum pereas, nihil interdico, dicant viuere.*

Cœna terreſtris) δεῖπνον αἷμα ἐκ ἔχον. cœna ſine ſanguine, conſtans ex ijs, quæ è terra naſcuntur, ex herbis & leguminibus, vilibus dapibus inſtructa, ob quam nullæ cæſæ animantes: eratq; pauperum, & plebeiorum hæc cœna. vide Victor. l. 7. cap. 16. Muſſare) Ex litera μῦ, υ pronuntiato, vt Galli, u, fiunt mutire, muſſare, muſſilare. Et quoniam μῦ ſeu mu, proprium eſt mutorum, qui hanc ſyllabam proferre ſolam poſſunt, ſignificant illæ voces μῦ ſeu mu facere, id eſt, tacere, obmutescere, hærere, quid dicas non habere. Nonius, Muſſare eſt hominum occulta & depreſſa voce loquentium, quod celatum velint. Nunc teſtes aliquot producamus, ad vſum vocis cognoſcendum. Plaut. Milite. Ergo ſi ſapis, muſſitabis. Et Caſina. Ita omnes ſub arcis, ſub lectis latentes metu muſſitant. Lucret. lib. 1. Sed quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant. Virg. 12. Æneid. muſſat Rex ipſe Latinus, Quos generos vocet, aut quæ ſe ſe ad fœdera flectat. Expone igitur (ne muſſare quidem) vt eſt in adagio, ne μῦ quidem facere, quod eſt, omnino tacere: quanquam & μῦ, ſeu mu dicere, eſt nihil loqui.

PRO-

# PROGYMNASMA VICESIMVM PRIMVM.

## Virgæ.

*VALENTINVS, SIMON.*

VALENTINVS. Túne ignorans, Simon, Magistrum heſterno die pomeridianis explicationibus finitis, pueros aliquot virgatum miſiſſe in ſuburbanum nemus? S. Prô dolor, qualem hiſtoriam, quàm terribilem auditu? Quis retulit? V. ipſemet vnus fui de illo ternario. S. Multáſne confeciſtis? V. Bene multas, bene craſſas, bene longas. S. Væ, væ. V. Haud libenter vtique in eam rem locaui operam. Sed quid agas? accerſit, accurrendum: præcipit, faciendum: vetat, intermittendum eſt. Niſi extemplò pareas, primódum acris increpatio, increpationem acriores plagæ comitantur. Ego verò præoptârim quamuis multas ex arboribus defringere & colligare virgas, quàm virgarum cauſſa virgis lacerari. S. Non improbo quod mandanti parueris, cùm ipſemet non aliter facturus fuerim. Recentibus, & flexilibus virgis, atque vt tute confirmas, tam craſſis peius metuo, quàm arefactis, gracilibus, vſuque ipſo detritis. Huiuſcemodi tres quatuorúe elapſa hebdomade, cùm primus ſcholam introgreſſus, nullum præter me conſpicarer, confregi, confractas in hortum de feneſtra abieci. V. Nulla te religione tactum tã periculoſum feciſſe facinus? S. Haud te præterit,

non

non fieri ſine periculo magnum & memorabile facinus. Non multum interceſſit temporis, cùm Magiſter ira inflammatus auctorem, & conſcios noxæ inueſtigauit. Negantibus reliquis, ego quoq; negare liquidò, & fingere alia omnia. V. Cur non es confeſſus veritatem? S. Cur? quia mercedem nimis grādem huic confeſſioni deſtinatam, ſummum ſcilicet in cruciatum me venturum eſſe intelligebam. V. Ne chorda oberres eadem: nam in tales (nec ipſorum immerito) ſæuire mos eſt Præceptoribus: videntur quippe oſores, & inimici iuſtitiæ. S. Volebam iſta gratificatione meum honorare corpus, & vos ſingulos. V. At nullus extitiſſet, qui ſi ob commiſſa verberibus accipiendus fuiſſes, ipſe ſuum corpus pro te ſuppoſuiſſet. S. Rectè. Omnes ſibi melius eſſe malūt, quàm alteri. V. Cæterùm non eſt quod timeas: prius exareſcent omnes virgæ, quàm tu cædare eò tolerabiliores erunt. S. Ecquis præſtabit me vel vnum diem fore tutum? frequenter vna interrogatiuncula, cui reſpondere nequeas, in extremum te periculum adducat. V. Quàm vellem reperiretur aliqua via euadendi iſtas percuſſiones, ſeu carnificinam potiùs. S. Alia nulla eſt, niſi vt diſcamus quā diligentiſſimè, quò ab iſtis plagoſis, & eiulātibus ſcholis, ad felices illas, tranquillas, & quaſi beatorū inſulas trāsferamur. V. Hoc intra triennium nō erit. S. Eheu. V. Deterrimo loco ſumus. S. Attamen eo, quo fuerunt quondā, qui nunc ſunt Iurecos. Philoſophi, Oratores: quo fuit ipſe Præceptor: ſi quidē in pueris fuerūt omnes. Adhæc nō eſt nobis dedecori multari virgis

à do-

à doctorib. in gymnasio. Populo inspectãte per vias oppidorum cædi atrociter à carnificib. ob edita scelera, hoc est in turpissimum sempiternumq; dedecus incurrere. Quòd si vociferis elatissimè, minus sentiuntur ictus. V. Tantò ferit ille validiùs, quantò tu clamas horribiliùs. S. Ob clamoris magnitudinem cessare interdum cogitur. V. ô vafritiem. Caue ne os tibi obturet, aut lignum transuersum inserat. S. Hic esset Phalarismus, meo quidẽ animo. Preces & obtestationes itẽ non mediocri emolumento sunt illo tempore. V. Assentior, & nunc redeo in memoriam, te non ita multos ante dies ideo percussum leuiter, pauciq; ictibus, quòd te statim moritutũ clamares, & per diuina, humanaq; omnia, perq; extremi Iudicij diem, vt tẽperaret obsecrares. S. Vnde vnde auxilium, Valentine, in tam horrendo discrimine accersendũ est. Egomet mihi, sibi quisque est charus.

## ANNOTATIONES.

VIrgatum) *Vt aquatum, lignatum, pabulatum, frumentatum, quæ sunt bonis scriptoribus familiaria. Nouauimus igitur hoc verbum similitudine. Sic virgatores. Plautus Asin. Cæsar. lib. 1. de bell. ciuil. Cuius etiam sunt, lignator, aquator: vt Liuij pabulator. Rursus Plauti virgidemia in Asin.* Fingere alia omnia) *Dictum, vt ire in alia omnia, quod est epist. 2. l. 1. & apud Cælium lib. 8. ad Ciceronem. Sic præco clamabat boni omnis caussa, pro, qui non censetis. vide explanat. Manutij.* Omnes sibi melius) *Terent. Andr. Plato 5. de eleg. Hoc est quod dicunt, vnumquemque sibi naturâ amicum esse, idq; rectè fieri. Aristot. Et hic. lib. 7.*

Non-

*Nonnullis videtur quemque ſibi potiſſimùm amicum eſſe.* Præſtare) *Præſtare interdum Iurecoſ. pro, exitum rei in ſe recipere, vel alienæ culpæ diſpendium velle luere: vt præſtare euentum, præſtare promiſſum alienum* Sic Cicero *ad Vatinium epiſt. 11. lib. 5. De ſeruo Dionyſio, ſi me amas, confice: quamcunque ei fidem dederis præſtabo. Et 1. de Orat. Perge verò, Craſſe: iſtam enim culpam, quam vereris, ego præſtabo. Id eſt, ego in me recipio. Græci* ἐγγυᾶσθαι. *Budæus in Pandect.* Beatorum inſulas) *Plaut. Trinum.*

*Sicut fortunatorum memorant inſulas,*
*Quò cuncti qui ætatem egerunt caſtè ſuam*
*Conueniant.*

*Vbinam ſitæ ſint iſtæ inſulæ, & qualis earum natura, Muretus politiſſima deſcriptione docebit, cap. 1. lib. 5. Horat. Ode 16. Epod. Homerus Odyſs. 4. Strabo lib. 5. Plinius lib. 6. cap. 32.* Minus ſentiuntur ictus) *Clamore corpus intenditur: intenta autem quàm remiſſa magis reſiſtunt plagis, & pulſibus. Etiam qui armis & ferro concurrunt, hanc cauſſam habent, cur vociferentur. Nobiſcum faciunt illa Cic. Tuſc. 2. Nec verò vnquam ne ingemiſcit quidem vir fortis, ac ſapiens, niſi fortè vt ſe intendat ad firmitatem: vt in ſtadio curſores exclamant quàm maximè poſſunt. Faciunt idem, cùm exercentur athletæ. Pugiles verò, etiam cùm feriunt aduerſarium, in iactandis cæſtibus ingemiſcunt: non quòd doleant, animóue ſuccumbant: ſed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.* Perque extremi iudicij diem) *Videamus num iſtud (extremus dies, ſiue extremum iudicium)*

*pluri-*

*pluribus, & ornatiùs, planeq́; oratoriè dici possit. Dies ille formidolosus, quo die vniuersi mortales in iudicium vocabuntur, totius vitæ rationem reddituri. Dies ille, quo hominum corpora è somno mortis ad lucem alterius vitæ excitabuntur. Dies, quo nobis omnibus iterum dabuntur vitæ lumina, & ad Christi omnes tribunal sistemur. Quando ad vitam renocatis quotquot vnquam nati sunt, Dei filius è cælo ad iudicium exercendum, sententiámque pronuntiandam descendet.* Vnde vnde) *Huius ordinis sunt, vt vt, vbi vbi, qua qua, qualis qualis, quantus quantus, pro vndecunque, vtcunq́; vbicunque, quacunque, qualiscunque, quantuscunque. Donat. in Andr.*

# PROGYMNASMA VICESIMVM SECVNDVM.

## Colloquium in schola.

*GEORGIVS, THOMAS.*

GEorgius. Oho Thoma, iam vlciscar me. Frequenter abs te accusatus, paria reponam. T. Aliquoties accusaui te, non eo inficias: sępius, nego. G. Quare autem vel aliquoties? D. Quòd cõmerueras, & mihi quoque non plus est parsum ab alijs. G. Nunquam te læsi. T. Imò reum me fecisti. G. Nunquam. T. Quid est porrò quod me cogitas accusare, quid culpæ contraxi? G. Scamnum cultello scriptorio conscindis, quod prohibuit Præceptor: & tuum

nomen incidis, quod grauiùs prohibuit: eaque de re flagris alios accepit. T. Oro te, tace: cera complebo sulcos illos, aut radam lignum, ne appareant literæ. G. Hui consilium callidum. Quid dabis in loco mercedis? T. Summisse, ne audiat Magister. Pulcherrimum de globulis meis. G. An tulisti tecum? T. Non omnes. G. Quot habes? T. Septem. G. Monstra, si placet. T. En. G. Sunt elegantes. Facísne mihi copiam eligendi quem præcipuè probauero? T. Facio. G. Hunc eligo. T. Istum eligeres: meo enim iudicio relinquit alterum præstantia. G. Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem T. Ergo istum, paullò minorem. G. Sine, tentem. Nimium paruus est. T. Retinebis igitur, quem primum omnium sumsperas. G. Ita faciam. Quàm venustè nigro albóque distinctus venulas quasdam ostentat? Emistíne, an lucro acquisisti? T. Lucro. G. A quo? T. A Leonardo nostri vicini filio, quîcum persæpe ludo. G. Si tam scitè factis abundat globulis, prouocabo illum ego similiter ad certamen. T. Vix aliquando vincitur: peritissimus enim huius scientiæ puer est. G. Et me lusorum non vltimum esse cognoscet. At at, comprimamus orationem: Præceptor de cathedra descendit, ne confabulantes inueniat, & ad pœnam vocet. Profectò haud multùm abest à nobis infortunium.

## ANNOTATIONES.

NAturæ) *puerilis & in hoc, & in alijs præterea quã plurimis vtriusq; noluminis dialogis spero à me admo-*

*adumbratam, si minus expressam, & depictam imaginem. Mirum sanè, quàm illa iniuriarum impatiens, ad par pari referendum, ad delicta celanda, ad ludendum ingeniosa atque prompta sit, quæ quidem hoc loco à nobis insinuata sunt. Quæ autem alijs, & sparsim, eorum testem aduocare visum est Cic. V. de finibus. Eos, inquit, parui agnoscunt, à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterq; se cum his congregant, dantq; se ad ludendum, fabellarumq; auditione ducuntur, deque eo quod ipsis superat, alijs gratificari volunt: animadnertúntque ea quæ domi fiunt, curiosius, incipiuntq; cõmentari aliquid, & discere: & eorum, quos vident, nolunt ignorare nomina, quibúsque rebus cum æqualibus decertant, si vincunt, efferunt se lætitia: victi debilitantur, animosq; demittunt, & quæ sequuntur.*

# PROGYMNASMA VICESIMVM TERTIVM.

## Arma scholastica.

*MICHAEL, AMBROSIVS.*

MICHAEL. Scholam petentibus nobis in dies singulos, ac pænè incolentibus, cùm instrumenta, vt alijs cuiusuis generis artificib⁹ sua, necessaria sint, illorumque appellationes quædam mihi exciderint, obsecro, quod sine molestia tua fiat, redige illas in memoriam meam, & velut sub vnum aspectum subijce vniuersa. A. Forsitan non subibunt

animo omnia: quanquam adeò multa non sunt. Verũ si quid nesciero, ait Plautinus Pseudotyndarus, id nescium tradam tibi. M. Non vertam vitio, aut non recordari, aut nescire te, quod ipsemet vel nesciam, vel non meminerim in præsentia. A. Interroges licet, quò commodiùs accipias, quæ cupis. M. Sic agam, & ad duo capita, quò distinctiùs res agatur, argumentum totum reuocabo. A. Ad quæ? M. Scholastici aut legunt, aut scribunt: quocirca duorum generum instrumentis indigent: vnis quę ad lectionem ipsis inseruiant: alteris quę ad scriptionem. Videórne opportunè distribuisse. A. Et valde quidem. M. Enumera iam quæ referuntur ad primũ genus. A. Liber, libellus, quò spectant pagina, pagella, margo, seu ora libri, inuolucrum, seu operculum, quo vestiuntur libri, vt ab iniuria vetustatis, & puluerum conseruentur. Huc filum, acum, ceram, quorum apud nos non infrequens est vsus, referre potes. Eodem pertinet pluteus. M. Quid est pluteus? A. Pluteorum alius dicitur armarium, siue repositorium librorum, qui etiam in forulis reponuntur. Alius est tabula, seu scrinium, quod sibi scribentes subijciunt: barbaris pulpitum. M. Habeo ista: procede ad cætera. A. Restant nomina secundi ordinis. M. Quænam illa? A. Charta, siue papyrus. Iam chartarum alia vocatur augusta, tenuis nempe & candida ad epistolas accommodata: appellata sic est ab Augusto. Alia dentata, alia bibula, quæ transmittit literas, alia Claudiana, regia, imperialis, amplo folio, & crassa, alia emporica mercibus inuoluendis

ido-

idonea, vnde cuculli fiunt, alia charta virgo, ex qua nullum est descriptum exemplar, alia pura, in qua nihil est literarum, alia pergamena, quoniam apud Pergamum Asię vrbem inuenta sit: etiam membrana dicitur. Hęc de chartarum generibus. Atramentum scriptorium, siue librarium. M. Cur ad didisti scriptorium siue librarium? A. Quòd aliud est atramentum fuligineum, quo vtuntut typographi, aliud sutorium: quanquam consuetudo, quæ est verborum domina, nihil solet adijcere. Atramentarium, calamus absolutè seu calamus scriptorius. Cultellum graphiarum, seu scalpellum, scalprum librarium vocat in Vitellio Suetonius, vt docti annotârunt. Theca calamaria, seu graphiaria, theca, siue pixis puluerariа, siue arenaria. M. An non putas alijs quibusdam armis nos indigere? A. Immò: sed prę-cipua recensui. Sunt ergo insuper forfices, clepsydra, regula, circinus æneus, & nonnunquam, pęrsertim in æstate, cùm Sirius ardor findit agros, & versiculi componuntur, moderatus vini haustus.

*Ingenium potis irritat Musa poëtis,*
*Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.*

Inquit Propert. M. Optatissimum verò instrumentum: nominâsses hoc primo loco. A. Nam quia carmina lætum sunt opus, vt cecinit Ouid. vinum exhilarat animum. Et sæpe audisti illud Ecclesiastici: *Vinum lætificat cor hominis.* M. Probabilius dixisses, pecunia quoque in instrumento opus esse scholasticis, idque non interdum, sed continenter: qua suppeditante, multò hilarior fit mens, quam vini

potu: & pecunia vinum emi potest, vino pecunia non emitur: emi certè quidem non dicitur. Nunc de hoc in me collocato beneficio multùm te amo, tibique gratias ago.

## ANNOTATIONES.

ARma Scholastica) *Armorum nomine non bellica modò, verùm etiam quarumuis artium atque rerum instrumenta intelliguntur. Agricolarum arma sunt ligones, sarcula, plaustra, vomeres, &c. Nautarum rudentes, vela, antennæ. Virgil. Georg. 1. Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma. Æneid. 3. Colligere arma iubet, validisq; incumbere remis. Et sua item pistorum. Æneid. 1. Tum Cererem corruptam undis, cerealiáque arma, Expedient fessi rerum. Concorum ollæ, sartagines, cochlearia. Studiosorum libri, calami, &c. Sacerdotum breuiaria, quæ vocant, missalia, calices, &c. Cic. in Bruto, ingenij, auctoritatis: in Oratore, prudentiæ: in Catone, arma aptissima senectutis artes & exercitationes? Quintil. arma facundiæ dixit.* In forulis reponuntur) *Meminit forulorum in Octauio Tranquillus, c. 31. in hæc verba. Quidquid fatidicorum librorum Græci, Latiniq; generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undique cremauit: ac solos retinuit Sibyllinos. Hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Alia vocatur augusta) *De hoc, vt idem de alijs chartarum generibus, Hieratica, Liuia, Saitica, Teneotica, Corneliana, Faniana, legendus Plinius lib. 13. cap. 12. & Turneb. lib.*

*lib. 7. cap. 2.* Alia dentata) *Apri, aut etiam equi dente leuata. Quod item nunc, vbi quid scribimus accuratiùs, facere solemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam: quò calamus quasi currat expeditius. Hæc Manutius in epist. 14. lib. 2. ad Q. F. Reprehendit deinde Erasmum, qui charta dentata, pro acerbè, & iracundè scripta interpretatus sit.* Alia emporica) *Hac mercatores vtuntur pro inuolucris & integumentis mercium, tanquam ad scripturam inutili, & crassa nimis.* Aliud Sutorium) χάλκανθος *Græcis, à quibusdam vitriolum. Galenus inter maximè noxia pharmaca numerat nec tutò ijs medicamentis admisceri putat, quæ per os assumuntur. Significat item colorem, quo corium sutores ad calceos faciendos imbuunt. Cic. epist. 21. lib. 9. Hoc verò, qui Lilybęi à Pompeio nostro interfectus est, improbior nemo, meo iudicio, fuit. Iam pater eius accusatus à M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Quem locum aliter explanat Manut. aliter Turneb. lib. 6. cap. 1.* Sirius ardor findit) *Caniculæ exortu accendi solis vapores quis ignorat? cuius syderis effectus amplissimi in terra sentiuntur. Plinius lib. 2. cap. 40.* Moderatus vini haustus) *Vinum parcè ac moderatè sumptum, ingenium acuit, vt alia multa bona quæ affert omittam. Immodicè, immoderatéq; haustum rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam imminuit, omnem animi vigorem quodammodo eneruat atque interficit. De hilari autem animo ad versus pangendos necessario, & de enthusiasmo in hunc modũ Cicero ad Q. F. epist. 4. l. 3. De versibus quos tibi à me scribi vis, deest mihi quidem opera, quæ non*

*modò tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνδυναστώς. Non enim sumus omnino sine cura vementis anni. Epist. 5. Opus est ad poëma quadam animi alacritate, quam plane mihi tempora eripiunt.*

# PROGYMNASMA VICESIMVM QVARTVM.

## Inuitatio Magistri.

*DISCIPVLVS, MAGISTER.*

DISCIPVLVS. Pater mihi pro imperio dixit, amantissime doctor, vt simul ac docendi finis esset factus: & dimissus auditorum cœtus nec latum pedem abs te discederem, nisi mecum ires domum nostram ad prandium. M. Præter opinionem ista vocatio, penitusque insperata mihi accidit. Egóne ad prandium? Renuntia salutem à me patri tuo: tum isti eius humanitati verbis meis gratias age, & narra: Præceptorem tuum de veteribus amicis in hunc ipsum diem exspectare quendam inuitatum ad prãdium: timereque ne ille postea in se illusum arbitretur, si inuitatorem suum non inuenerit. D. Legitimam excusationem tuam haud contemnet pater, vt reor. Veruntamen vt vnà esse velis hodie in cœna, te impensè, mi Præceptor, rogamus. M. Alienum est moribus meis cœnare foris, nisi quàm rarissimè, & si quis precib. me fortè expugnauerit. D. Qua

de

de cauſſa? M. Rogas? Quoniam cùm non plus ferè quàm acetarium cum minutis piſciculis, cum fruſtulo agninæ, aut vitulinæ cœnitare conſueuerim vereri ſoleo, ne conuiuis hilarioribus ob ſtatam, vt apparet, Xenocrateam victus moderationem aliquid moleſtiarum aſpergam: ſæpius item ſtomachi auerſionibus laboro. D. Vt ita ſit, & te ſine arte menſa delectet, tamen (quod ex ore tuo audiui plus millies) ſermo feſtiuus, qui in conuiuijs adhibetur, etiam quidam cibus eſt, quo velut condimento epularis illa amicorum accubatio commendatur. Proinde ſi comedere de patinis omnibus minùs libuerit: at patrem, & qui vnà diſcubuerint tuorum lepôrum ſuauitatibus, illisque rerum geſtarum, quibus multum dediſti ſtudium, vtiliſſimis iuxtà, atque deſideratiſſimis commemorationibus recreare etiam atque etiam, & hilares opera aduentuque tuo hilariores reddere poteris. M. Gaudétne parẽs tuùs rerum antiquarum notitia? D. Vt qui maximè Quidquid ipſi vacui, ac liberi temporis conceditur, perire non ſinit, hiſtorijs legendis conſumit. M. Pluréſne affuturi ſunt in cœna, & qui? D. Cur iſtud quæris? M. Imitor Chilonem, quem narrat Plutarch. cùm vocaretur, non antè foras promiſiſſe, quàm eorum qui eôdem inuitarentur nomina ſingulatim cognouiſſet. D. Cur ita tandem? M. Dicebat quibuſdam neceſſe eſſe vnà nauigare, aut militare, eorum etiam moleſto comitatu atq; contubernio vtendum eſſe. Vltrò autem quibuſcunque ſe admiſcere conuiuis, non eſſe ſani hominis. P. Prę-

ter

ter patruum, auumque maternum, qui crebriùs adsunt nemo mortalium. M. Qui vtrumuis nôrit, ambos nouerit: viri sunt honesti, & graues. Referes ergo patri, me hominem esse non multi cibi, sumptuosisque cœnis non amiciſſimum: atque ad eum, quando ita vult, colloquendi potiùs, quàm edendi causſa sub vesperam esse venturum. D. Quacunque gratia ad domicilium nostrum accesseris, tuo aduentu omnibus nobis magnam es lætitiam oblaturus.

## ANNOTATIONES.

VOcatio) *Vocare dicebant veteres, nihil adijcientes, cùm ad cœnam, seu prandium subintelligerent. Plaut. Asin. Vocet conuiuam neminem, illam tu voces. Mœnech. Qui neque vocantur neque vocant. Cic. epist. 20. lib. 9. Nos iam tantum habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? vocare sæpiùs audeamus. Catull. ad Fund. Qui tunc vocat me, cùm malum legit librum. Vocatores quoque seruos nominabant, quorum opera in vocandis conuiuis vterentur. Ipsam præterea inuitationem vocationem. Catul. ad Porcium & Socrat.*

*Vos conuiuia lauta sumptuosè*
*De die facitis, mei sodales*
*Quærunt in triuijs vocationes.*

*Sic Græci* καλοῦντες, *subintelligentes*, ὀψοφαγίαν, *&* κλήσεις *ipsas vocationes, seu inuitationes huiusmodi. Victor. l. 5. c. 17. Vocandi verbo è regione respondet, renocare: id est, cum apud quem conuiuio acceptus hilarè*

*larè fueris, vicissim ad te inuitare. Cætera Ianus Gulielmus Quæst. in Amphit. Plaut. cap. 8.* Vt vna esse velis) *Donat. illud Terent. A ad. fortè (ita vt fit) filium perduxêre illuc secum, vt vnà esset mecum, exponit: vt simul cibum caperet, priore natura producta, à verbo edo. Sic in Eunuch. vt de symbolis essemus, id est, vt commessaremur. Apud aliquem autem cœnare, non est cum illo cœnare; sed in eius ædibus. Et potest aliquis cum aliquo, nec tamen apud eum cœnare. Plura Manutius in epist. 13. l. 4. ad Attic.* Cum frustulo agninæ) *Imbecillo stomacho omnes pænè cupidi literarum. Cels. l. 1. cap. 1. Illis itaq; cibi ad concoquendum difficiles dandi non sunt. Arnobius lib. 7. Ne stomachum fatiget inualidum, hic bubulam duritiem vitat, & lactentium lenitatem, quò digerat expeditiùs, sumit. Negauit Cleanthes vllum cibum esse tam grauem, quin is die ac nocte concoquatur: cuius etiam in reliquijs inest calor ijs, quas natura respuerit. Cicer. 2. de natura Deor.* Xenocrateam victus) *Singularis fuit philosophi huius frugalitas, quæ sæpiùs obsonia iam rancida facta abiecit: nec rarò cùm cadum aliquem vellet retinere, vinum acidum factum inuenit. Prouerbium, Xenocratis cascolus: quod non ad cibum duntaxat, sed ad vestem, libros, aliasq; res, quibus ita parcè cautèque vtimur, vt quàm diutissimè durent, accommodabitur. Laudatur & moderatio Platonis. Qui cùm in Academiam inuitâsset Timotheum Cononis filium, principem in Athenienſium Republica frugali eum cœna accepit. Itaque videns sequenti luce philosophum Timotheus: vestræ cœnæ, inquit, non in præsens modò, verùm in posterum quoque*

*diem*

*diem sunt iucundæ. Ælianus lib. 2. cap. 18. reuersum à cœna suis dixisse tradit. Qui cum Platone cœnant, etiam postero die benè habent. Ipsi autem Platoni postera luce: Vos, ô Plato, meliùs cœnatis sequenti die, quàm præsenti. Meminit etiam Cic. Tuscul. 5. Plutarchus de tuend. valetud. Victor. l. 18. cap. 3.* Sine arte mensa) *Hoc vnum ex illis est, quæ pulcherrimo carmine vitam beatiorem facere canit Martial. lib. 10.*

# PROGYMNASMA VICESIMVM QVINTVM.

## Ludimagister defensus.

### KILIANVS, IOACHIMVS.

KIlianus. Etiamnum, Ioachime, corium doleo, ita me blandis modis permulsit Magister. I. Mihi verò vola toties impacta ferula adhuc feruet. K. Quantum datur perspicere, morosus est homo iste, & infestus tardioris ingenij pueris. I. Non, sed tardioris diligentiæ pueris. Et certum scio, sancteq; adiurare possim, suaptè natura ad mansuetudinem esse propensissimum, ac personam tetricam, vultuosamque induere nôsse, vicissimque deponere, cùm vsus venerit. Non solùm enim multa doctrina, sed plurimo etiam rerum vsu, summáque prudentia est. K. Sæpissimè colera incensum, ac frementem notaui. I. Quia nimirum sæpissimè exstiterunt, qui ipsi bilem cierent: parcè ac molliter cætero qui irasci-

scitur. K. Mihi Deum satis fuisse iratum scio, qui hunc virum nactus sim, à quo acciperem disciplinam. Qualis qualis sit vtinam meus Præceptor non sit. I. Garris, cur istuc precaris tibi? K. Quia præstat verbis, quàm verberibus puniri I. Præstat: atqui vtrumque vsurpandum est, cum alterutro nihil efficitur. K. Quo tandem modo Ioachime? I. Est apud quem verbis, est apud quem plagis vti, est quem acriùs obiurgatum nihilominus virgis pulsare necesse sit. K. In illis primis profiteor nomen meum. I. Existimo totam rem doctoris iudicio reseruandam esse: qua scilicet ratione nos erudiat, & merentibus pœnam irroget. In sua caussa nemo incorruptus arbiter. Ac Senecæ quidem nulla videtur dura curatio, cuius effectus est salutaris. K. Vereor ne aliquà ad familiam hoc permanet, me percussum in Gymnasio, & ita insuper irrideat, vt malum malo geminetur. I. Quod tu times, propulsabo facilè. Nullus mortalium indicium faciet, nisi fortè insaniat. K. Valde abhorret à me voluntas hominis: acerbè odit me, inquam, Præceptor: nunquam tamen sciens commerui, vt illum meritò caperet odium mei. I. Quo argumento id affirmas? K. Toties ingerit verbera. I. O Chrisyppeum acumen: perinde quasi non etiam parentes filios dicto minus audientes pulsent frequẽtissimè, quos nihilominus amant, carosque habent. Nunquam pater pugnos tergo incussit? K. Etiam in capillos inuolauit frequens, meumque caput impleuit fustibus. Postulas ergo, vt cùm pœnas à me repetit Magister, ego hoc signum

gnum amoris interpreter? I. Certè K. Si Suadæ medulla sis non persuadebis. I. At saltem signum sollicitudinis. Nam si neque amaret, neque nostri cura tangeretur, haud aliquando interrogaret nos, haud vnquam errantes corrigeret. K. Tu quantus quantus nihil nisi sapientia es. Age, iam credo non sine caussa ipsum virgas tam crebrò in meā pellem expedire. De cætero studebo, vt ne tanto in me amori occasionem sæuiendi offeram. I. Si plusculum sedulitatis in discendo susceperis, tute tibi consules; alioqui nugas magnas egeris. K. Vel ad mortem discam, dum istis execrabilibus virgis corpus meum eripiam. I. Fac sis verba ad rem conferas, ne audias: Promissis diues.

## ANNOTATIONES.

TOties ingerit verbera) *Lege historiam planè grauem & iucundam, quam de Plutarcho & seruo philosopho verberari iusso Taurus eiusdem Plutarchi discipulus Gellio auditori suo narrauit. l. 1. c. 26. & disce quo pacto similiter conquerentibus respondeas.* Chrysippeum acumen) *Ingeniosissimus, & acutissimus fuit Chrysippus, atque in dialecticis adeò excellens & insignis, tantáque apud omnes opinione, vt pleriq; dicerent: si apud Deos esset vsus Dialecticæ, non alius quàm Chrysippeæ futurum. Laërt.* Si suadæ medulla sis) *Ennius M. Cornelij Cethegi eloquentiam prædicans, post cætera de eodem ita scripsit: Flos delibatus populi, Suadæque medulla. Vocat medullam, qua voce res reconditas & suaues solemus appellare,*

*re, quod quæ talia sunt, natura intimè recondat, vti medullas. Suadam porrò Græci πειθὼ, Quintilianus persuadendi Deam, Horatius suadelam, Cicero lepòrem. Simile est illud Aristophanis.* ἐγὼ πείσω, ἐὰν δ' ἐγὼ εἰ πείσω. *Non persuadebis, ne si persuaseris quidem.* Vt ne tanto in me ) *vt ne, eandem vim habet, quàm, ne. Cic. Fides tua patietur, vt socrus adolescentis rea ne fiat. Plaut. Mercat. At ego expurgationem habebo, vt ne succurrat. Ter. And. Si poterit fieri, vt ne pater per me stetisse credat. Eunucho. Vt ne impunè in nos illuseris.* Promissis diues) *Versiculus est Ouid. Promissis dines quilibet esse potest. Mos est Ciceroni, quos ex auctoribus adducit locos, primis duntaxat verbis indicare, quem licet imitemur, vbi tamen legentibus nostra loci illi noti fuerint. Obseruauit hoc Manut. in epist. 18. quæ est ad Leptam, lib. 6.*

# PROGYMNASMA
## VICESIMVM SEXTVM.

### Dies remissionis.

*POLYCARPVS, IGNATIVS.*

POLYCARPVS. O dies Mercurialis, credibile non est, quàm optatus, & carus illuxeris vt aliâs in hebdomadas singulas. Celebritatis, venustatisq; plenus es. I. Permoui cogitationes tuas. Quia lusurus es, idcircò tã amicè salutas præsentẽ diẽ. P.

Vel-

Vellem alternis reuertere; nam continens biduum nauſeabundus tracto litteras. I. Votum aſinorum: qui ſi loquerentur, optare ſe dicerent cum Polycarpo meo, vt alternis tantùm dorſa onerati incederent. P. Non ego hoc ſolus, Ignati, complures mecum deſiderant. I. Nempe ſic eſt profectò vt dicam tibi: multi tecum magis amant catellos ſuos, quàm ſtudia bonarum artium, creduntque ſibi dormientibus omnia confecturum Deum. P. Deum latinè loqui ſciam modò, Ariſtotelem, & Euclidem tibi, & alijs relinquam. I. At tu ne latinè quidem aliquando diſces, ſi audiendi, legendi, loquendi, ſcribendi quādam perſeuerantiā non adhibeas. P. Quorſum hæc tetrica, & iucunditatis omnis expertia, vt Catones aliqui fabulamur? Hodie inſigniter ludendum eſſe aio inſtaurandaſque vires, quas labor tam longus delaſſauit. I. Nec Ignatius ludum quietemq; neceſſariam recuſauerit: quin paratus ſum hac ipſa hora tibi colludere: nulla tibi hoc quidem in negotio à me difficultas erit. Remiſſiones crebras, & extraordinarias odi: ſiquidem honeſtis moribus, optimarumque artium ſtudijs detrimentoſæ ſunt. P. Tu fac, & ſenti quod collibuerit: mihi indulgentia vacationum nihil poteſt contingere gratius. Magiſtri viderint quid, quibus, quando indulgeant: noſtrarum partium eſſe ſtatuo, quod conceditur non inuitos accipere, quotieſcunque conceditur. I. Olim cognoſces te nimiū luſiſſe. P. Et tu perſpicies olim, te nimium ſtuduiſſe; quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum malè concoquet,

cor

corpus totum pallor, & macies obſidebunt. Nimia omnia, nimium exhibent negotium hominibus. I. O falſidicum vatem. Haud ita me intemperanter iniurgito literis, vt iſtas præſenſiones formidare oporteat. Audiui etiam eruditos plurimos ad decrepitam ętatem æuum extendiſſe, cùm aſſiduè in libris literiſque eſſent volutati. P. Ipſe Thales ad ſapientiam tuam merus nugator eſt. Deſine philoſophari. hæc lux hilariter conſumenda eſt. I. Qua tandem ratione conſumenda F. Viſne in prata virentia concedamus, ibiq; pila experiamur palmaria? I. Volo ſanè, vtile, & iucundum eſt hoc ludendi genus. Aſcende è veſtigio in conclaue, & defer amborum pallia cum pila. P. Vbi eſt pila? I. In pluteo, aut certè in capſa ductili ſub mēſa. P. Eo vt afferam. I. Actutum redi, hic te expectauero. P. illic ſum, atque hîc ſum.

## ANNOTATIONES.

SIbi dormientibus omnia) *Alluſio ad picturam, qua pingebant inuidi dormientem Timotheum Cononis filium fortunatiſſimum Athenienſium ducem, & vrbes vltrò in ipſius naſſam ſe induentes. Quam rem iniquo animo tuliſſe ferunt, cum ſua egregia facinora, victoriasq; non fortunæ, ſed virtuti adſcribenda putaret. Refert Plutarch. in apophthegmat. Regum, & Impp. additq; hoc dictum illius: Si tantas ego vrbes per ſomnum capio, quid me vigilantem putatis facturum? Item ad me poëtarum commentum, qui ſe ex ſomnijs Heſſiodi, & Ennij, fabulantur in monte Parnaſſo dormientes, vna nocte poëtas fieri. Nihil hoc ſomno cele-*

bratius. Audiendi, legendi, loquendi, ſcribendi) *Alit lectio ingeniũ, & ſtudio fatigatum non ſine ſtudio tamen reficit. Nec ſcribere tantùm, nec tãtùm legere debemus. Altera res contriſtabit, & vires exhauriet: de ſtylo dico: altera ſoluet, ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum, vt, quidquid ratione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus. Seneca epiſtol. 84.* Vt catones aliqui) *Vtriuſq; Catonis, Cenſorij, inquam, & Vticenſis grauitas, ſapientia, & virtus nota eſt. Poſterior in Stoicis numeratur, & à Cicerone pro Muræna in eum, ſectamq; eius, multa iocosè dicuntur, ſoletq; hoc nomen pro ſeuero, & rigido vſurpari: quemadmodum illa philoſophica diſciplina, tetrica ac moroſa fuit.* Ventriculus cibum) *Medicorum ſententia, qui in ſtudijs acres, & aſſidui ſunt, ſtomachos habent debiliores, parumq; calidos, quòd illa cogitationum, & animi contentio calorem diſſipat, & labefactat.* Plurimi ad decrepitam ætatem) *De Platone, Iſocrate, Gorgia, Cicer. de Senect. in hunc modum. Eſt etiam quietè, & purè, & eleganter acta ætatis placida, ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis, qui vno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt: qualem Iſocratis, qui eum librum Panathenaicus inſcribitur, quarto, & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitq; quinquennium poſtea: cuius Magiſter Leontinus Gorgias centum, & ſeptem compleuit annos, neq; vnquam in ſuo ſtudio atq; opere ceſſauit. Democritus centum, & quatuor annos vixiſſe traditur. Hippocrates quartum vltra centeſimum ſuperâſſe. Galenum accepimus ad centeſimum quadrageſimum peruenisſe.*

De-

*Deniq; longæuos, eosdemq; eruditos in Catone iterum adducit non paucos his verbis M. Tullius. Num igitur hunc (Sophoclem) num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos antè dixi, Isocratem, Gorgiam, num Philosophorum principes Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Socratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romę vidistis, Diogenem Stoicum in suis studijs obmutescere senectus coëgit? an non in omnibus ijs studiorum agitatio vitæ æqualis fuit?* Ipse Thales ad sapientiam) *Septem sapientes fuerunt. Solon Athenienſis, Thales Milesius, Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Cleobulus Lindius, Bias Prienensis, Periander Corinthius. Eorum vitam memoriæ tradidit Laërt. Dicta singulorum versibus inclusit Ausonius. Est autem locus, ad quem fit allusio, in Capteiuis hic T.*

*Euge pol, Thalem talento non emam Milesium.*
*Nam ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit.*
*Vt facetè orationem ad seruitutem contulit?*

# PROGYMNASMA VICESIMVM SEPTIMVM.

## Emendatio scriptionis.

*DISCIPVLVS, MAGISTER.*

DIscipulus. Perbreuem epistolam, Præceptor, ad parentem effeci, eam, si tibi est otium, corrigere, quæso, annueris. M. Quod est argumentum? Qua de re scribis? D. Explico rationem valetudinis meæ: hinc argentum partim ad nomina dissoluenda, partim ad libros coëmendos peto. M. Lege initium. D. *Andreas Prętorius Nicolao Prętorio amantissimo parenti S. P. D.* M. Rectissimè, iam progredere. D. *Quanquam haud ita pridem literas ad te dedi, mi pater.* M. Vox (quanquam) indicandi ne modo, æquè vt coniunctiuo iungitur? Nónne dicendum erat: quanquam dederim? D. Probè indicatiuo iungitur. M. Profer idonei scriptoris testimonium, si recordâre. D. Etiam plurium. M. Tullius ad Curionem. Quanquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo. Et pro lege Manij. Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus. Virgil. 2 Æneid. Quanquam animus meminisse horret. Terent. Eunuch. Quanquam illam cupio abducere. M. Sic enitere semper, vt quod loqueris aut scribis, bene latinum esse confidere possis. Quid sequitur? D. *Quibus te certiorem reddidi*. M. Emenda, certiorē feci. D. Atqui ego sæpiùs memini me legere, certiorem reddere, & doctos ita loquentes non semel audiui. M. Si pro Latinis ea ducamus, quæ vbicunq; legimus, & à quibuslibet audimus, nihil erit inquinatum, nihil parum proprium, nihil barbarum: omnia nitida, propria, & quasi ex hortulis Gratiarum delibata

bata. Videndum diligenter, quæ verba, quibus copulent Cicero, Saluſtius, Liuius, Cæſar, Virgilius, Terentius, Plautus, & reliqui auctores, qui latinitatis lautum, copioſumque patrimonium nobis reliquerunt: horum ſermoni aſſuefacti qui erunt, etiam nolentes non poterunt niſi latinè, & ornatè loqui. Quare ipſorum pulcherrima ſimulachra, ceu pictoribus, ante oculos noſtros in omne tempus verſabuntur. Hoc primum. Deinde obſeruandum ſtudioſè, quid homines noſtri, non tantùm eruditi (non enim eſt ſatis) ſed etiam caſti illius, incorrupti, minimè infuſcati, & natiui ſermonis periti aut amplectantur, aut aſpernentur. Quare Paulus Manutius in explanatione epiſtol. 4. lib. 2. negat latinè dici, certiorem reddere: cuius viri non leuis eſt apud me auctoritas. Lege cætera. D. *Quibus te certiorem feci de omnibus, quæ te ſcire velle non dubitabam: tamen cum mihi præceperis.* M. Varia illud (præceperis.) D. Iuſſeris, in mandatis dederis, imperaueris, iniunxeris, impoſueris. M. Perge. D. *Cùm mihi impoſueris, vt quàm frequentiſſimas ad te literas darem.* M. Duo peccata. Primùm, quamuis præceperis, iuſſeris, & reliqua duo cum particula, vt, & Optatiuo, & Subiunctiuo non vitiosè coagmententur, tamen voces, iniungere, imponere, niſi cum accuſandi caſu, non ſignificant quod tu ſentis: dicendum quippe, iniungere, aut imponere alicui munus, onus, neceſſitatem, prouinciam, ſeruitutem & ſimilia. Itaque loquitur barbarè vulgus, cùm ait:

Philippus iniunxit mihi, vt se expectarem. Pater imposuit filio, ne noctu eat ambulatum. Alterum, cùm suprà dixisses, ad te literas dedi, mutanda erat locutio, vt diceres: quàm frequentissimas, seu creberrimas ad te epistolas mitterem. Oportet enim te non solùm purè, non sordidè, propriè, non impropriè, verùm etiam copiosè loqui, scriptáque tua verborum varietate, ac modis, seu formis loquendi distinguere. Similitudo namque tædium legentibus generat, & sensus aurium est fastidiosissimus. D. *Et cùm haberem certum tabellarium, omnino scribendum putani. Quod ad valetudinem tuam attinet, quam tibi, & suauissimæ matri magnæ sollicitudini esse non clàm est, valeo rectè, & Christo Saluatori.* M. Consiste. Offendit plerosque omnes Ciceronianos ista vox, Saluator, pro ea vtuntur Seruator. Verùm accuratissimus ille Manutius commentar. in lib. 2. Act. 2. in Verrem seu Verrinam quartam, docet non idem declarari hoc nomine, quod illo altero Christiani declarant, & Saluatoris voce Græcum σωτὴρ exprimi. Eum leges cùm tempus venerit. Apud Arnobium lib. 2. est Sospitator, quæ etiam in Christum conuenit. D. *Christo Saluatori gratias ago, qui me viuum ac sospitem hucusque clementissime conseruauit.* M. Commodè, suauiter, religiosè. D. *De victu vestituq; meo, nihil est quod cogites, pater, non egeo. Pecunia non suppeditat, qua libros studijs meis, in quæ, mense Octobri, me ingressurum spero, oratoria videlicet, vtiles, ac necessarios parare queam. Adde, quòd ob eam caussam æs alienum conflaui. Id etsi*

pau-

*paxillum est, nihilominus eo quamprimùm exire cupio: atq; id te quoq; velle mihi persuasissimum est. Quapropter 12. aureos in præsens te rogo, pater mi carissime. Quos si miseris (mittes autem) filium me habebis ex sententia.* M. Mirificè lætus sum ista industria, quam te in discendo adhibuisse claret. Fac ne abs te ipso desciscas. D. *Vale.* M. Aliter. D. Valebis, cura vt valeas, valetudinem tuam cura diligenter, da operam vt valeas. M. Quo pacto adscripsisti locum, & tempus? D. *Augustæ, Idibus Febr. anno. M. D. LXXXIX.* M. Mactè. Ecquid legendo obseruâsti, quemadmodum à nostratibus scriptoribus hoc idem variè efferatur? D. Maximè. Anno post Christum natum, Christi nati, anno à Deipara virgine, à puerpera virgine, à partu virginis, à salute humana, hominum generi data, restituta, recuperata, salutis per Christum restitutæ. M. Dignus es qui lauderis laudibus, & ad cuius exemplum cæteri omnes se se componere studio sibi habeant.

## ANNOTATIONNES.

MActè) *Vox est, inquit Manut. in epist. 7. lib. 7. ad Atticum, qua rectè facientes laudamus simul, & hortamur: exempla declarant. Veteres ea, & absolutè, & cum nominibus vsi sunt. Hæc ille, & plura. Est autem mactus pontificale verbum, quo in sacris, & libationibus vtebantur, valetq; magis auctus. Vide Isid. lib. 10. Turneb. lib. 11. cap. 5.* Nemo *nos inre accuset, opinor, si, cùm in hoc progymnasmate, & deinceps*

*sequenti Præceptorem breuiter doceamus, quo pacto is suorum scripta emendet, & aliquot super hoc officio leges, à nobis, è doctissimorum commentarijs, de ratione docendi studiosè collecta, hoc loco, vbi id quam commodissimè videtur posse fieri, in medium proferamus.*

1. *Inter emendandum vacet omni acerbitate, & contumelijs Magistri oratio.*

2. *Si quis emendatus irascetur, ipse nihilo secius emendet: ceterorum enim ducenda est ratio; qui recta censebunt esse, quæ Magister non emendat, reliquerit.*

3. *Condonandum aliquid ætati, & ad vitia quædam conniuendum, quoad ingenium, iudiciumq; confirmentur: ne videlicet ob emendationis seueritatem desperent, doleant, & exercitationem cum Magistro oderint: dumq; omnia timent, nihil conentur. Non adhibent teneris frondibus falcem agricolæ.*

4. *Sit hilaris, & iucunda emendatio, vt remedia, alioqui insuauia, parumq; grata, leniantur. Quædam commendet, alia mutet, alia ferat, alia illuminet, nonnunquam sua interponat, rationem etiam facti aliquando reddat. Sed quæ bene posita fuerint, ea interdum laudet palam: quò & ipsi adolescentes, hac gloriola deliniti, in cursu alacriores fiant, & reliqui, eiusdem honoris expectatione, exemploq;, ad diligentiam incitentur.*

5. *Consueuerunt medici nonnulla in ægrotis laudare, non quia talia sunt, sed quò facilius talia esse possint. Ita conuenit Magistrum tardiores, negligentioresq; nonnunquam hyperbolicis laudationibus ad acrius bene scribendi studium inflammare.*

6. *Duui*

6. *Dum vnius epistolam, seu scriptionem corrigit, aliquando de improuisò, alios de ijs, quæ in manu sunt, interroget: quo & iudicium ipsorum cognoscat, & attentes faciat, eademque opera consequatur, vt interim in suis ipsi scriptionibus aliquid emendent.*

7. *Qui tam segniter, vitioséq;, & ineptè, ineleganterq; scripserit, vt emendari scripta non possint, eum eadem de re de integro scribere iubeat: data significatione spei, illum, si diligentiam modò adhibuerit, meliùs scripturum.*

8. *Sunt quædam vitia, quæ in adolescentibus displicere Magistris non debent, vt sublimior spiritus, verborum luxuries, nimis exquisita vocabula, sublecta hemistichia, aut integri versus, apertior imitatio, paruæ quædam furta, compositio curiosè numerosa, & similia. Dicendum, laudare nos ista adhuc, venturum tempus, quo ea non concederemus. Sic & ingenio gaudebunt, & iudicio non errabunt.*

9. *Seu quid laudes, seu quid reprehendas, vtrumuis modicè, & variè. Laudа in hoc sermonis puritatem, in illo perspicuitatem, in alio lepôrem, in quibusdam inuentionem, in alijs dispositionem, in his grauitatem: in illis ornatum, Contraria in vituperatione seruabis.*

10. *Quorundam illiberalibus ingenijs, ac rustico pudori, blanda, & priuata monitione, succurrendum.*

11. *Ne celeritatem compositionis requirat Magister. Danda opera, vt quàm optimè scribamus, celeriter deinde vt scribamus, consuetudo dabit. Et citò scribendo non fit vt bene, bene scribendo fit vt citò.*

PRO-

# PROGYMNASMA VICESIMVM OCTAVVM.

## Diuersarum scriptionum emendatio.

*MAGISTER, DALMATIVS, GERARDVS, RVDOLPHVS discipuli.*

MAgister. Quæ præterito die Lunæ super varietate exercitationis in vtraque oratione, soluta nimirum ac libera, & pedibus deuincta, siue ligata, à me disputata fuerunt, ea si minùs vniuersa, aut complura meminisse vnumquemque vestrûm, existimo. Pedetentim ad singula genera aggrediemur, & modo in hoc, modò in illo consuetudinem capiemus, vt facultatem nobis quàm expeditissimã, ad scribendum comparare possimus. Et quoniam triduum effluxit, cùm dictaui quibusdam, quem breuiter, & planè explicarent, seu complecterentur apologum: alijs versiculos aliquot de Ouidio: alijs Germanicam epistolam, quam in linguam latinam transferrent: volo nunc tandem experiri, & reipsa cognoscere, qui vestri conatus fuerint, quiq; datum sibi pensum feliciùs confecerint. De primo igitur ordine ad me accedat Dalmatius. Recita scriptionem tuam. D. *Olim, cùm animalia loquerentur, ouis dixit domino suo: miror quod nihil vnquam præbes nobis.* M. Miror quòd, puto quòd, & similia, non esse barbaros, & illotos loquendi modos, vt plerique ex

inſci-

inſcientia latinitatis putant, prolatis è Cicerone, Varrone, Liuio, Suetonio, Plauto, Catone, teſtimonijs docuit Paulus Manutius, explanans epiſtolam 28. lib. 7. ad familiar. & vltimam lib. 9 item 4. lib. 10. ad Atticum. Latinius fortaſſe dicitur cum infinito modo, aut participio. Miror nihil vnquam nobis abs te præberi, puto hoc ita eſſe, credo te facturum. Tu, heus, qui extremus ſedes ſcamno tertio, & cum vicino confabularis, attẽde, ac ſi quid tale peccâſti, corrige, antequam ad me adeas corrigẽdus. D. *Nihil vnquam nobis abs te præberi, compelliq; miſeras è terra victum petere, herbas ſcilicet, & gramina.* M. Politum hoc, victum è terra petere, olet roſas. Terent. E flamma cibum petere te poſſe arbitror. D. *Cùm tamen nos lanam tibi, caſeos, & ouiculas ſuppeditemus.* M. Scribe agnos pro ouiculis. Quæ eſt differentia, Petre, ecquid audis? tibi dico, Petre, quod eſt diſcrimen inter iſta duo? P. Ouicula, parua ouis, *ein Schefflein* agnus, recentior partus ouis, *ein Lemblein*. Virgil. Depulſos à lacte domi quæ clauderet agnos. M. Aptè reſpondiſti. Procede vltra Dalmati. D. *Canibus autem, vnde horum fructuum nihil percipis, de menſa tua panem porripis. Tum canis, qui aſtabat, & hæc auribus acceperat.* M. Venuſtum, & hoc. Nota etiam illud Ciceronis, qui ex Odyſſea quoſdam verſiculos conuertens, quod in Græco eſt, ἵνα τοῖϊ πλωΐσσω ἀνώγω, ad verbum, vt noſtram vocem audias, ſic extulit. Auribus, vt noſtros poſſis agnoſcere cãtus. D. *ſic locutus fertur. Non iniuria id fit, nam ego, & domum, & dominum, & vos etiam ipſas*

ve-

*veſtrumq; gregem cuſtodio, ne vel in ſylua à graſſatoribus furemini.* M. Ne pecces, mi Dalmati, Furor, furaris, deponens eſt, & eius non patiendi, ſed agendi notio: verùm obrepſit hoc tibi imprudenti. Fac vt ſit: à graſſatoribus inſidijs excipiamini, quomodo Virg. eclog. 3.

*Non ego te vidi Damonis peſſime caprum*
*Excipere inſidijs, multùm latrante Lyciſca?*

*D. ne vel in ſylua à graſſatoribus inſidijs excipiamini, vel à raptoribus lupis auertamini. Quod ſi veſtri curam non agerem, præ non metu mortis ad paſcua exire auderetis. His dictis oues poſtmodum æquo animo paſſæ ſunt canes apud herum potiores partes obtinere.* M. Non videtur contemnendus labor tuus, & auguror te magnorum oratorum in numerum aliquando venturum. Lege adhuc quod addere iuſſi ἐπιμύθιον, de vſu ſcilicet fabellæ huius. D. *Sic populum, ſeu multitudinem, atq; ignobile vulgus.* M. Copia. D. *iraſci non oportet, ſi Magiſtratus, & Princeps, à quibus regitur & cuſtoditur, in honoribus, rerúmque affluentia, impoſitis per domos, & oppida vectigalibus, vitam agere cernat, cùm Rectores ſubiectis omnium commoditatum ſint auctores.* M. Acquieſco in hac diligentia. Ades Gerarde cum paraphraſi tua. G. Principium elegiæ 2. l. 1. Ouid. Naſonis de Triſtibus παραφραστικῶς ſolutis verbis expreſſum. Dij maris & cæli, &c. *O dij quique cælo, quique mari imperitatis, vos ſimul omnes (quando aliud quod agam, tanto in periculo ſalutis meæ conſtitutus, præter vota nihil relictum eſt mihi) vos ego obteſtor per numen maieſtatémque veſtram ne*

*ſini-*

*ſinite quam conſcendi nauim terribili procella iam conquaſſatam ac fatiſcentem diſſolui, ac me, uectoréſque omnes miſerandum in modum hauriri fluctibus.* M. Euge, dimidium facti, Gerarde. Quam grauiter? quam numerosè? quàm latinè? G. *Nolite, nolite Auguſti Cæſaris in me concitatum furorem, iſta grauiſſima tempeſtatis indulgentia, uno conſenſu approbare: cùm etiam uos ipſi ſæpe non omnes eoſdem oppugnaueritis, ſed alius aduerſus alium alios tutatus ſit.* M. Quod hoc genus ſchematis Antoni? A. Traductio. G. *Vulcanus & Pallas Troianis erant inimici atque infeſti, Apollo contra & Venus amiciſſimi. Æneam perſequebatur Iuno, pro quo Venus propugnabat. Quoties Vlyſſem Neptunus conatus eſt perdere? atque hunc, ſæpius patrui inſidijs liberatum, Minerua conſeruauit. Quanquam autem nos cum Ænea, & Vlyſſe, uiris laudatiſſimis, comparandi non ſumus, tamen cur aduerſus Cæſarem, ueluti quendam in terris Deum, ab aliquo ſaltem minorum gentium Deo, non defendamur? O me perditum, nihil precibus efficio. En ut mihi iteratis aſperginibus caput totum permaduit? Eheu, diſcerpunt uerba mea uenti, & quas fundo preces, ad Deorum aures allabi non permittunt. Ita cùm nauim iactitent pro ſua libidine, & precationem meam diſſipent, dupliciter me affligunt.* M. Non video quid hic emendandum ſit G. *Ah, ah, nunc fluctibus inſtar montium ingentibus ad ſydera extollimur: quis non exhorreſcat? nunc diſcedente mari, propè ad ipſos inferos deſcendimus: quis mente conſtat? Quocunque oculos conuerto, cælum undique & undiq; pontus.* M. Quomodo habet

habet Ouidius? G. Nihil eſt niſi pontus, & æther. M. Fortaſſis illud Virgilianum, quod tu de 3. Æneidos mutʼatus es, Naſoni occurrebat. Appoſitè ſanè hoc hemiſtichium inſeruiſti. G. *Et hic quidem vaſtis fluctibus, ille tonitribus, & fragore horrendo præſentem nobis mortem intentat. Medio autem venti fremitu horriſono terrificant animos ipſum æquor cui parendum ſit neſcit.* M. Propemodum ſine cortice nare, & tuo ſucco viuere iam poteris Gerarde. Attuliſti hac tua ornatiſſima paraphraſi tibi magnum fructum, mihi lætitiam, iſtis exemplum. Rodolphe. R. Quid eſt, Præceptor? M. Quid eſt? aduola cum epiſtola, quam latinè de Germanico reddidiſti. R. Adſum. M. Lege priùs Germanicam. *VVie meine ſachen geſchaffen ſeyn, hett ich dir gern vor lengſt mindtlich erKlert, dieweil ich aber biſzher in ſolchem meinen fürnemmen verhindert, hab ich mir fürgenommen daſſelbig ſchrifftlich zuuerrichten. Von iungent auff hab ich ſonders groſſen luſt Zu den ſtudys getragen, vnd bin denſelben obgelegen ieZt mehr dann ſiben iahr, vvie ich vermein, vnd Zuuar nicht ohne nuz: vveil aber mein Vatter, der an Haab vnd Gut nicht der reichſten einer, vnnd neben mir vil Kinder hat, vermerket, das meine ſtudia greſſern Vnkoſten bederffen, dann er mir fürſtrecken Kan, vnd auch Zimblich lange Zeit, hat er beſchloſſen, mich von denen abZufordern, vnnd einen handtvvercker aus mir Zu machen, vvelches mir hefftig vvehe thut, vnnd von herzen leyd iſt, der ich auff der vvelt nichts liebers gehabt, dann eben die ſtudia. nun vveis ich das*

du

*du denen ſehr günſtig biſt die da ſtudieren, derhalben ich mein zuflucht zu dir hab, vnnd bitte dich auffs hechſte, du vvelleſt meinen mit ihm greſte gemeinſchafft haſt, von diſen firhaben abvvenden. Ich hoffe genzlich du vverdeſt mich meiner bitt geuehren, vvie einem ſo freindtlichen vnnd groſſem Mæcenati vvil gebiren. Solches ſtehet mir allezeit nach vermegen zu verdienen. Hiemit Gott befohlen.* M. Conſideremus tuam interpretationem. R. *Quo pacto ſe meæ habeant libenter tibi iam pridem præſens expoſuiſſem, ſed quia huc vſque in tali propoſito meo impeditus fui, propoſui mihi idipſum ſcriptis efficere.* M. *O Teutſcher Michel.* cur ita inhæres verborum ordini? ſententiam ſententia, non verbum verbo oportet reddere: id munus eſt fidi interpretis: & voces appendere lectori, non annumerare, vt inquit Cic. Perge. R. *A puero erga ſtudia literarum valde ſemper affectus fui, illisq; ſupra ſeptimum, annum vocaui, ni fallor, cum vtilitate non ſpernenda. Quia verò pater meus, qui parum dives eſt, & præter me multos habet filios, animaduertit non exiguos ſumptus, omninóque maiores, quam ipſe tolerare poſſit, & plurimum temporis requiri ad doctrinam acquirendam, decreuit auocatum me à literis ad opificium aliquod diſcendum mittere: quæ res cordi meo dolet, quam maximè, & magnoperè me excruciat, quem hactenus in rebus nihil æquè, ac ſtudia delectarunt.* M. Hui, tam citò expolitus. R. *Quæ cùm ita ſint, & ſciam te eorum, qui ſtudia diligunt, non vulgarem eſſe fautorem, ad te*

*con-*

*confugio, téque inprimis rogatum volo, vt patrem à sententia detorqueas, pro auctoritate, quâ apud illum vales magna, & amicitia. Spero planè, te hanc petitionem meam non reiecturum: sed pro eo, ac tam humanum, & tam magnum Mæcenatem decet, admissurum. Hoc quibus potero officijs compensabo. Vale.* M. Posterior pars priorem bonitate superauit. Nôstis me solere nonnunquam de ijsdem argumentis, quę vobis prę-scribo, epistolam contexere, eamque ad vos cumulatiùs instruendos (ne tantùm scilicet verba singula, aut phrases emendentur, sed totum filum orationis, qualenam esse debeat, videatis, & ideas animo concipiatis) in tabula ista omnibus legendam, & cum suis conferendam describere, quod nunc quoque faciam. Non oberit tamen, antè eam legere. Ascende suggestum Gerarde, & recita distinctissimè, articulatissimè, clarissimè. En chartam meam.

## Exemplum Prçceptoris.

Quò minùs coram tibi statum rerum mearum iam pridem, vti cupiebã, exponerem, ad hoc vsque tempus impeditus sum. Quo circa id nunc per literas agam. Iam inde ab adolescentulo ingenti Musarum amore percussus, cum ijsdem toto septennio rationem habui, profecique non mediocriter. Cęterùm pater meus, qui copijs familiaribus exiguis est, ac præter me complures suscepit liberos, cum sentiat mihi ad eruditionem consequẽdam, & sumptu opus esse maiore, quàm tenuitas eius patiatur,

& tem-

& tempore longinquiore, quam, vt exſpectare poſſit, deliberauit auulſum me à complexu literarum, ſordido atque illiberali artificio alligare. Quæ res, quia in vita nullas delicias ſtudiorum ſuauitatibus antepoſui, ſummum mihi acerbiſſimumque dolorem inuſſit. Quapropter cùm te ſtudia colentium nobilem eſſe patronum haud ignorem, tuum imploro auxilium, te oratum volo, vt pro coniunctiſſima neceſſitudine, quæ tibi cum patre meo eſt, & pro auctoritate, qua apud ipſum potes plurimum, cauſſam hanc meam recipias, hominem à ſuſcepto conſilio deducas. Spe firma ſum, te huic petitioni meæ locum relicturum: te, inquam, Mæcenatum humaniſſimum, atque illuſtriſſimum. Me viciſſim gratum beneficijque memorem cognoſces.

## ANNOTATIONES.

OVis dixit Domino) *Hæc fabella è Xenophontis libro 2.* ἀπομνημονεύματων *petita eſt, ad quam illuſtrandam valde opportuna erunt, quæ ſcribuntur à Seneca libro 1. de Clement. cap. 3. & 4. Docet enim ibi, quo pacto Magiſtratus, Principes, & Rectores populo vtiles ſint, ac neceſſarij.* Miror quod) *Quotuſquiſq; de Ciceroniana gente, aut eorum ſaltem, qui purioris latinitatis alumnos ſeſe profitentur, hoc pro barbaro non ducit, ac proinde non exſibilat? Atqui Manut. noſter plurimorum ſtipendiorum, veteranuſque miles vſq; ad ſatietatem è primæ claſſis auctorib. exempla congeſſit, quibus rem certiſſimam apud tam multos, dubiam, vel potiùs in partem contrariam certiſſimam faceret.*

*Cautè igitur, & cunctabundi aliquando barbaros reprehendamus: persuadentes nobis, in ipso Cicerone inueniri nonnunquam, quæ si ego aut tu diceremus, germanismos loqui putaremur. Et sunt in hoc sermone nostro quotidiano (quo tamen nihil incultius atq; vitiosius) quædam è medio Plauto, Terentio, Cicerone, & alijs, quod non raro notauimus.* Cum paraphrasi tua) *Ecphrasis est pura, & dilucida enarratio. Paraphrasis vberior explicatio, vt cum auctore quasi contendere videaris. Metaphrasis pleraq; mutat, & nunc grandiora, nunc humiliora, nunc longiora, nunc breuiora efficit.* Ad opificium aliquod) *Lucianus in somnio suo narrat se quoq; coactum à patre fieri statuarium è studioso literarum. Sed tamen Pædia ingeniosum, & discendi cupidum adolescentem recuperauit, ac non solùm rebus necessarijs egere passa nunquam est, verùm etiam immortali hominum memoriæ illum commendauit.* In tabula ista) *Tabulæ grandiores amplioresq; annulos, seu ansas habent ferreas, quibus pendent ab vncis, seu è paxillis in pariete: paruæ autem, capitula. Sic enim dicitur à Varrone appendicula illa lignea, & rotunda, ac perforata, capitulum, inquam, tabulæ ipsi vel impactum, vel continens, quo suspenditur ad clauum, seu paxillum.*

PRO-

# PROGYMNASMA VICESIMVM NONVM.

## Leges.

*DIOMEDES, PHILOPONVS Magiſtri.*

DIomedes. Iubeo Philoponum neceſſarium, & collegam meum. P. Et ego te cariſſime Diomedes. D. Quò te agebas? P. Ad te rectà. D. Vide, & ego me capeſſebam ad te. Pro monſtro eſt, quod vterque ad alterum abire ſtatuerat. P. De noſtra, quam gerimus, Repub. volebam, & volo commentari tecum, ſi quidem modò à ſcholis eſt otium: niſi eſt, vt aliter tua ſit ſententia. D. A tuo nihil quidquam diſcrepat conſilium meum, eadem mihi ſententia, in commune conſulamus. P. Ventum gaudeo, ſperóque, & opto nobis hanc commendationem fauſtam, felicem, ac fortunatam fore D. Erit σὺν θεῷ. Tui diſcipuli, vt valent? P. Bellè omnes diuino beneficio. Súntne tui frequentes? ſúntne aſſidui in ludo? D. De frequentia tibi hoc reſponſum habeas, eſſe frequentiſſimos. De aſſiduitate hoc affirmo: viciſſim abſunt multi, ob cauſſas tam commentitias, & falſas, quàm veras, & ſinceras Nam quid facias huic hominum generi? Abhorrent à ſchola pueri, & orationi vanitatem aſpergunt: nec tamen, vbi reſciui, impunitas à me peccantibus conceditur. P. Mei vtrumque facinus peræquè conſciſcunt. D. Vt porrò diſcunt? P.

Quidam ſatis ſtudioſè, quod mihi voluptati ac ſolatio eſt: quidam ſomniculoſiùs: pauciores verò Theopompos, quàm Ephoros numero, & cogor equis aſellos iungere D. Non inſcitè dictum. Intelligo te in gymnaſio tuo Iſocratem, & Platonem factum. Non eos cohortaris? non minas intentas? non verberibus inſurgis? P. Horum nihil egregiè præter cætera, & tamen omnia hęc mediocriter. D. Rectam inſtas viam: modus tenendus eſt in omnibus. Maior pars meorum, eſt literarum cupidiſſima, meoque imperio audiens. Deo ſint gratiæ. P. Nondum me quidem tanta eſt amplexa felicitas: ſed confido me quoque beatum aliquando futurum: quamuis Auſonius neget Grammaticos felices vnquam aut eſſe, aut fuiſſe. D. Sit fas iocari Poëtas, quibus, vt pictoribus, quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. P. Et nunc id operam do, vt eſſe queam felix quamprimùm. Cogitaui autem leges ijs nonnullas ferre ad eruditionem comparandam idoneas: quas partim in ſchola dum verſantur, partim domi obſeruent, non hoc anno tantùm verum quamdiu in diſciplinis ętatem habere voluerint. Ea in re, quęſo te magnoperè, conſilio atque opera me adiuues. D. A me omnia in te ſtudia, & officia exſpectes velim: neque enim quiſquam apud Diomedem Philopono plus valere poteſt, vel auctoritate, vel voluntate. Ac me, vt hoc tanto præſtem libentius, incredibilis amor in iſtas manſuetiores Muſas, & in fidem noſtram traditæ inuentutis rationes, & iſtius noſtræ ciuitatis gloria exſtimulant. P. Tenes iam quid velim.

lim? Cùm euolueris autem plurium de docendi ratione commentarios, non dubito quin præclara quædam iſtius generis in aduerſaria tua congeſſeris. D. Sępe ac multùm legi, quos dixi libros, & Germanis noſtris haud vulgarem laudem impertiendam duco, qui ad amplificanda, ornanda, & propaganda diſciplinarum ſtudia, iſtiuſmodi volumina conſcripſerunt. Inueni quas deſideras leges, bonas, mirificéque frugiferas. P. Res igitur mihi iam in vado, & animo eſſe otioſo licet. D. Licet verò, mi Philopone. P. Si me tantum amas, quantum profectò amas, aut vbi eas legam indica: aut exſcriptas abs te mihi deſcribendas da: aut ſi memoriæ mandauiſti, recita. D. Hoc malo: recitabo, & nihilominus poſtea per amanuenſem meum ſcriptas tibi tranſmittam. Ego verò, quemadmodum ad Lucilium ſcribens de ſe profitetur Seneca, omnia cupio in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit, quam mihi vni ſciturus ſum. Si cum hac exceptione detur ſapientia, vt incluſam teneam, nec enuntiem, reijciam. Nullius boni, ſine ſocio, iucunda poſſeſſio eſt. P. Quid ad iſtam humanitatem addi poteſt? Sed de modo vt placet, ego ad audiendum ſum paratiſſimus.

D. Sapientiam à numine aſſiduiſſimè efflagitanto: interim ita laboriosè diſcunto, vt ſi à ſedibus æthereis nihil expectent.

Doctorem non ſecus quàm parentem colunto.

In ludum quoad fieri poterit, ſeriùs ne ingrediuntor: ante tempus, ſi poſſint, adſunto.

In gymnaſio modeſtè conſidento, idque tantùm agunto, & cogitanto, cuius cauſſa locum peteſſunt.

Ne dormiunto, ne fabulantor, ne nugantor, ne contendunto, ne vlla ratione doctorem perturbanto.

Quotidianam Magiſtri auſculationem priuato ſtudio anteponunto: ac niſi ſumma neceſſitate, nec ſemel abſunto.

Verbis, ac ſermone cùm Magiſtrum, tum ſcriptores optimos, qui explanantur, effingere ſtudento.

Si quid haud probè perceperint, aut ſi de quo dubitauerint, Magiſtrum adeunto, interroganto, conſulunto, pudorem ruſticum exuunto.

Quæ retinere memoria, cùm audiunt, nequiuerint, chartis mandanto.

Quæ commodè calamo annotare non potuerint, cùm primùm domos repetiuerint, ſuis locis ſcribunto.

A ſchola digreſſi, ne ſtatim omnem rerum auditarum curam, & cogitationem abijciunto: tempus aliquod ijs tacitè reuoluendis, aut cum alio conferendis conſumunto.

Niſi cùm liber inſpiciendus, aut ſcribendum eſt, aures atque oculos in præceptorem dirigunto.

P. Mihi gaudeo, qui te ad iſtas adeò iuſtas leges mecum communicandas inducere potuerim.

Nunc

Nunc illas audire auco, quæ magis domi vſum habere videantur.

D. Quod hodierna luce diſci poteſt, in craſtinum ne differunto.

Néue eruditos ſe exiſtimanto antequam ſint, néue plus quàm ſint.

P. Aureum præceptum, & in templo Delphico ſcribendum. Venit in mentem illius, Senecæ an Plinij? (neque enim ſatis recordor auctoris, immò iam recordor, Senecæ, libro de Tranquill. animi.) Multi ad ſapientiam peruenire potuiſſent, niſi ſe peruenisſe putauiſſent. Sed nolo curſum iſtum impedire.

D. Tempore nihil pretioſius: proinde ne qua pars illius ſine fructu effluat prouidento.

Diem in certas horas partiuntor, & quid quaque hora faciendum ſit, certum, ac definitum habento.

Antelucanâ opificum induſtriâ vinci ſe ne patiuntor.

P. Demoſthenis hoc eſt, cuius vigiliæ cui non ſunt auditæ?

D. Et illius dicti itidem recordantor: Aurora Muſis amica.

Longioribus, implicatioribuſque ſtudijs honeſtam, ac liberalem recreationem intermiſcento.

A menſa ad libros poſt interuallum redeunto: nocturno ſtudio temperanto: valetudinem ne offendunto.

Præter labores à Magiſtro imperatos, alios ſibi imperanto.

Multa, & multùm ſcribunto: chartis, atramento neu parcunto.

Quos libros Eccleſia Catholica impietatis leuitatiſque damnauerit, aut Magiſter improbârit, eorum lectionem, ceu peſtilentiam, fugiunto: iſta enim occidit corpus, at illi animos.

Harum, Philipone, legum memoria ſuppetebat. Si quas præterea requires, ante veſperam faxo optata conſequare ex ijs ſchedis, quas per ſeruum à manu ad te miſſurum promiſi P. Quibus verbis tibi gratias agam non reperio. Fecit hîc dies, & congreſſio iſta me non paullò doctiorem. D. Nunquid aliud à me vis in præſentia? P. Nihil ſanè: aliâs inter nos agemus, de quibus agendum cenſebimus. Vale, & infirmitatem iſtam, valetudinis intentiore ſtudio, vexare noli. D. Egomet ſum proximus mihi, nō me diſcendo ad mortem dabo, ne fruſtra ſis.

## ANNOTATIONES.

VBi reſciui) *Qui factum aliquod occultius aut inopinatum inſperatúmque cognoſcit, is dicitur propriè reſcire. Legas cenſeo totum cap. 19. lib. 2. apud Gell.*

Pauciores vero Theopompos quam Ephoros) *E diſcipulis Iſocratis (cuius domus habita eſt officina eloquentiæ) quibus nemini vnquam plures fuiſſe quàm ſibi gloriatur orat.* τοὺς ἀργυρίου cum tamen 10. minis, id eſt, centum aureis doceret, cæteris inſigniores extiterunt. *Hyperides, Timotheus Cononis filius, Aſcle-*

clepiades, Theodectes, Leodamus, Lacritus, Isæus, Theopompus, Ephorus. In hoc postremo calcaribus, in Theopompo frænis se uti solere aiebat Cicer. 3. de Orat. Eorundem, & in Bruto meminit, & in 2. de Orat. quo loco de historiæ scriptoribus disserit. Cur autem Ephorum etiam Δίφορο idem magister nominauerit, caussam vide apud Victorium lib. 4. cap. 20. Proditum est etiam hoc literis: Ephorum vt tardiorem, sic probiorem, & Theopompum vt celeriorem, sic improbiorem condiscipulo suo extitisse. Quod etiam hodie in discipulorum turbis apparet. Equis Asellos iungere) Plato conferens Xenocratem cum Aristotele, quorum ille ingenio tardior, hic celerrimus, cùm idem dicebat quod Isocrates, quodque postmodum etiam de Theophrasto, & Callisthene auditoribus suis Aristoteles, tum illud præterea: Hui, quali equo qualem asinum coniunxi? Sed quod Plutarchus lib. de Auditione prodidit memoriæ de Xenocrate, & Cleanthe, non tacebimus. Patiebantur se rideri ab ingeniosis, cùm ipsi tardiores condiscipulis non profugerent à discendo, nec animos desponderent, sed vltro in seipsos dicteria iaciebant: sed vasis angusti orificij, & tabulis æneis similes dicentes, vt qui ægrè doctrinam perciperent, perceptam firmiter constantérque retinerent. Quamuis Ausonius neget) Epigramma est hoc.

*Felix Grammaticus non est, sed nec fuit, vnquam,*
*Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.*
*Quod si quis felix præter fatum extitit vnquam,*
*Is demum excessit grammaticos canonas.*

Vide epigrammat: græcorum l. 2. tit. τῆς γραμματικῆς

Man-

Manſuetiores Muſas) *Cicer. epiſt. 9. lib. 1. ſcripſi etiam (nam etiam ab orationibus diſiungo me ferè, referoq; me ad manſuetiores Muſas, quæ me maximè, ſicut iam à prima adoleſcentia delectarunt) ſcripſi igitur, &c. ſic vocat ibidem ſtudia, quæ domi celebrata, & culta, ad manſuetudinem humanitatémque traducunt animos: cum orationes in foro dictæ contentionem, & lites habeant. Epiſt. 12. lib. 16. Tu muſis noſtris para, vt operas reddas. Pro literis abſolutè ad Attic. epiſt. 5. lib. 2. Nunc verò quoniam quæ putaui eſſe præclara, expertus ſum quàm eſſent inania, cum omnibus Muſis rationem habere cogito.* Res mihi iam in vado) *Vadum, aquæ fundum, in quo qui conſtitit, periculum non eſt, ne ſubmergatur. Itaq; in vado eſſe, erit ſecurum, & in tuto eſſe; & quod eodem ſenſu dicitur, in portu nauigare. Plaut. Aulul. Hæc propemodum iam eſſe in vado ſalutis res videtur.* In templo Delphico) *Huius templi toto orbe fama inclyta fuit, ad quod omnium gentium concurſus fiebat. Iſocrates in Archidamo.* τὸ τοίνυν μαντεῖον ὃ πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν ἀρχαιότατον εἶναι, καὶ κοινότατον καὶ πιστότατον. *Oraculum, quod omnes, & vetuſtiſſimum, communiſſimum, & fide digniſſimum fatebuntur. Scribebantur in foribus à ſapientibus viris ſententiæ graues, & præcepta ſalutaria, quorum auctores cùm deinde ignorarentur, tributa ſunt Apollini, tanquam eo haud indigna. Talis ſit fortaſſe, Noſce teipſum, quod de cælo cecidiſſe, ait Iuuenalis. Quid dico fortaſſe? Plato certè hoc, & illud: Ne quid nimis, ſeptem ſapientibus adſcribit; quaſi enim primitias quaſdam Deo dedicâſſe, & ius*

*eius*

*eius templo ſcribi curauiſſe affirmat. Plinius, & Hier. Chilonem auctorem prioris nominant. Cicer. 1. Tuſcul. hoc ipſum adducens, & explanans. Hunc igitur (animum) nôſſe niſi diuinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cuiuſdam animi præceptum, ſic vt tributum Deo ſit. Acriorem quendam animum, virum nempe ſapientem, non Apollinem eius auctorem facit.* Ne fruſtra ſis. *Liuius. Ne te falſa opinio teneat. Fruſtra eſſe* apud *Plautum Amphit. Bacchid. Mercat. eſt falli, errare, decipi.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM.

## Aſcenſus.

### *VINCENTIVS, TIMOTHEVS.*

VIncentius. Iámne erumpere hoc licet mihi gaudium? nunc pulchrè, nunc bene eſt Vincentio, circumfluo lætitijs profectò. Quis me vno viuit hodie felicior? quis fortunatior? T: Quid eſt quod ſic geſtis? quænam hæc noua inſolitáque voluptas? V. O Timothee, optima opportunitate aduenisti: Hic me amœnitate amœna, amœnus onerauit dies: maximas opimitates opiparaſque obtulit mihi: laudem, lucrum, ludum, iocum, feſtiuitatem, ferias. T. Qui tandem Vincenti? aut qualis eſt iſta fortuna, qua te fortunatiſſimum hodie euaſiſſe gloriaris? mihi enim conſequutus

quip-

quippiam videre, quod & diu expetiueris, & ſemper admiratus ſis. V. Rem acu. Publicum & à Magiſtro, & ijs qui ſtatis definitiſque temporibus ſcholaſticorum progreſſus tentant (Examinatores vocamus) ſedulitatis & doctrinæ auferre teſtimonium, quæro, numerare num debeam in bonis? T. Ac ſummis quidem atque ampliſſimis. Quantum conijcio, gradum ſtudiorum altiorem aſcendiſti. V. Aſcendi verò: quod mihi, parentibus, familiéque noſtræ felix, fauſtumque eueniat. T. Gratulor tibi honorem iſtum ex animo, & tua cauſſa ego quoque incedo lætitia. Quotus eras? V. Non auſim dicere, ne tu arrogantius quàm veriùs id à me dici interpretêre. T. Audacter enuntia: nam mihi ſuſpicionem mendacij, aut ambitionis mouere non potes. V. Tertius fui. T. Quod tecum aſcenderunt? V. Vndequadraginta. T. Non leue argumentum eruditionis, inter tot tam propè ad primam palmam acceſſiſſe: Quis veſter ſignifer, & coryphæus erat? V. Longinulus ille noſter. T. Secundus? V. Fruſtrà nominem, quandoquidem non nôſti. T. Præſtans ingenium ſortitus eſt ille adoleſcentulus. V. Præſtantiſſimum. Stupore complebat præfectos examini, ita promptè, & rectè reſpondebat ad quæſita ſingula, afficiebaturque ab ijſdem diuinis laudibus. Quoties me illius loco eſſe optabam? Quod ſi quid veritatis haberet, quam ſuperioribus diebus Magiſter narrabat inuexiſſe Pythagoram μετεμψύχωσιν illius pueri animam cum ingenio ſuo, & probitate in meum corpus vellem immigrare. Cæterùm anno vertente primas

nulli

nulli ceſſero. Et quoniam amat victoria curam, non eſt mihi conſilium pati per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluere: legendo, ſcriptitando, ediſcendo, etiam aliquid noctis aſſumam. Aliquando videlicet multùm ingenioſos à ſtudioſis ſuperatos, & vidimus, & accepimus. Quid multa? enitar ſumma ope me præſtare cæteris omnibus. T. At illud ſectatoribus literarum apprimè cauendum duco: ne quid nimis. V. Si periculum impendere ſenſero, moderabor cupiditati. T. Arbitror parentes tuos exſpectare huius felicitatis tuæ felicem nuntium. V. Hinc domum rectà propero: à me primùm faxo audiant, quod geſtum eſt: mihi ipſi perſoluant εὐαγγέλια. T. Ex gratulationibus vix eminebis. D. Domeſticos omnes mea gloria lætitiam ingentem agitaturos diuinat animus. Vale. T. Vale, ſed quid agis? V. Quid vis? T. Nempe otium à literis eſt hodie? V. Fugit te ratio. Madidúſne an ſiccus es, qui iſtuc me interroges? T. Tamen nihil obeſt.

## ANNOTATIONNES.

QVod ſic geſtis) *Feſtus, Geſtit qui ſubita felicitate exhilaratus, nimio corporis motu præter conſuetudinem exultat. Lætitia, voluptate geſtire Cicero, quorum ſenſus idem eſt cum illo, quod ex veteri poët. adducitur. 2. de finib. Tanta lætitia auctus ſum, vt mihi non conſtem.* Amœnitate Amœna) *Plautus & Lucretius delectantur hoc loquendi genere, in quo nomen adiectiuum eiuſdem originis eſt, atque ſubſtantiuum cui copulatur.* METEMΨΥΧΩΣΙΝ) μετεμψύχω-

ani-

*animam ex vno corpore in aliud transfero, traduco: ipsa translatio, & traductio huiusmodi, seu animorum in alia corpora immigratio μετεμψύχωσις, quasi dicas, transanimatio. Hoc dogma Pythagoreorum fuit, asserentium animas hominum in corpora bestiarum, atq; etiam aliorum hominum se recipere. Plato in Phædone. Crin. lib. 11. c. 3. Quorum placitum secutus Ennius, scripsit somniâsse se mortuum esse, & Homeri animum in corpus suum migrasse: ex quo se optimum poëtam extitisse, & versus, Homericis similes, scribere. Horat. ep. 1. l. 2. Atq; hæc causa fuit, κυνοφαγίαν, seu ἐμψυχοφαγίαν prohiberent illi Philosophi: ne fortè bubulam quis de proauo suo comederet. Plutarchus super ea re duos libellos edidit. Ad hanc mutationem alluſit Horat. lib. 4. Ode 2. cùm de Pindaro cecinit: Multa Dircæum leuat aura cygnum, & cùm se in album alitem, id est, in cygnum mutari dixit, lib. 2. Ode 20. Credebant enim eos, qui numeris poëticis delectati essent, alterius exordio vitæ in olores mutari, & aues canoras in cantores, & poëtas renasci, & cantores atque poëtas in aues musicas verti. Turneb. l. 10. c. 22.* ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ *) Non modò fausti, ac læti nuncij, verùm etiam præmia, quæ dantur læta nuncianti, hoc vocabulo indicantur, idq; vtroq; numero. Sngulari quidem vsus est Homerus in Odyss. semel, & iterum, multitudinis Cic. ad Attic. lib. 2. O suaues epistolas tuas vno tempore mihi datas duas: quibus εὐαγγελίᾳ quæ reddam nescio, deberi quidem planè fateor. Sed quid ais?) Ita veteres cùm aliquid aliud, præter antè dicta, aut quæsita dicturi, aut quæsituri erant: Plaut. Bacchid. Sed*

quid

quid ais? B. Quid eſt? Item in Aſin. & Amphit. Fugit te ratio ) Fugit me ratio ſermo eſt eius, qui erra-uit, id eſt, qui aliud dixit, aliud dicere voluit. Plaut. Amphit.

SO. peccaueram.
Nam Amphitruonis ſocienum me eſſe volui' dicere.
ME. Sciebam equidem nullum eſſe nobis, niſi me,
ſeruum Soſiam:
Fugit te ratio.

Catull. ſimiliter.

Iſtud quod modo dixeram me habere
Fugit me ratio, meus ſodalis
Cinna'eſt Caius, is ſibi parauit.

Sumptum credibile eſt à ratiocinatoribus, qui interdum in deducendis, & ſubducendis rationibus errant. In Bacchid. Plaut. dixit. Vbi me fugiet memoria Mur. & Lamb. Madidus an ſiccus ) Siccos Latini nominant ſobrios, ab ebrioſitate alienos. Cic. in Rullum. Vtrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia videntur? Idem in Academ. Dormientium, & vinolentorum, & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quam vigilantium ſiccorum, & ſanorum. Horat. Ode 18. lib. 1. Siccis omnia nam Deus dura poſuit. Et, Ode 5. lib. 4. dicimus integro ſic ci manè die. Plaut. Perſa. Iam diu factum eſt cùm bibimus, nimis ſicci ſumus. Opponitur autem huic voci contraria notione madidus, & vuidus apud Horat. Ode proximè nominata. Plaut. Aulul. (iuſſero

EV. Non potem ego quidem hercle. ME. At ego
Cadum vini veteris ad me afferier.

EV. Nolo

*EV. Nolo hercle, nã mihi bibere decretum eſt aquam.*

*ME. Ego te hodie reddam madidum, ſi viuo, probè.*

*Locus alius eſt in Aſin. perelegans, in quo vtranque vocem habes.*

*ART. At ſceleſta, ego prætor alios meum virum ſui nata.*

*Siccum, frugi, continentem, amantem vxoris maximè.*

*PA. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortales pretij.* (ſua.

*Madidum, nihili, incontinentem, atq; oſorem vxoris*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM PRIMVM.

## Præmia.

*PAVLVS, GREGORIVS, FAVSTINVS.*

PAVLVS. Saluere te volumus, Gregori noſter.

G. Saluete ſuauiſſimi ſodales mei: quid agitur?

F. Mirabamur paulò antè ego, & Paulus, vbinam delitеſceres: etenim circumferentes oculos in omnem partem, cernere te non poteramus in loco, quo loco, niſi me fallit opinio, nunquam fuiſſes quàm hodie libentiùs.

P. Aliqua de improuiſo commotiuncula te ædibus exire, vt ſuſpicor, prohibuit.

G. Nulla Paule.

F. Quid ergo, amabo te, creauit hanc abſentiam?

G. Dum per tabulata in ſummis ædibus curro incautiùs, claui cuſpide, è vetuſto aſſere prominente, me indui: id vulnus me vt claudum futo-

rem

rem residere domi solum adegit, & iucundissimi spectaculi fructu priuauit. Sed vnde vos ad me? P. Celeri passu ex ipso theatro huc nos contulimus. G. Frons læta, & oculi ludibundi indicio sunt rem cecidisse vt voluistis. P. Et ideo addito gradu ad te properauimus, vt voluptatis te nostræ participem faceremus. F. Haud aliquando æquè beati fuimus, vt hodie. G. Audire expero: præmia nempè, & secundam populi admurmurationem consecuti estis. P. Qui bene conijciet, hunc vatem perhibeto optimum. Ita sanè, obtinuimus præmia. G. Vterque? P. Vterque: atque, vt nihil omnino dubites, rem ipsā tibi auctorem proferemus. Ecce libellum. F. Ecce meum. G. O venustos, ô verè aureolos libellos: nam auro radiant, ac fulgent vndique. F. Considera Paulisper emblemata, & parerga frontium: quàm oculis blandiuntur? G. Iste est tuus Paule? P. Meus est. G. Vt bene, vt festiuè impressus est multicipitem Lernę belluam contundens Hercules? P. Verte. G. O imaginem pulchram. Æneas patrem suum Anchisen humeris impositum ex incendio Troiano efferens: quem passibus etiam non æquis paruus Iulus sequitur. F. Et meus, aspice, quàm elegantibus signis insignitus est? G. Sic est. Aperi, vt videam quis auctor, & qua de re scriptus. PVB. VIRGILIVS MARO. P. Ego Festum cum Scaligeri castigationibus, vide sis. G. Anno proximo superiore huiusmodi ego quoque consecutus sum: quem librum, vt gryphes in Riphæis montibus aurum, custodio. Summoperè parentes recreabitis hisce munusculis

tam politis, & micantibus. F. Spero equidem. P. Fecítne medicinam pedi tuo chirurgus? C. Accuratiſſimè. P. Qua demum ratione? G. Principiò expreſſit concretum ſanguinem: poſt lauit vulnus, & ſubtili linteolo exterſit: tum emplaſtrum applicuit, & pedem, vt videtis, circumligauit. F. Optimè G. Intra dies paucos, Deo annuente, in ſcholam me rediturum, & vobiſcum in cãpo ad Danubium curſura certaturum autumo. F. Ante noctem Præceptori nuntiabo de iſtoc aduerſo caſu tuo: nec me animi fallit, magno ei dolori futurum: amat enim te merito tuo, quod ſæpè cognoui. P. Condiſcipuli ad vnum dolebunt, cum intellexerint. G. Permodicum, & pænè nihil eſt. Quorſum tragœdias in nugis? F. Nunc vale Gregori, nos diſcedimus. G. Et vos bene valete. P. Craſtino te reuiſemus. G. Quod veſtra voluntas tulerit.

## ANNOTATIONES.

CLaui cuſpide me indui) *Sic locutus eſt Cæſar lib. 7. de bello Gallico. Seipſi acutiſſimis vallis induebant. Virg. 10 Æneid.*

*——animo nunc huc nunc fluctuat illuc*
*An ſe ſe mucrone ob tantum dedecus ameus*
*Induat, crudum per coſtas exigat enſem.*

*Genus dicendi inde natum, quod quæ inhærent corpori, è veſtimento videntur.* Secundam populi admurmurationem) *Signa, & notæ approbantium ἐπωνυμίαι Græcis Cic. ad Att. admirandus ἐπωνυμίας auferebamus.* Qui bene conijciet) *Cic. 2. de Diuinat.*

*Eſt*

*Est quidam græcus vulgaris in hanc sententiam versus. Bene qui conijciet, vatum hunc perhibeto optimum. Versus Euripedis hic est* μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει σοφῶς. *Cuius principium citat idem Cicero more suo ad Attic. epist. 13. l. 7.* Ovenustos) *Venustus, esse aliquando idem quod fortunatus ac felix & contra, inuenustus eandem habere subiectam vim, quam infortunatus & infelix, probat Nonnius Miscel. lib. 1. Quæ quidem non ita vulgaris nota, ac publicæ monetæ significatio videri merito potest.* Parerga frontium) *Quibus de frontibus loquatur, aut quæ sint libri frontes, perspicuum est ex illo Ouidij eleg. 1. Trist. lib. 1. ad librum suum, exteriores videlicet eius partes.*

*Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes.*
*Hirsutus passis vt videâre comis.*

*De ijsdem epigram. 1. Catull.*

*Quod dono lepidum nouum libellum,*
*Arida modo pumice expolitum.*

*Martialis quoque lib. 1. pumicatam libri frontem dixit. Nam quomodo nunc, ita antiquitus libri pellibus tegebantur, quas leuigare ac perpolire pumicibus solebant. De volumine, cornibus, vmbilicis, frontibus librorum, vide Manut. in epist. 7. lib. 3.* Vt gryphes in Riphæis) *Riphæi montes sunt in Scythia, in qua & gryphes animalia, capite, & rostro aquilis (nisi quòd auribus equinis) reliquo corpore leonibus similia, alata tamen, & equis vehementer infesta, vt indicat etiam Virgilius noto carmine eclog. 8. Iungentur iam gryphes equis, &c. ibidemq; Seruius. Plinius lib. 7. cap. 2. Sed & iuxta eos, qui sunt ad septentrionem versi, haud procul ab*

*ipso aquilonis exortu, speculque eius dicto, quem locum Gesolitron appellant, produntur Arimaspi, quos diximus, uno oculo in fronte media insignes: quibus assiduè bellum esse circa metalla cum gryphis ferarum volucri genere, quale vulgò traduntur, eruente ex cuniculis aurum mira cupiditate, & feris custodientibus, & Arimaspis rapientibus, multi, sed maximè illustres Herodotus, & Aristeas Proconnesius scribunt. Idem lib. 10. cap. 49. Pegasos equino capite volucres, & gryphas aurita aduncitate rostri, fabulosos reor: illos Scythia, hos in Æthiopia, Lege Nicol. Leon. de varia hist. cap. 55. lib. 1.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM SECVNDVM.

## Repulsam passi,

*MARTINVS, IOSEPHVS, LVCAS, GYMNASIARCHA.*

MArtinus. En vnquam hoc durissimo, & intolerando seruitio exibo? in orbe terrarum nihil est me vno ærumnosius, nihil perditius. Prô Deûm atque hominum fidem: iam sextum annum in pistrino Grammatico miserabiliter molo. Timæum Platonis, quo non esse quidquam tenebricosius fama tenet, celeriùs credo, faciliusq; caperem. Heus heus, cohibete gradum: quo ambulatis vos? I. Ad gymnasij Præfectum tendimus. M. Quas ob res?

res? I. Depulsi sumus de spe, ego Humanitatis, iste Rhetoricæ: vterq; præteritus est à Nomenclatore. M. Non igitur ego solus miser cum grege commilitonum meorum: me quoque (indignum facinus) excluserunt schola Syntaxeos. Ibo simul, & enitar exorare virum, vt misereatur mei, consiliaque meliora capessat. Equidem si centum annis sedero in ludo Grammatico, non plus addiscam quàm hoc sexennio: omnes bonæ felicitates aduersantur, & inuident mihi. I. Me verò Mobile cum fixo (quod illud Dij perdant) fecerunt immobilem, & tanquam in cruce suffixerunt. Cur tu, bone Luca, non ascendisti? L. Dic quibus in terris: nam cur vos non ascendistis? M. Perperam respondimus in examine, malè scripsimus. L. Eodem me crimine alligaui, vt isti Triumuiri asseuerant, qui doctrinam nostram periclitati sunt. Tam dignus ascensu fuissem, quàm alius quiuis. I. Neque nos tam sumus rudes, & inepti, vt non, si minùs ex iustitia, certè quidem ex liberalitate, & gratia potuerint nos illi Critici in scholas superiores asciscere: id quod antehac factum. L. Non secus atque si quæstionem inter sicarios, aut sacrilegos exercerent, & crurifragium nobis perpetiendum esset, asperos se præbebant, & rigidos Æacum, Minoa, Rhadamantum de capitibus nostris iudicio decernere putares. Sed ipse Præfectus contra tendit. G. Saluete adolescentes: quorsum hîc adestis? L. Reuerende Domine, prohibitus sum aditu scholæ Rhætoricæ, G. Quid narrat Iosephus? I.

Ab humanitate reiectus sum. G. Et Martinus? M. à Syntaxi, G. Bene habet: sic merebamini. L. A Domine, tuam fidem obsecro. Liceat ascendere. G. Non perpendis quid contendas. M. Sextus labitur annus, cùm sedeo in schola Grammaticæ: pertæduit. G. Nisi tu doctior Grammaticæ fias, adhærebis ad scamnum tuum vsque ad annum sexagesimum. Tu similiter Iosephe, nec sequente autumno Humanitate donaberis, si ad sedulitatem nō addideris vel plurimum. I. Atqui perpetuò disco, continenter in libris versor, vsque ad supremam lassitudinem, donec defessus sim medullis omnibus. G. Scriptio & responsa hæc, quàm verum dicas, demonstârunt. Mitto barbarismos: referta, & scatens erat solœcismis epistola tua: quod genus figuræ apud Lucam quoque elucebat: apud te, Luca, qui in Græcis alphabetum nescis, & neque soluta, neque pedibus deuincta oratione cum vllo eorum, qui ascēderunt, comparandus es. Præcepta insuper non tenebas, adeò, vt vix semel aptè responderis. L. Timor verba præpediebat, quo pæne exanimabar. G. Scitum, & ignauis istis vsitatum: ignorantiæ culpam timori assignare. Victores illi profectò non timebant: quia, quæ tu ignoras, ipsi sciebant, & ad pugnam suis tecti, instructiqúe armis procedebant. M. Tuam clementiam precibus omnibus oro, & obtestor, absoluat me tandem aliquando ab ista schola: satis diu iam hoc saxum voluo: polliceor incredibilem diligentiam in Syntaxi G. O te in consultum, ô insipientem. Hoc laboras, vt domum

ædi-

ædificare tibi fas sit, nullumque fundamentum ponere. Sic faciunt omnes, qui ad grauiora reconditioraque studia adiungunt animum, cùm leuiora vix primoribus labris attigerint: quodque in priore consequi scientia debuissent id se in superiore ludo promittunt velle discere, nec stant promissis. Adhuc vidi nullum, qui Grammaticæ indoctus, eam in Humanitatis, Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæ aliarumque disciplinarum officinis didicerit. Quare, Luca, ne imponas tibi: non consequêris quod cupis. L. Heu. At enim nisi audis, parentibus dare me in conspectum non sustineo: efferuescent ira, & stomachum in me erumpent. G. Facesse, tute hoc intriuisti, tibi exedundum est. Commentare, quo pacto illis propitijs, & beneuolis vtare. Mea nihil interest: nec ob tuum incommodum abrogandæ videntur commodæ leges gymnasij, & aperienda fenestra discipulis ad socordiam. I. Ego, Domine, non audiui omnia à Magistro, in quibus interrogabar. G. Quid te impediuit? I. Occupationes variæ non fiuerunt me tam frequentem esse in ludo. G. An tu subducere me istis dictis postulas? Credibile est temetipsum tua voluntate coactum, tibi interdum mandâsse negotia non necessaria. Vtcunque sit, danda fuit opera, vt etiam illa cognosceres. I. A a, mi domine Præfecte, sum pauper; viuo alienis sumptibus, & ni ascendero, amisso Mæcenate, literis & scholæ cogar multã salutem dicere. G. Contra torrẽtem niteris. Dedecorabis Mæcenatẽ, si, quod petis, impetrabis. Non enim

ille te alendum suscepit, vt nunc in hac, paulò post in illa schola truncus super lignum sessitares; verùm vt eruditior semper te ipso effectus, eius postmodum vtilitatibus, cum tempus venisset, commodares. Quòd si istas ratiunculas probauerimus: hæc aut illa non audiui cùm explicarentur: Mæcenas non me posthac de suo alet: parentes è conspectu suo fugabunt: ex hoc ero diligens: iam multos annos hanc scholam frequentaui: si, inquam, has similesque ineptias pro aptè concluſis epichirematis receperimus, ijsque permoti, scholam eruditiorem aliquibus patefecerimus, nullum vtique in inferioribus relinquemus. Quisnam status erit nostræ prouinciæ? quæ facies? in me postea culpa omnis transferatur: in me redundet ista calamitas. M. Patiare te flecti. L. Noli, propter Deum, respuere rationes. G. Immò si fiant, quę vos futura asseritis, ad exemplum proderunt multis, feliciterque sapient, qui malis alienis sapient: & dum similia formidabunt, acrius se studijs inuoluent. Cur præceptorum vestrorum pæne assiduæ cohortationes, obiurgationes, istorumq; malorum, in quæ incidistis nunc, prædictiones nihil apud animos vestros vnquam valuerunt? Ecce iam pretium fertis ob stultitiam. Æquè autem vtile censeo scholis nostris, vos, & similem vestri turbam multari hac ignominia, quàm alios vestrûm dissimiles, hoc est, industrios, & doctos adolescentes cumulari gloria: vtraque nimirum re, vt aliqua Respub. continentur. Quòcirca desinite, iam conclamatum est: frustra operam conteritis.

Au-

Auferte vos domum: abscedite hinc: molesti vltrà ne sitis: nihil noui de vobis, nouo aliquo edicto, sancietur. L. M. I. Dignare misericordia miseros. G. Cur vos antè vestri ipsorum non miserebat? quem modò amicum inuenietis, cùm vobismetipsi hostes extiteritis? Serò sapiunt Phryges. L. Si post mensem idoneus fuero, nunquid non permittes me ascendere? G. Si. L. Conabor manibus, & pedibus, noctesque, & dies obnixè. M. Ego etiam laborem, ac studium adhibebo. G. Nimium miris modis mira prodigia, si tu actum reddas vno mense, quod sexennio non reddidisti. Magis istuc linguâ percipio dici, quàm factis credo fore. Nihilominus, vt ne atrocitatem meam accusare possitis, indulgeo spatium. I. Quoniam ea conditio istis offertur, volo eam quoque accipere. G. Tui est arbitrij. Sed hoc antè vobis denuntio, non plus gratiæ inuenturos, quàm nunc inueniatis. Præcipiam insuper Magistris, vt deinceps austeriùs vobiscum agant, & verberibus ad discendum compellant magis, quàm hactenus: si fortè hęc ratio, ceu à brutis animantibus, nonnihil possit extorquere. Trahunt aratrum fortiùs boues, si fodiantur stimulis: & sub onere ambulant celeriùs asini, si ipsorum latera identidem percurrantur fustibus. Abite vnde huc pedem attulistis, & rebus vestris prospicite. Quin adhuc pauca attendite. Cicadæ, æstatis tempore, cantilenis assiduò sese oblectabant, cùm formicæ, vt sunt prudentes, ac non incautæ futuri bestiolæ, ingentem farris aceruum populantes, magnis operibus in cauernas cibaria con-

ueherent, quibus per hyemem victitarent. Fortè accidit, vt tritici grana terræ humoribus putrescentia cubilibus exportarent, & ad solis radios desiccarent. Præteriens cicada orat, vti alimoniam sibi dignentur esurienti impertiri. Tum formicæ, quid tu, inquiunt, per æstatem agebas? cur tibi quod ederes non colligebas? Egò verò, subiecit cicada, non eram otiosa: canebam musicè. Hîc arridentes formicæ responderunt: si æstate ceciniſti, hyeme salta. Atque ita vacuam, vt venerat, inanemque discedere coëgerunt. Nunc æstas est dum adolescitis: quando senescetis, hyems erit. Ibi tum iucundè, & suauiter fruemini. si quid modò vobis scientiæ pepereritis. Quid quia hucusque omisistis, otio autem, ambulationibus, ludis potiùs tempus transmisistis, cum condiscipuli vestri studiosè elaborâuerint in literis, an non idem illi quod formicæ cicadis, poterunt vobis exprobrare? O Luca, ô Iosephe, ô Martine, qui hac proxima æstate ceciniſtis, nunc choros ducitote. Hæc in pectora vestra demittite, & ad frugem vos recipite. Verbum non addam: quin vos hinc amolimini. M. Occisissimus sum omnium qui viuunt hodie vsquam gentium. I. Quam nunc ego spem, quam opem, quod consilium capessam? Nullus sum. L. Ærumnas Herculis supero ærumnis meis: nec quid me nunc faciam scio. Parum abest, quin me relinquat animus.

## ANNOTATIONES.

EN vnquam) *id est, vnquámne, hoc est, aliquandóne? vt Seruius interpretatur ad illos versus eclog.* I.

*En*

*En vnquam patrios longo poſt tempore fines,*
*Pauperis & tuguri congeſtum cæſpite culmen*
*Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas?*

*Idem Poëta per interpoſitionem diuiſit eclog. 8.*

*en erit vnquam.*

*Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?*

*Plaut. etiam Rud. Quæſo, en vnquam hodie licebit mihi loqui? & Trinum. ô pater, en vnquam aſpiciam te? Terent. Phorm. En vnquam cuiquam contumelioſiùs Audiſtis factam iniuriam?* In piſtrino moleres) *Apud maiores noſtros (inquit Seruius in 1. Æneid.) molarum non erat vſus, frumenta torrebant, & ea in pilas miſſa pinſebant, & hoc erat genus molendi: vnde & pinſores dicti ſunt, qui nunc piſtores vocantur. Hinc Virgil. frugeſque receptas, Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo. Inuentæ ſunt deinde molæ aſinariæ, quas circumagerent aſini: aliæ truſatiles, quæ hominum manibus verſabantur maximo cum labore, & laſſitudine. Inde cœptum vſurpari piſtrinum, pro loco moleſtiarum laborumque pleno, & pro negotio nimiùm operoſo. Terent. And.*

*Verberibus cæſum te in priſtinum Dane dedam vſque ad necem.*

*Ea lege atque omine, vt ſi te inde exemerim, ego pro te molam.*

*Plaut. Moſtell.*

*Rus mihi tu obiectas? ſanè credo Tranio*
*Quòd te in piſtrinum ſeis actutum tradier.*

Timæum Platonis) *Adagium, Platonicis numeris obſcurius, quo vſus eſt Cicer. lib. 7. ad Att. epiſt. 13. Plato*

*quip-*

quippe numeris Pythagoricis ſuam philoſophiam inuoluit, & obſcurat, lectoríque nebulas, ſeu tenebras ingentes offundit, in dialogo præcipuè, qui Timæus, ſiue de natura inſcribitur, quo nihil obſcurius, de quo 2. de finib. cum rerum obſcuritas, non verborum facit, vt non intelligatur oratio, qualis eſt in Timæo Platonis. Idem Acad. 1. In libris Platonis nihil affirmatur, & in vtramq; partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur. Dic quibus in terris) eclog. 3. Damætas paſtor ex Menalca quærit in hunc modum.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.
Tres pateat cæli ſpatium non amplius vlnas.

Hanc quæſtionem cùm Menalcas diſſoluere non poſſet, æquè difficilem obiecit.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcuntur flores.

Quem morem, & hodie vulgus imitatur in congreſſibus. Triumuiri) Triumuiri, ſeu vt Plaut. ſæpe vocat, Treſuiri, quidam capitales creabuntur, quorum munus in facinoroſos, & ſeruos ius dicere. Iidem cuſtodiæ carceris præfecti erant, ipſorumq; interuentu de maleficis ſupplicium ſumebatur. Amphit. Quid faciam nunc, ſi treſuiri me in carcerem compegerint? Aſin. Nam iam ex hoc loco ibo ego ad treſuiros, veſtraq; ibi nomina, ſaxo erunt. Capitis te perdam ego, & filiam. Illi Critici) Grammatici, qui de ſcriptoribus, & ſcriptis aliorũ, imprimiq; poëtarum ferrent ſententiam, ſic appellati ſunt. Qualis apud Horatium Metius Tarpa. Quintilius apud Græcos celebratiſſimus ille Ariſtarchus Horat. epiſt. 1. lib. 2. Ennius, & ſapiens, & fortis, & alter

Ho

*Homerus, vt Critici dicunt. Tamen si vocem ipsam spectes, officium Critici malè grammaticis finibus includitur: non rectè, inquam, ipsam iudicandi facultas atq; peritia, quæ vis huius vocis est, tum actione confunditur, & κριτικὸς pro κριτὴς ponitur. Hoc non magis decet fieri, quàm pro eodem habere ποιητικὸν & ποιητὴν, ῥητορικὸν & ῥήτορα, στρατηγικὸν & στρατηγὸν.*

Æacum, Minoa, Rhadamantum) *De his tribus inferorum iudicibus in 6. Æneid. Legendi mythologi, & maximè Natalis Comes. Propter iustitiam, qua in terris claruerunt, hoc honore donati à Ioue finguntur.*

A domine) ἃ *aduerbium quiritantis, aut commiserantis est, & per aliquam harum interiectionum redditur, ah, hei, hem. Est cùm terrorem, & perturbationem declarat, tum valet hem, & eho. Catull. qui eo gaudet, prima notione dixit. A te tam miseri, maliq; fati. Hæc idcirco breuiter, ne quis insolentia huius particulæ deceptus, in Ab, commutandam putaret.*

Hoc saxum voluo) *Sisyphum, quòd Iouem prodidisset, fabulantur Poëtæ hac pœna apud Orcum in perpetuum cruciari, vt ingens saxum manibus, & pedibus connixus, & sudans in aduersum montem pronoluat. Cùm autem non longè abest à montis vertice, tum vi quadam valida saxum repellitur, & in planitiem reuoluitur, ipseq; iterare laborem cogitur, Sisypho ambitiosos comparat Lucretius in 3. his versibus.*

*Non petere imperium quod inane est, nec datur vnquam.*
*Atq; in eo semper durum sufferre laborem:*
*Hoc est aduerso nixantem trudere monte*

*Saxum, quod tamen à ſummo iam vertice rurſum*
*Voluitur, & plani raptim petit æquora campi.*

*Hinc ſaxum voluere eos dicimus, qui inexhauſto, nec tamen vtili labore conficiuntur. Terent. Eunuch. Satis diu iam hoc ſaxum voluo.* Multam ſalutem dicere) *Dicēdi ratio è græco fonte profluens,* πολλὰ χαίρειν λέγειν. *Cicero epiſt. 33. lib. 7. Ego verò multam ſalutem, & foro dicam, & curiæ: viuámque tecum multùm, & cum communibus noſtris amatoribus.* Vt aliqua Reſpublica) *Solonis eſt, de quo ita Cicero ad Brut. epiſt. 15. Neq; ſolùm, vt Solonis dictum vſurpem, qui & ſapiens vnus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem. Is Rempub. duabus rebus contineri dixit, præmio, pœna.* G. Si) *Breuiloquentia delectatos fuiſſe Lacones conſtat. Inde* λακωνίζειν λακωνισμὸς. *Paucisſimis igitur verbis, ſæpe vno, plurimum ſententiæ complectebatur. Exempla ſint* αἶνα *ſi. Qua voce tantùm ad longam Legatorum Philippi oratio nem reſponderunt. Præterea cùm illis ſcripſiſſet Philippus. Si exercitum duxero in Laconicos fines deuaſtabo vos, etiam reſcripſerunt. Si. Plutarch. de garrulitate. Item ἐ, cùm queſiuiſſet, an ipſuu in ciuitatem eſſent recepturi. Plutarchus eodem lib. cùm ipſorum agrum ingreſſus, per literas quæſiuiſſet, velléntne ſe vt hoſtem, an vt amicum venire, reſponderunt,* ἀδιτερον, *neutrum. Contrarium eſt* βαττολογεῖν, βαττολογία, *hæc enim loquacitatem, & ſermonem nimis effuſum, & prodigum ſignificant.* Ærumnas Herculis) *Propter tam graues, & omnibus iam etiam tonſoribus notos labores, eoſque non paucos, qui à diuerſis Poëtis ſunt deſcripti. Plaut. Perſa.*

Qui

*Qui amans egens ingressus est princeps in amoris vias.*
*Superauit ærumnis is suis ærumnas Herculis:*
*Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, apro Ætolico,*
*Cum auibus Stymphalicis, cum Anteo deluctari me velim,*
*Quàm cum amore.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM SECVNDVM.

## Vacationes.

*PETRVS, HILARIVS.*

PETRVS. Cùm duodecim mensibus voluatur annus, Hilari, & is in quatuor tempora digeratur, in ver, æstatem, autumnum, hyemem: vnumquodque autem trimestri spatio terminetur: non sum animi dubius, quin tu, sicut in gradibus ætatis humanæ adolescentiam pueritiæ, constanti seu mediæ ætati, & senectæ præfers: ita in differentijs temporum æstatem cæteris anteponas: ac proinde æstiuis mensibus ampliùs delectêre, quando pacatum nitet diffuso lumine cælum, rami baccarum vbertate incurueſcunt, segetes largiuntur fruges, pellucidulis aquis manant fontes, quando suaues dædala tellus submittit flores, & rident æquora ponti. H. Esto sanè: quorsum tu istuc? P. Quorsum? nôsse

nôsse velim ex Iunio, Iulio, Augusto: siue, vt veteres nominabant, Quintili & Sextili, ex his tribus, inquam, mensibus, ecquis tibi exspectatissimus venire consueuerit. H. An etiam id dubitationem habere potest? Idem, Petre, qui tibi. P. Quem ergo mihi amabilem, acceptumque procedere autumas? H. Quid credis? Iulium. P. Quibus de causis? H. Quia Alcedonia sunt in scholis plus triginta, nedum quatuordecim diebus. Vacationum agitantur solennes feriæ: licet deambulare, & sese dare lusibus. In patriam quoque abeundi potestas conceditur ad visendos parentes, fratres, sorores, propinquos & affines: vbi tam blandæ salutationes, tam benenolæ ac festiuæ congressiones, tam multæ vocationes ad honesta, & delicata conuiuia. Quid verbis opus est? iucunditates sexcentæ, P. De ista re nunquam tecum contendere certum est. Laudo, laudo maiorum nostrorum prudentiam, qui adolescentum valetudini ista relaxatione consulendum putauerunt, quam continentibus atque diuturnis literarum contentionibus offendi exploratum est; cœlo æstuante potissimùm, quali affligimur exorta canicula. Et mihi multò verissimum videtur illud epigrammathographi: pueri si æstate bene valent, satis discunt. H. Iam istuc vagandi, & vacandi tempus propinquat. P. Scio, festos, seu Kalendarium identidem adij. H. Quî traduces? P. Non omnino vsum librorum dimittam, nec me à nostris Musis proinde, vt si bellum ipsis indixissem, disiungam. H. Optimè verò, Petre, & fieri sic decet. Quid leges?

P. Ea

P. Ea inprimis, quę liberalem, & frugiferā delectationem pariant: vt sunt Græcorum, Romanorumque historiæ, & excellentium carmina poëtarum. Exercitationem styli haud intermittam, dictata recensebo, audita mecum pertractabo. Denique ita has hebdomadas vacationum transigere constitui, vt etiam otij mei rationem afferre possim. H Ego natale solum, quod me sui immemorem esse non sinit, post quartum denique annum, quàm discessi, videre destinaui. P. Et rectè. H. Addunt non mediocre calcar, quas ab hinc triduum accepi literas: eæ sunt paterna manu. Ante diem tertium Nonas Quintiles iter in patriam ingredi iubent. P. Quando huc te reuersurum augurâre? H. Si erit, vt illi me citò dimittant, citò: mater inprimis, quæ extra me stirpem virilem, aut muliebrem patri meo nullam generauit. Et nôsti quanta sit matrum, in vnicos præsertim, φιλοστοργία. P. Multas persæpe opportunitates corruperunt istæ matres, quæ sic effictim amant liberos. H. Tamen per patrem impetrabo, vt ne vltimus omnium huc reuertar. P. Planè ita faciendum sentio.

## ANNOTATIONES.

VNumquodque autem trimestri) *Adscribamus super hac re versiculos Ausonij.*

*Æternos menses, & tempora quatuor anni.*
*Quatuor ista tibi subiecta monosticha dicent.*
*Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.*
*Iulius, Augustus, nec non & Iunius, æstas.*

*Septembri, Octobri, autumnus, totóque Nouembri, Brumales, Ianus, Februarius, atq; December.*

In gradibus Ætatis humanæ) *Quadripartitæ temporum commutationi Pythagoras hominum ætatem comparauit, & in quatuor eam partes distinxit, in pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, senectutem. Primam veri, alteram æstati, tertiam autumno, ultimam hyemi similem esse confirmans: singulis autem 20. annos tribuit. Laërt. Ouid. 15. Metamorph. Eandem distributionem secutus est Horatius ad Pisones, vbi etiam cuiusque ætatis mores naturámque depingit. Varro à die natali facit quinque partes, siue gradus. In primo collocat pueros, qui sic dicantur, quod sunt pueri, sine pube impubes, ad annum decimum quintum. In secundo adolescentes, ab adolescendo appellatos, ad annum trigesimum. In tertio iuuenes, quod domi foriſque Rempub. iuuare possint, ad annum quadragesimum quintum. In quarto seniores, tum enim senescere corpus incipit, ad annum sexagesimum. In quinto qui ad finem vitæ extenditur, senes, qua ætate corpus senio conficitur, & laborat. Singulis ergo, præter extremum, annos quindecim Varro decernit. Hippocrates septem gradus constituit, infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilem ætatem, senectutem, senium. Primi finem esse vult annum septimum: secundi decimumquartum: tertij duodetricesimum: quarti tricesimum quintum: quinti quadragesimum secundum: sexti quinquagesimum sextum: septimi nouissimum annum vitæ humanæ. Vide insuper Gellium libro 10. capite 28. Iam*

*quaſ-*

quaſdam loquendi rationes in ætatibus, & anni temporibus, & menſibus quoque accipiant adoleſcentes. Ineunte, prima, extrema, exeunte adoleſcentia, iuuentute. Prouecta, præcipiti, adulta ætate, præcipiti, extrema ſenectute, &c. Sic ineunte, primo vere, exeunte, adulto, præcipiti. Virg. Vere nouo 1. Georg. Medio, adulto, prono vere. Iiſdem de æſtate vtemur (quam itidem nouam in 4. dixit Virgilius, Cæſar initam, & exactam) & de reliquis partibus, quas etiam ſeneſcentes, vt Cicer. hyemem pro lege Manil. & 3. de nat. deor. Item prouecta, vt Tacitus noctem, appellabimus. Quæ omnia fas erit ad menſes accommodare. Quintili, & ſextili) Romulus annum digeſſit in menſes decem, fecitque Martium primum, Aprilem ſecundum, propter Martem, & Venerem auctores Romanæ gentis, tertium à maioribus cognominauit, quartum à iunioribus: illum Maium, hunc Iunium: reliquos à numero. Quintilem quod eſſet quintus. Sextilem quod ſextus: & ſic deinceps. Ouid. 1. Faſtor.

Martis erat primus menſis, Veneriſq; ſecundus.
Hæc generis princeps, ipſius ille pater,
Tertius à ſenibus: iuuenum de nomine quartus;
Quæ ſequitur, numero turba notata fuit.

Poſtea de nomine Iulij Cæſaris, quòd eo natus eſſet, vt Feſtus inquit, ſeu M. Antonio legem ferente, vt ſcripſit Macrobius, Quintilis appellari cœptus eſt Iulius. Sextilem è ſuo cognomine Auguſtus nuncupauit, magis quàm Septembrem, quo erat natus: quòd eo ſibi, &

primus conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent. Suetonius in Octauio cap. 31. Hanc licentiam ſibi permitti voluerunt Tiberius, qui Septembrem à ſe Tiberium, & Octobrem Liuium: Nero, qui Aprilem Neronem, Maium Claudium, Iunium Germanicum nominari iuſſit. Domitianus autem, vt refert Suetonius cap. 13. Septembrem menſem, & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum, Domitianumq; tranſnominauit: quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet. Liuius de annis, & menſibus. Commodus quoq; Marci Antonini filius, Septembrem ad ſuum nomen transferre conatus eſt, vt Commodus diceretur. Eutrop. lib. 8. Argutum eſt, quod de Tiberio ſcripſit Dio; Diem ei inſtaret ſenatus, ſtatuerétq; Nouembrem (eo menſe natus erat, XVI. Kalend. Decemb.) Tiberium appellatum eſſe, ita reſpondit: Si Vobis Cæſares erunt. XIII. quid facietis? Alcedonia ſunt in ſcholis) Halcedones, ſeu Halcyones ſunt aues paullò maiores paſſeribus, media hyeme in littore maris nidos faciunt, ouа pariunt, pullos excludunt, Quibus diebus, ſilentibus, planè ventis, ſumma eſt cæli ſerenitas, ſumma maris tranquillitas. Vnde dies illi Halcyonij. Vide Ariſtotelem de hiſtoria animalium libro 5. capite 8. Plinium libro 2. capite 17. libro 10. capite 32. Ælianum lib. 1. c. 36. Varronem de lingua latina lib. 6. Seruiũ in 1. Georg. Plautus Caſina. ad quietem, & trãquillitatem à turbis, & litibus in foro transferens, paræmiam fecit: Tranquillum eſt, Alcedonia ſunt in foro. Hos ad ſcholarum ferias, quæ in menſem Iulium incidunt, feſtiuè ſignificandas adhiberi poſſe cenſuimus. Iucundi-

ditates ſexcentæ) *Ingentem, infinitumq́; numerum hoc verbo Latini declarant. Cicero ad Attic. Venio ad epiſtolas tuas, quas ego ſexcentas vno tempore accepi. Ad eundem. Belli periculum, militum improbitas, ſexcenta præterea alia. Plaut. Trinum. Sexcentæ ad eam rem cauſſæ poſſunt colligi. Idem alibi: Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium. Terent. Phorm. Sexcentas perinde potius ſcribito dicas. Licet etiam vti verbo mille, eâdem ratione. Plaut. Amor mille modis ignorandus eſt.* Otij mei rationem afferre) *Præclarus eſt locus in oratione pro Cn. Plancio; quem, ad verba noſtra illuſtranda, totum adſcribere non pigebit. Sed quid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem vnquam otioſum? Nam quas tu commemoras, Caſſi, legere te ſolere orationes, cùm otioſus ſis; hæs ego ſcripſi ludis, & feriis, ne omnino vnquam eſſem otioſus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit Originum ſuarum ſemper magnificum, & præclarum putani, Clarorum virorum atq́; magnorum, non minus otij, quàm negotij rationem exſtare oportere. Iuſtinus præfatione, eiuſdem dicti à Catone meminit. Columella lib. 2. c. 22. Sed cùm tam otij, quàm negotij rationem reddere maiores noſtri cenſuerint.* Quod me ſui immemorem) *Cic. 1. de Orat. Patria nos omnium maximè delectat: cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteposuerit. De Vlyſſe loquitur, de quo & Homerus hoc ipſum Odiſſeæ 5. Ouid. de Pont. lib. 1. eleg. 4.*

*Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat*
*Fumum de patrijs poſſe videre locis.*
*Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos*
*Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*
*Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?*
*Hunc tamen ex illa barbarus vrbe fugit.*
*Cùm bene ſint clauſæ cauea Pandione natæ,*
*Nititur in ſylvas quæq; redire ſuas.*
*Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones,*
*Nec feritas illos impedit, antra petunt:*

*Scripſit encomium patriæ Lucanus, in quo ſic inter cætera. Si de vrbium electione optionéque ageretur, nemo profectò contempta patria, aliarum ſplendorem, diuitiaſque ſequeretur: non quod illas non cuperet, ſed quod ijs patriam ſuam ornatam vellet: quàm nihilominus, qualiſcunque eſſet, cæteris anteponeret.* Ante diem tertium nonas) *Dicerem aliquid de hoc loquendi genere, oſtenderémque quo pacto eum ipſum diem, qui exprimitur, non præcedentem ſignificaret: item de illis, in ante diem, ex ante diem tertium Nonas, poſt diem tertium Kalendas, niſi me id iam pridem alibi præſtitiſſe meminiſſem. Conſulendus & Manut. in epiſt. 8. lib. 2. & 7. lib. 3. ad Atticum.*

PRO-

# PROGYMNASMA TRICESIMVM QVARTVM.

## Studium in ſyluis ac nemoribus.

*MINVTIVS, POLYDORVS, MAGISTER.*

MINVTIVS. Non ita pridem, cùm eſſem fortè ex triſtitia perturbatior, quærebam vbi illam miſeriam ex animo velut expuerem. Dedi me itaque ad legendas epiſtolas Plinij, quas abs te vt breues, argutulas, diſertas, ſuaues, eruditas, & facetas magnopere probari ſæpius animaduerteram. Incidi autem in ſextam libri primi, qua ille memorat Cornelio Tacito, qui cum ei familiaritas mutua intercedebat, ſe in ſylua, dum venaretur, & ad retia ſederet, iaceretque in proximo venabulum, quo ſcilicet feras in plagas ſe induentes tranſuerberaret meditatum eſſe, cogitationeſque ſuas ſtylo pugillaribus indidiſſe. *Non eſt quod contemnas, inquit, hoc ſtudendi genus mirum eſt, vt animus hac agitatione, motuq; corporis excitetur. Iam vndiq; ſylua & ſolitudo, ipſumque illud ſilentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt. Proinde cùm venabere, licebit, auctore me, vt panarium, & lagunculam, ſic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare.* His ita perlectis, egomet continuò mecum: conueniã Polydorũ, ex eo ſciſcitabor, quid de hoc Pliniano iudicio ipſe iudicet: arbitretúrne perinde Mineruam vt

Dianam vagari per montes,& nemora. P.Non ergo hoc de nihilo eſt, quod me conuentum eſſe expetiſti. M. Non eſt,Polydore, ſed auſculta dum. Muſis quidem certè, & μουσήτης Phœbo montes, nemora,ſyluas,in quibus habitent,& choros agitent, non arces,& vrbes dedicatas nouimus. Capiuntur item eiuſmodi locis poëtæ, & in ea ſecedere, carmina compoſituri, conſueuerunt.De Orpheo quoties legimus, ipſum canentem beſtias, & quercus inſecutas? Quòd ſi hoc antiquiſſimum è doctis genus, poëtarum, inquam, illic in ſuo negotio percommodè verſari poteſt, cur alij non poſſunt? quid eos prohibet? Si ſolitudo, ac ſilentium ſtudijs conducunt, ibi neutrum deſideratur. Si liber cœli aſpectus,ſi lenes viridiſſimarum arborum ſuſurri, ſi dulces auicularum concentus, ſi placido cum murmure de rupibus deſilientes lymphæ cogitationem minimè confundunt,ac te morantur, quin potiùs ſpiritum exſuſcitant, animum hilaritate complent, atq; ad propoſitam actionem attemperant; cur non ſtamus à Plinio, & aliquando cum ſtylo, & palimpſeſto, aut cum libro in nemus ambulatum imus, ibique ſumma iucunditate diem conterimus? Virgilium,poëtarum excellentiſſimum, in Campaniam frequenter, regionis amœnitate illectum ſeceſſiſſe, ibique bonam partem ſuorum carminum condidiſſe proditum eſt memoriæ.P. Quia ſententiæ meæ particeps, vt eſſes, idcirco iſtoc ζήτημα in medium attuliſti, reſpondebo tibi, ſi ſpoponderis priùs, non emanaturum quod audieris: ſum enim homuncu-

lus

sus vnus è multis, nondum oracula cano. M. Quod mihi credideris, ait Plautus, sumes vbi posueris: alium putes licet rimarum plenum esse, non me. P. Locos solos, ac silentium quàm altissimum legentibus, scribentibus, commentantibus vehementer commodare fatendum est, nec inter arbitros, clamores, strepitus, quantumcunque mediocres, animum, pro eo ac vellet, deberetque, suum posse agere negotium. Hinc videmus literarum candidatos amare secessus, & locos interiores, ac penitus silentes captare, ne per idola, & imagines rerum sensibus perceptarum meus sese diuidere, ac pluribus impertiri cogitationem, & veluti pugnam quandam tolerare cogatur. Demosthenes ille, cuius eloquentiã obstupuit vniuersa Græcia, studendi caussa latebrosè ab hominum conspectu, loco subterraneo se occultabat, ex quo nulla vox audiretur, nihil videretur, quare? ne oculi, & aures aliò mentem auocarent. Si Philosophorum, si Oratorum, aliorumque literis præcellentium vitam legas, non multos in turba, magis quàm in solitudine, solis libris præsentibus, respondentibusque suas res egisse inueneris. M. Prorsus tecum sentio. P. At verò quod quis ad hoc idem aliquid valere nemora, & syluas contendat, propter ratiunculas, quas tu afferebas, hoc aliquid nihil est. Iucundi sunt eiusmodi secessus, verùm ad ea, quæ nos quærimus, non sunt accommodati. Siquidem illa eadem, quæ sensibus blandiuntur, & animum delectant, eum ipsum ab opere destinato quasi retrorsum raptant: qui, quò pluribus

est

est intentus ( vt vulgatus inquit versiculus ) eò minus valet ad singula : valet vbi totus intenditur. Ac miror equidem Plinium hunc à Magistro suo Quintiliano dissentire voluisse, quem lib. 17. cap. 3. hanc opinionem euellisse è mentibus hominum non ignorabat nisi forsan, ( quod video fieri potuisse ) huc illo posteriùs Institutiones suas in lucem emisit. Syluæ porrò, nemora, montes, vt etiam flumina, fontes : cytharæ cantus non ideo Musis tribuuntur, quòd poëtas vel necessarium, vel vtile sit in illis locis, aut circum illa loca versari : sed vt studij ipsorum quod tractant suauitates, & vsitata materia isto modo, istisque fictionibus indicentur. Bene igitur Flaccus,

*Me doctarum edere præmia frontium*
*Dijs miscent superis : me gelidum nemus*
*Nymphasque leues cum Satyris chori,*
*Secernunt populo, si neque tibias*
*Euterpe cohibet, nec Polyhymnia*
*Lesboum refugit tendere barbiton.*

M. Tibi profectò, & clarissimo doctori Quintiliano suffragabor, amœnitatéque illa locorum, vt hortis, non nisi ad meram, & solam animi oblectationem cùm vtar ipse, tum vtendum, si fuerit occasio, suadebo.

## ANNOTATIONES.

BEstias, & quercus insecutas) *Horat: Ode 12. lib. 1.*

Aut

*Aut in vmbrosis Heliconis oris;*
*Aut super Pindo, gelidóue in Hæmo,*
*Vnde vocalem temerè insecutæ*
*Orphea syluæ,*
*Arte materna rapidos morantem*
*Fluminum lapsus celeresq; ventos,*
*Blandum, & auritas fidibus canoris,*
*Ducere quercus.*

*Propter lib. 3. eleg. 1.*

*Orphea, te tenuisse ferus, & concita dicunt*
*Flumina Threicia detinuisse lyra.*

*Fabulam hanc, vt item alteram de cantu & lyra Amphionis, explicat Horat. epist. ad Pisones.* Locos solos) *sola loca, seu locos solos (nam vtrumq; in vsu est) vocant scriptores antiqui deserta, infrequentia loca, & in quibus nemo habitet. Plaut. Rud. Neq; magis solæ terræ solæ sunt, quàm hæc loca, atq; hæ regiones. Lucretius libro 6. Cur etiam loca sola petunt, frustraq; laborant. Cic. de Diuinat. Cùm in locis solis mœstus errares. Probus in Eumine. Si per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Terent. Phorm. solas terras. Virg. in eclog. solos montes. Catull. solam rupem, solam arenam. Sallust. solas vias dixit.* A Magistro suo Quintil.) *Inter cætera: mihi, inquit, iucundus hic magis, quàm studiorum hortator videtur esse secessus. Namq; illa ipsa quæ delectant, necesse est auocent ab intentione operis destinati. Neq; enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: & quocunq; respexerit, desinit intueri quod propositum erat.* *Quintilianum magistrum suum nominat Plin. epist. 14. lib. 12.*

PRO-

# PROGYMNASMA TRICESIMVM QVINTVM.

## Mutuatio calami.

*CONRADINVS, PIGMENIVS.*

CONradinus. Da mihi, oro, vtendum calamum. P. Nullos habeo calamos hodie, quos tibi dem mutuos. D. Thecam plenam apud te vidi. P. Per somnium fortassis. Sed dicam vno verbo rem totam: nullos habeo, quos tu commodatos retineas. C. Quæ tam mala mens in hanc te suspicionem impellit? tam peruersè de me existimas? eho, nondum nôsti mores meos? verùm, ne sis in mora, da mutuum calamum. P. Vbi tui? C. Meliusculos reliqui domi: deteriores portaui mecum per imprudentiam. P. At tu meum quoque disperderes, aut nimium premendo, aut in ipso intinctu, ad fundum atramentarij allidendo videlicet. C. Leuiter ducam per chartam, sensim intingam, salua cuspide. P. Multáne descripturus? C. Tantummodò versus aliquot à Præceptore post horam explanandos: vt nimirum glossulas interserere queam: nam retinere eas non possum ob tenuitatem memoriæ. Si quid mutuaberis à me seu calamum, seu papyrum, seu librum, seu quid aliud, dabitur mutuum haud grauatè. P. Ecce tibi probatum calamum, quem dono, tuus esto. P. Multùm te, mi Pigmeni, de istac liberalitate amo. C. Experiar. Profectò idoneus est, si quis alius, ad decorè formandas literas. AN-

## ANNOTATIONES.

DA vtendum calamum ) *Concedere, accommodare, pro mutuari, conceſſum pro mutuum, conceſſio pro mutuatione, latina eſſe non puto. Nec dare, accipere commodatò. Dicamus ergo, commodare, mutuum, vtendum dare aliquid. Cicero, mutuum ſumere, non accipere, & mutuum, non mutuò. Nos etiam commodatum, reddendum ſumere. Plautus vtendum, & mutuum coniunxit in Perſa.*

*Tecumq; ornaui, vt nummos ſexcentos mihi*
*Dares vtendos mutuos.*

Quæ tam mala mens ) *bona mens, mala mens, Latinis ſæpius eſt recta, peruerſa voluntas. Exemplum in tanta copia vnicum proferam. Catull.*

*Quænam te mala mens, miſelle Rauide.*
*Agit præcipitem in meos iambos?*

*Interdum ipſa ratio, & ingenium ſeu natura. Vnde conſilia, & voluntates bonæ, aut prauæ exiſtunt. Terent. Andr. mala mens, malus animus.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM SEXTVM.

## Fruſtratio petiti atramenti.

### SIMPLICIVS, ZEPHERINVS.

SImplicius. Magnum apud me beneficium poneret, qui pauxillum atramenti in vaſculum hoc

hoc meum, cuius linteolum pænè exaruit, infundere de ſuo dignaretur. Si lanam, aut tomentum impoſuiſſem, & calamos intingendo corrupiſſem, & iam pridem atramento caruiſſem. Tu Zepherine, quoniam circumfers atramentarium inſtar lampadis, aut mortarij vaſtum & amplum, ne deneges mihi ad incitas redacto, quam ſummiſsè peto ſtipem, ſeu eleemoſynam. Z. Vix quarta pars horæ præterijt, cùm alius idem quoque me popoſcit, & dedi. Nunc ſi tibi ſimiliter dedero, veniet tertius, deinde quartus deinde quintus, & ita me exarmabitis omnino, & mēdicitatem mihi offeretis. S. Non venient, interpono fidem meam. Z. Quî ſcis? S. Vidi, cùm intingerent calamos, referre eos ex atramētariolis madidiſſimos. Z. Quin aquam infundis? S. Exeundum eſſet è ſchola, currendumque ad fontem in forum propter ſex ſeptem aquæ guttulas. Z. Inſpue. S. Linguam nimis ſiccam gero. Da ſi quid das: & ſi vis dare bis, da citò ſemel. Z. I, aliam quercum excute, aliunde exora quo indiges: atramentum hoc mihi coxi, non tibi. S. Saltem da mutuum, ſi non vis gratuitò, rem tantillam. Z. Pergin' aures tundere? abi hinc. S. Aliquando tu etiam egebis aliquo: tum accedito ad Simplicium, par pari referet. Spectate huius Zepherini inhumanitatem & auaritiam. Ego te pro iſtis factis mactabo infortunio.

## ANNOTATIONNES.

LAnam aut tomentum) *Tomentum appellatum, quod aut in filo, aut in tela tumeat. Iſid. l. 19. c. 27.*

La-

*Lana breuis forcipibus defecta, aut in poliendo à fullone de pannis rudibus, aut interpolatis deducta, qua inferciuntur culcitræ qualescunque. Nomenclat. Suet. in Tiberio, cap. 54. Druso autem alimenta adeò subducta, vt tomentum è culcitra tentauerit mandare. A τίλλω deducitur, incido.* Ad incitas redacto) *Plaut. Trinum. Hem hic cuius est (ager) vt ad incitas redactus? Idem Pœnul. Tace modò, profectò ad incitas lenonem rediget. De his dici solitum, quos extrema premit egestas: incita enim pro egestate ponitur. Nonius.* Si vis dare bis) *Prouerbium: bis dat, qui citò dat. Quomodo? quia altero tanto gratius est. Extat hac de re epigramma græcum Luciani, quod ausonius in hunc modum reddidit latinum.*

*Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia námque*
*Cùm fieri properat, gratia grata magis.*

*Aliter.*

*Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum*
*Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.*

*Et nostrum.*

*Dulcior est multò cita gratia: tardior autem*
*Interit, & dici gratia non poterit.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM SEPTIMVM.

## Ludendi potestas recusata.

*FLAVIVS, AVRELIVS, IVLIANVS.*

FLA-

FLanius. Magiſter iuſſit nos dare operam luſiunculæ: veni Aureli, veni Iuliane, venite ſultis ambo. A. Quid hic narrat? F. Quod certiſſimum eſt, quodque iam ipſe ludentium clamor nuntiabit tibi. I. Siue ita eſt vt dicis, ſiue comminiſceris aliquid, non ludo. F. Quare? I. Præſtat me prælecta repetere, quàm luſu bonum tempus perdere. A. Ego inchoaui epiſtolam: ſi intermiſero, multò poſtea difficilius, animo iam diſtracto, & aptis ad rem propoſitam cogitationibus tum diſſipatis, cœpta pertexam. F. Ohe, quàm parcos temporis habeo condiſcipulos? non alij quoque exhibituri ſunt Magiſtro epiſtolas? non debent alij quoque prælecta repetere? non facere, quę vos facitis, omnia? A. Apage luſor, ne moleſtiam nobis exhibeas, fœtet tuus ſermo nobis. I. Quiſq; ſibi ſerit, ſibi metit. F. At Magiſter iuſſit ludere, I. Falſum eſt: volentibus permiſit, nolentes nunquam cogit: & ſcio illum ſtudentes quàm luſitantes habere cariores. Ac tu, ſi rectè facias, ludum ſtudijs poſthabeas. F. Si ægrotabitis? A. Te Æſculapium inuocabimus. F. Interdicerem vobis libris. I. Quamdiu? F. Ad ſex menſes. A. Tum tibi porcus ſacrificandus eſſet. F. Qui dum? A. Quia inſanires. P. Valete. ego ludo. I. Siccine ludum diligis? F. Ha, quidni? At vos immo deſtè literas.

## ANNOTATIONES.

SVltis) *Particula frequens Comicis. Plaut. Aſin. Hoc agite ſpectatores ſultis nunc iam, pro, ſi vultis, Itaſis, pro, ſi vis. Adduntur imperandi modo ad eum mollien-*

*molliendum, vt aliâs persæpe addimus, si placet. Fac, si placet, dic, si placet.* Te Æsculapium) *Hunc Poëtæ Apollinis, & Coronidis filium, medicinæ præficiunt, eúmque mortuos etiam in vitam reuocâsse comminiscuntur, ob quam caussam à Ioue percussus sit & exanimatus fulmine. Lege Lilium, & Natalem Arnob. lib. 1. Medicaminum repertor, custos & præses sanitatis, valetudinis & salutis. Idem lib. 7. Æsculapius salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor, & extinctor. De eius metamorphosi Ouidius lib. 15.* Tibi porcus sacrificandus) *Laribus immolabant porcum insani, quique piaculum aliquod admiserant, & quibus liberorum prole aucta erat familia. Plautus Mænech.*

*respondemihi*
*Adolescens, quibus hic percijs veneunt porci*
*Sacres, sinceri: nummos hos à me accipe.*
*Iube te piari de mea pecunia.*
*Nam ego quidem insanum esse te certò scio.*

*Et infra. Iube, si sapis, porculum afferri tibi, &c. Iunius lib. 4. cap. 7.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM OCTAVVM.

## Comparatio nominum, verborumque coniugatio.

*ELIAS, ARNOLDVS.*

ELias. Demus finem huic collocutioni tempo-riùs, extemplo coràm aderit Præceptor, exacturus quæ heri reddenda impoſuit. A. Quid ergo facto opus eſt? E. Meditemur adiectiuum per accidentia, perque tres gradus & tria genera. A. Hoc agamus. Quod erat illud? E. Benignus. A. Declinemus in caſus. E. Quoti ordinis? A. Virile & neutrum ſunt ſecundi, muliebre eſt primi. E. Cuius ſpeciei? A. Primitiuæ. E. Figurę? A. Simplicis. E. Quotuplex eſt figura? A. Triplex: ſimplex, compoſita, decompoſita. E. Dic nominandi caſum. A. Benignus, benigna, benignum. Comparatiuum. A. Benignior, benignius. E. Cur nô ſunt hîc tres voces. vt in poſitiuo? A. Benignior eſt generis communis. E. Da ſuperlatiuum. A. Benigniſſimus, benigniſſima, benigniſſimum. E. Vt habet in genitiuo? A. Benigni, benignæ, benigni, benignioris, benigniſſimi, benigniſſimæ, benigniſſimi. E. Cur eſt vnica vox in comparatiuo? A. Quia neutra in vs habent oris. Datiuo, benigno, benignæ, &c. E. Iam tu interroga me de verbo quod coniungendum erat. A. Commendo erat. E. Iſtuc ipſum. A. Si quis didicit Amo, non poterit errare in Commendo. E. Nihilominus interroga. A. Indicatiuo præſenti? E. Commendo, commendas, commendat. Plurali numero, commendamus, commendatis, commendant. A. Pro certo credo te nunquam lapſurum. Verùm hæc facilia ſunt: ſi anomala inflectere, & coniugare iuſſerit, tum ſudabimus. E. Id forſitan hodie futurum eſt. Profectò cùm coniugarem nudius tertius

Odi,

Odi, multùm id verbi oderam: quia cùm sit defectiuum, faciebat vt deficerem. A. Recordaris, opinor, quemadmodum me vexabant infelicia heteroclita, & comparationes anomalæ. E. Si, auditur horologium: tussit, screat ante ostium Præceptor: parcamus voci.

## ANNOTATIONES.

TEmporius) *Ouid. & Columella vsurparunt hoc aduerbium, deductum à tempus temporis. Temperius autem antiquius est, à tempus temperis: quemadmodum dixêre veteres pignus pigneris, vnde pignero verbum: posteriores autem, pignus pignoris. Manut. in epist. 16. lib. 9. Apud Plautum in Aulul. & in Persa est tempori, in Capt. tempori.* Meditemur adiectiuum) *De verbo, meditor, in 1. eclog. Virg. sic scribit Seruius. Quod Græci μελετῶ dicunt, per antistæchon (id est, mutationem literæ, seu elementi) meditor dixerunt Latini, L. enim, & D. interdum sibi inuicem cedunt: vnde, & sella pro seda dicitur, à sedendo. μελετάω porrò, est exerceo, non solùm commentor: ergo meditari, exercere. Virgilius Syluestrem tenui Musam meditaris auena.* Si) *Comicis nota est silentij, seu particula silentium indicans. Apud Plaut. Curcul. Si tace, tace. Mercat. Si, tace atque abi. Epid. Si, tacete, habete, bonum animum.*

# PROGYMNASMA TRICESIMVM NONVM.

## Explicationum repetendarum ratio.

*VRBANVS, THEOPHILVS.*

VRbanus. Repetiſtíne heſternam explicationem epiſtolæ Ciceronis? T Nondum. V. Quid egiſti? T. Occupatus fui in alijs. V. In quibus? T. In præceptis Grammaticæ ediſcendis. V. Vtrumque faciendum fuit. T. Si ſocio non caruiſſem, hoc quoque ſoſitan præſtitiſſem. V. Vis tecum repetam? T. Nihil malo. V. Principiò reuocabo tibi in mentem ipſum argumentum epiſtolæ, verbis Germanicis: tu, ſi diffidis memoriæ, poteris in chartaceum libellum referre. T. Nullo negotio retinebo, ſi iterum audiero: nec enim eſt ita longum. V. Poſtea Ciceronem exponam, verbum verbo, ſequens conſtructionis ordinem: mox ſententiam ſententia, vt Præceptor ſolet. T. Et vt nos vult ſeſe imitantes facere in repetendo. V. Poſtremò themata indicabo cum accidentibus, & ſyntaxes quaſdam faciliores. T. Obſtringes me non vulgari beneficio. Secedamus in locum ſolitarium, ne quis hîc noſtra dicta arbitretur.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

PRincipiò reuocabo) *In repetendo explicationis ordo tenendus est, & quo quidque loco auditum, eodem postea iterandum. Quoniam verò hic ordo repetitionis, & iste modus non videtur contemnendus, intelligant magistri eundem in exponendis auctoribus sibi opportunum fore. Seruent autem maximè illud (sequens constructionis ordinem) alioqui sensum euadere obscurum necesse est, tametsi verbum verbo explanauerint.* Sese imitantes) *Discipulus non quidem in tollenda, submittenda, inflectenda voce, sed in tota ratione expositionis, quantum memoria potest consequi, magistrum imitari debet. Quod non fit: nuda enim verborum germanica, aut latina explanatione χλ. συναναμίαν cùm pueri ipsi, tum Præceptores contenti sunt: & quamuis plura dixerint, plura tamen non reposcunt.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM.

## Dicta alterna.

### CORNELIVS, RVFVS.

CORNELIVS. Quid tam improuisò ante meridiem è schola euocabare? R. Vt negotium quoddam patri meo confectum darem. D. Cur eo curato non es reuersus? R. Perparum de hora supererat. C. Habes perfectam epistolam? R. Non. C.

Haud igitur mecum in portu nauigas. R. Chirographum paternum affero, hoc me pœna eximet. Tu verò, qua de cauſſa heſterno die toto abfuiſti? C. Deterius valebam. R. Pedibúſne? Ita, pedibus. R. Sic opinabar. C. Sic tu opinabaris, ſcilicet: noui iocationes tuas. Verùm audi. Tua mater eſt impensè litigioſa mulier. R. Quo teſte id probas? C. Interueni aliquoties dum velitaretur cum vicina veſtra, in eamque omne, quod illi ægrè eſſet, euomeret: quæ ſuo vicißim gladiolo, quàm acriter oppugnabatur, tam ſe ſtrenuè, intra dentes tamen, defendebat. R. Et tua nouit exhaurire calices: nec heſterno mero fœtet, quia in lucem ſemper bibit. C. Túne ſemel vidiſti? R. Semel? quoties ipſam vidi, toties hoc vidi, eſt etenim facie ebrioſa, rubentibus papulis ornata: longè ante alias ſpecie, ac pulcritudine inſignis matrona. C. In toto oppido non eſt mulier matre mea frugalior, magiſque ſicca, & frugi. A. Ain' tu? vnde ergo tam potoria facies? C. Perfacilis eſt, & perexpedita reſponſio Medicos i percunctatum, quos illa conſulit, & à contumelijs linguam coërce: alioqui futurum eſt, vt te maledicentiæ huius pœnitudo ſubeat. R. Quod habui ſummum pretium, perſolui tibi. C. Ab alio expectes, alteri quod feceris.

## ANNOTATIONES.

Dicta alterna) *Cic. 2. de Orat. dicere enim aiunt Ennium, flammam à ſapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bona dicta teneat, quæ falſa ſint*

*sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine. Plaut. Capt. & Sticho dicta meliora vocat, quæ sunt magis facetæ, magisq; salsa.* Nec Hesterno mero fœtet) *Martial. lib. 1.*

*Hesterno fœtere mero qui credit Acerram.*
*Fallitur: in lucem semper Acerra bibit,*

*Fœminis olim Romæ nonlicuit vinum bibere, ne in aliquod dedecus prolaberentur, nec earum curæ cellæ vinariæ committebatur. Egnatius hac de caussa uxorem occidit, & à Romulo absolutus est. Valerius. l. 2. c. 1. Gellius lib. 10. cap. 24. Ælianus lib. 2. ca. 58. Victorius lib. 24. cap. 7. Apud Massilienses vini usus fœminis in perpetuum lege erat interdictus & Romæ ingenui etiam pueri, & seruitia eo carebant. Vide Leon. lib. 3. cap. 87. & 88.*

# PROGYMNASMA QADRAGESIMVM PRIMVM.

## Interrogationes variæ.

*LAZARVS, CELSVS.*

LAzarus. Quandocunque ad flagrum citaris, Celse, (id quod propter tuam omnibus testatam segnitiem, qua ingenium finis tepescere, non raro fit) quid est quod tam difficiliter te moues, tamque inuitus, cum tantis vociferationibus, & vlulatibus pœnam suffers? C. Velim tibi vel

semel contingeret, quod mihi sæpius ais vsuuenire: statim scires causſam. L. Reuera (quod hic dicendum sit) detrimentosus tibimetipsi es: nam si absq; tergiuersatione te subijceres: clamoribusque abstineres, clementiorem sentires vtique Magistrum. C. Id equidem cogito mecum, & statutum habeo penitus: sed cùm iam res est in acie nouaculæ, excidit repentè propositum. Sic est ingenium meum: suus cuique mos. Quanti tu hunc librum emisti? L. Dimidio floreni. C Duc me ad tabernam huius bibliopolæ, vt mihi quoque emam auctorem istum. L. Maximè, dimissa schola. C. Vbi venduntur, quęso, pulueres scripturarij? L. Nescio: ego aut arenator, aut arefactis, & in puluerem redactis ouorum putaminibus. C. Non placet: ossei sunt meliores, ac puriores. Nonnulli scobem apud fabros ærarios lima abrasam colligunt, eaque ad siccandas in charta literas vtuntur. L. Quò istis heri ambulatum? C. In hortos nostros. L. Quid cerasa vestra, suntne matura? C. Matura. Proximè futuro die remissionis eôdem me euntem comitaberis, vt ipso gustatu experiare. L. Ago gratias, maiores acturus, si promissa patraueris.

## ANNOTATIONES.

CLementiorem sentires vtique) *Quid clementia, quid crudelitas sit, Seneca l. 2. c. 3. & 4. de Clementia nos ita docuit, Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi, vel lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis. Dici etiam*

*potest,*

*potèſt, inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Hanc autem certiſſimam definitionem exiſtimat. Eſt moderatio aliquid ex merita, ac debita pœna remittens. Huic contrariam imperiti putant ſeueritatem: ſed nulla virtus virtuti contraria eſt. Opponitur autem clementiæ crudelitas: quæ nihil aliud eſt, quàm atrocitas animi in exigendis pœnis.* Sed cum iam res eſt) *Hoc in vita humana quotidie, & in nobis, & in alijs fieri experimur, cùm iam inibi eſt, vt reipſa & facto præſtandum ſit illud vel ad fortitudinem, vel ad iuſtitiam, vel ad temperantiam, vel ad patientiam, vel ad religionem, vel ad continentiam, vel ad aliam quamcunque virtutem pertinens, quod tamen præſtare omnino decreueramus apud animum. Tum enim omnia dura, & grauia videntur, tum hæſitamus, cunctamur, & in omnem partem nos vertimus: tanta eſt voluntatum noſtrarum in bonis ſanctiſque rebus imbecillitas, inconſtantia atque timiditas: tanta earundem in malis rebus firmitudo, & audacia.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

## Amiſſus, & promiſſus liber.

*VDALRICVS, OTHO.*

VDalricus. Quid vult hic fletus? O, Amiſi librum. V. Quem? O. Emmanuelis Gram-

maticam. V. In scholáne? O. In schola, mi Vdalrice. V. Quo tempore? O. Hoc ipso die, ante prandium. Cùm enim dato signo discedendum esset domum, egoque libellos meos colligerem, hunc non inueni. V. Quæsiuistíne apud vicinos? O. Ac diligentissimè. Respondent omnes se esse extra noxiam, nec habere, nec scire quis habeat. V. Non tu illico ad Præceptorem? O. Immò, sed iussit vt se appellarem denuo post meridiem. V. Appella. O. Despero me recuperaturum. V. Fuit cum alij suos amiserunt. O. Sic est. V. Nónne recuperârunt? O. Quidam, non omnes. Et hi, quòd rem suam malè seruassent, aut in ludo à doctore, aut domi à parentibus vapulârunt liberaliter. Quòd si hodie librum meum non recepero, certiores faciam ipsos oportet, vt pro hoc malo mihi dent malum. V. Iuuabo te in quæritando Emmanuele tuo. Si non inueneris, est mihi aliquanto tritius ipso hoc exemplar eiusdem, id dabo tibi proprium. O. Si non simulatè promittis, porrige dexteram. V. En. O. Affudisti aquam, redijt animus, & cura omnis ex corde excessit. V. Lætus sum, quòd te tranquillaui. Væ illi, qui se huius furti astrinxit: nam, & librum minimè retinebit, & vberiùs quàm tu plorabit. O. Furem hunc mihi dari in conspectũ gestio: coram in os laudarem ipsum, & capillo conscinderem.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

ESse extra noxiam) *Cornel. Fronto. Noxa pœna est, noxia culpa. Festus: Noxa ponitur pro peccato, aut pro peccati pœna, cum lex iubet noxæ dedere pro peccato. Noxia apud antiquos damnum significat; sed apud Poëtas, & Oratores ponitur pro culpa.* Rem suam malè custodissent) *Inter breuia illa præcepta: Maiori cede, minori parce, &c. quæ cum distichis Catonis circumferuntur, est etiam hoc: Rem tuam custodi. Quod si cui suarum rerum cura est difficilis, quàm laboriosa erit alienarum? Dignissimi vel plagis sunt, qui, quod sine magna cura & sollicitudine retineri poterat, id per summam socordiam, negligentiámque perire, aut sibi subduci patiuntur.* Est mihi aliquando tritius) *Humanitatis officium, vt qui habet duas tunicas, det alteram non habenti: & cui superest, succurrat fratri suo, cui nihil est, cùm id sine damno ac malo possit.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM TERTIVM.

## Auxilium, & consilium.

*EDMVNDVS, GALLVS.*

EDmundus. Tantum sudoris, & laboris indipiscor in hac epistola componenda, quantum ad hunc diem in alia nulla. G. Quî fit. Iliade

lon-

longior eſt: hoc primum. Secundo loco plurimæ inſunt voces, quas in Germanico latino Calepino cogor quærere, vt *Gauckler*, *Ferberſtangen*, *Muſcatblie*. Præterea ſcatet modis loquendi & prouerbijs difficillimis, niſi velim germaniſmos inſerere: vt, *Die Leut zur banckhauuen*, Et: *Man ſoll die Leis nicht an Belz ſezen*, Item: *Ich bin nicht dein Narr*, ac ſimilibus. Quis me non exſibilet, ſi dixero: non oportet pediculos ponere in pelliceo: non ſum tuus ſtultus? Primum illud ne germaniſmo quidem exprimi poteſt. G. Conijcio ſignificari eo genere loquendi, detrahere de fama aliorum: ſumpta videlicet metaphora, ſeu ducta allegoria à lanijs, qui carnes quas fecerunt iugulatis, excoriatiſque animalibus, in fruſta ſecant bipennibus, & in officinis (*in der fleiſchbanck auff dem Laden*) venales proponunt. Sic obtrectatores, & alienæ famæ carnifices occidunt quodammodo homines, eoſque vt carnes audientibus vendunt: apud quos nempe eos in ſummum contemptum adducunt, & planè deſpicabiles reddunt. Hoc ergo ſi ita eſt, vt equidem eſſe puto, ecquid animaduerteris quanta vis & ſignificatio ſit in hac formula loquendi Germanica? E. Animaduerto, tuamque interpretationem amplector. Verùm quid das conſilij? G. Quando in locos impeditos incidis, Magiſtrum ora, vt te expediat: ſic enim iuſſit nos facere, egóque id non omitto. Nuper cùm neſcirem quid eſſet latinè, *Buttermilch*, *vnnaſſernudel*, item quibus verbis dicerem: *Er vueis vol vuie es einem Schalck vmbs Herz iſt*,

vtrum-

vtrumque ex eo cognoui. E. Imitabor te posita verecundia, quæ me hucusque absterruit.

## ANNOTATIONES.

IN Germanicolatino Calepino) *Calepinis, Thesauris, Dictionarijs, phrasium libris, Nizolijs ne sint nimium dediti adolescentes, & sciant eo fine hosce libros esse conscriptos, vt ijs quantum vsus, & quando postulat vtamur. Stultè peccant, qui illis ex instituto legendis, aut epitomis ex ijs conficiendis delectantur. Ars magna est, scire quo libro, quomodo cum fructu vtaris. Est in fine huius progymnasmatis quiddam, quod optarem seruari à præceptoribus. Nempe vt se interrogari iuberent à discipulis, quo pacto, efferent quod in componendo aut in conuertendo difficile occurrit. Ita animos ipsis adderent: partem de emendandi onere sibi demerent: discipulos religiosos in verbis, ac locutionibus efficerent; eosque sibi multùm ista ad adiuuandos lubentia conciliarent. Me puero hoc apud nostrates seruatum memini, & meminisse iuuat. Porrò illa allegoria,* die Leut zur banck hauuen. *vsitata est alicubi terrarum Germaniæ: tametsi in Suevia, & Bauaria non est.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM QVARTVM.

## Chartæ in membranam insutæ.

CHRI-

*CHRISTOPHORVS, HVGO.*

CHRISTOPHORVS. Mi Hugo, est quod abs te petam. H. Pete audacter. C. Tribue mihi paullum operæ. Insue in membranam hasce chartas puras. H. Ipsemet insueres. C. Expers sũ huius artificij, atque id vt credas, inspice hunc librum, quàm sit inconcinnè, distortéque consutus. H. Nec me bibliopegus erudiuit. C. Attamen, quasi eruditus, concinnè id facis. H. Si cui optimè placet, ei optimè facio. Complicastíne iam chartas tuas? C. Maximè: istæ sunt. H. Da filum, acum, membranam. C. Cape omnia. H. Filum oportet ceratum esse, vt opus euadat diuturnius. C. Heus pueri, quis secum affert ceram? H. In meo sacculo quæram. Aliquid certè reperio, ceram albam: commodissima est huic rei: nuper mihi hoc frustillum donauit ædituus ad tales vsus. Tu porrò attentus aspice me suentem, & artem disce, quo posthac aliena opera ne indigeas. C. Aspicio intentis oculis. H. Ecce quemadmodum chartam chartæ arctiùs coniungo, vt spatium inter illas nullum intercedat. C. Video. H. Item quemadmodum suprà & infrà sunt æquales inter se, nulla prominet. C. Aptè, artificiosè. H. Nec foris in tergo fila superiora inferioribus longiora visuntur: nec primùm à secundo maiore interuallo distat, quàm secundum à tertio, tertium à quarto. C. Peritè. H. Nodi parui, & intus omnes. C. Sanè. H. Nunc tu cultellum accipe sis, parteſque chartarum superiores cautè scindendo aperi. C. Pro ista opera referetur gratia tibi, mi Hugo. H. Satis gratiarum retuleris,

tis, si me amaueris; in studijs abs te socordiam omnem reieceris, segnitiemque amoueris. C. Vtrumque præstaturum tibi recipio.

## ANNOTATIONES.

Bibliopegus) πήγνυμι est arcto, compingo; βίβλος liber. *Quem nunc vulgò compactorem*, Buchbinder) *cur non Græco nomine tam commodo potiùs, quàm barbaro, & nouitio nominemus? præsertim cum id in mille alijs artificum, artificiorumq; vocabulis soleamus, & in lingua latina nimis multa vsurpemus, quæ à Græcis manárunt, quorum copia longè maior.* Si cui optimè placet) *Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti. Sententia est Theocr. Ita homines, vt plurimùm, & frequentissimè non res tales iudicant, quales sunt: sed quales ipsi iudicant, tales esse credunt, & ab alijs credi volunt, in omni rerum, negotiorum, caussarumque varietate: quodque ab Horatio de vna quadam perturbatione dictum est, id patet latiùs, & ad omnes alios concitatos, ac turbidos animorum motus accomodari potest. Impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM QVINTVM.

## Nomenclatura.

MAGI-

## MAGISTER, CLEMENS, LIBERIVS, DONATVS PVERVLI.

MAgister. Vixdum exactis ſideribus dies ſe mundo reddit, cùm vos, puerorum floſculi, ante alios omnes huc intro pedem infertis. Quînam cum prima luce potuiſtis expergiſci? C. Mandatu matris famula noſtra in dies me expergefacit: quanquam hodie maturiùs præter morem. L. Aſt ego nunquam non ſponte mea, & inuocatus, ac ferè ſemper bene manè conſueui ſurgere. D. Ego etiam, Præceptor. M. Res difficilis ad credendum: pueri quippe, quibus ſopore nihil eſt amicius, nihil dulcius, pro more non habent vltrò, ac per ſe, de ſtrato ſurgere. D. Certè ſurgo expergefactus à nemine. M. Ecquid ientâſtis? C. Ita. L. Dum offa coquitur, viſum eſt nimis longum: quapropter relicto ientaculo huc approperaui quàm maturrimè. M. Pulchrum in hac ætatula facinus. Quid ſi ego darem nunc tibi ientaculum? L. Cùm nihil ſit tibi, quid dares? M. Quò nihil edis libentiùs. M. Mihi etiam, Præceptor. C. Et mihi, obſecro. D. Nimium ſatur fieres altero ientaculo. C. Eia, quæſo. M. Liberi, ſi promptè & nunquam interſiſtendo recitaueris, quæ heri nomina tibi ediſcenda præſcripſeram, ecce iſtas ſeptem ficus, cum hiſce amygdalis præmium tolles. D. Ego quidem nomina mea teneo, vt qui perfectiſſimè. C. Ego, ego mea referam memoriter. M. Liberius eſto primus: eum ſi memoria fefellerit, tum vos duo de iſtoc honorario in certamen venietis. Sed cuius ordinis ſunt tuę voces? L. Rerum cæleſtium. M. Tuæ

Cle-

Clemens? C. Dignitatum, & munerum Ecclesiasticorum. M. Tuæ autem Donate? D. Dignitatum, functionumque ciuilium. M. Incipe. L. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Sacrosancta Trinitas, Numen, Diuinitas, Creator, Saluator, Seruator, Dei mater, Deipara virgo, Dei genetrix, Cælites, Cælicolę, Diui, Sancti, Beati, Angeli, Archangeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Innocentes, cælum, sol, luna, stella, astrum. M. Num intelligis quæ singulis subiecta sit notio? L. Optimè, imò. M. Qui sunt cælites? L. *Die lieben Heiligen*. M. Archangeli? L. *Die Erzengel*. M. Dei Matter? L. *Die Mutter Gottes*. M. En accipe munusculum, & comede. Tu Clemens, edic tua. C. Quid erit præmij? M. Si omnia, & ea serie, qua se consequuntur, reddas, erit quod dem tibi: non omnes ficus absumet Liberius. Si perperam, neque tunc indonatus abibis. C. Pontifex Maximus, Patriarcha, Cardinalis, Archiepiscopus, Episcopus, Præsul. M. Quid? hæres? Antistes, Abbas, C. Antistes, Abbas, Cœnobiarcha, Monachus, Concionator, Ecclesiasticus. M. Quæ est vis Ecclesiastæ? C. Eadem quæ concionatoris. M. Quid ergo est Concionator? C. *Ein Prediger*. M. Perge. C. Parochus, parochus. M. Parochus, parochus: téne bis labi? Sacerdos. C. Sacerdos, Diaconus, ædituus, sacra Virgo. M. Cætera vbi sunt? C. Non iussisti plura. M. Haud recitâsti, vt cupiebam. Tu meliùs Donate. D. Imperator, Imperatrix, Rex, Regina, Monarcha, Princeps, Dux, Comes, Baro, Dynasta, Heros, He-

roina, siue Herois, Præfectus, à cubiculis, à pedibus, à poculis, apparitor. M. Qui sunt isti? D. *Die Kemmerling, die Lackeyen, die Kredenzer, die Stadtknecht.* M. Cape has quatuor ficus, & confestim in ventrem absconde. D. Vt præcipis. M. Sedete suo quisque loco, & quæ adhuc præscripsero, celeriter ac nauiter nomina ediscite. L. Etiam. Vt sapuerunt tibi ficus Clemens? C. Præceptor. Liberius me irridet. L. Commoui. C. Non impunè feres.

## ANNOTATIONES.

EXactis sideribus) *Exiguntur cælo, expelluntúrque quodammodo stellæ, cùm solis luce paulatim per cælum se diffundente apparere desinunt. Virgilius. 3. Æneid. Iamque rubescebat stellis aurora fugatis. Dicitur etiam ab Ouid. 2. Metamorph. Lucifer agmina stellarum cogere, & cæli statione nouissimus exire. Propriè sidus est quod Græcis ἄστρον, stella, quod ijsdem ἀστήρ. Vide Macrobium in somn. Scip. lib. 1. cap. 14.*
Puerorum flosculi) *Sic appellant Latini, floris nomine videlicet, quod in re quaque purissimum, pulcherrimum, præcipuum est. Cicer. pro Flacco, flos legatorum. Pro Planco, flos equitum Romanorum. Philip. 2. flos nobilitatis & iuuentutis. Ennius Cethegum oratorem nominauit florem illibatum populi. In Curcul. anus bibula, flos, inquit, veteris vini meis naribus obiectus est: in Cistell. Quia adeò compleui me flore Liberi. Casin. Nisi hoc meraco se vspiam percussit flore Libyco. Quibus locis videtur Plautus vinum significare, cuius non modo sapor palato, sed etiam odor*

naribus gratissimus sit. Idem Casin. Flos poëtarum: Catullus flos iuuenum, flos Gymnasij & decus olei, id est, luctatorum, seu palæstritarum. Sic flos æui, flos ætatis, flos siliginis, flos lactis, flos cœnæ, flos flãmæ, & alia infinita. Apud Catonem autem de re rustica, cap. 88. flos salis est nitidus, candidus, optimus sal: popularis autem sal, sordidus, vulgaris, niger, Maturrimè) Quid differat super vocabulo maturè, Gellius, vide lib. 10. cap. A cubiculis, à pedibus) Latinè variarum rerum ministros atque seruos sic appellabimus. A commentarijs, ab epistolis, à manu, à rationibus, à secretis, à libellis supplicibus, à studijs, quales sunt hodie pædagogi, & quibus vtuntur principes pueri ad ingenij cultum domi ab ipsis capiendum. Vtuntur etiam præpositione, ad, idem volentes exprimere. Seruus ad pedes, canes ad venandum, leones ad frœna, custos ad limina, puer ad cyathos, ad baculum. De quibus Turneb. lib. 3. cap. 23. Seruus autem ad manum non est amanuensis, vt idem semetipsum corrigens scribit. 5. cap. 11. In ventrem absconde) Respeximus ad illud Cicer. 2. de Orat. in tractatione facetiarum. Erras, inquit, Scaure: ego enim Magium non conseruâsse dico, sed tanquam si nudus nuces legeret in ventrem abstuliſſe.

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM SEXTVM.

## Iterum nomenclatura.

*ADALBERTVS, IODOCVS.*

ADALBERTVS. Vísne Iodoce, quemadmodum tu me consuêsti alicuius rerum generis interrogare nomina, sic ego vicissim aliquando te interrogem? I. Volo. A. Quænam ergo rectissimè complexus es animo? I. Musica. A. Recense primo loco instrumentorum musicorum appellationes. Sed maius industriæ tuæ documentum dabis, si ego germanicè & permixtè ea nominauero, tu inde latinè nomines. I. Vtroque versum haud imparatum offendes. A. *Bauck en oder Trummel.* I. Tympanum. A. *Harpff.* I. Cithara. A. *Geig.* I. Chelys. A. *Hackbret.* I. Sambuca. A. Imò sãbuca, si ritè audita recordor, significat *ein Holderstauden.* I. Nequaquam: sambuci est illa notio, non sambucæ. A. *Geigenbogen, Hackbretholz.* I. Plectrum A. *Zinck, Orgel, Laut.* I. Cornu, organa, testudo. A. *Leyr.* I. Lyra. A. *Pfeiff.* I. Fistula. A. *Posaun, Schnuegelpfeiff, Tromet.* I. Buccina, tibia, tuba. A. Enumera nunc, seruato, quem ego secutus sum, ordine, artificum, seu musicorum nomina. I. Faciam in quibus potero, quorum meminero. A. Quod dederis, eo contentus ero.

I. Tym-

I. Tympaniſta, citharœdus, chelyus, ſeu, χελιωδὸς; dixit enim Magiſter, ſubijcienda Græca, cùm Latina deſunt, quando innumera ſunt Græca, quæ Latina iam, velut vſucapione putentur. A. Verum prædicas I. Cornicen, organiſta vulgò, latinùs, qui organis canit: ſicut dicimus aliquem canere fidibus. Lucretio organicus. Lyricen, fiſtulator, buccinator, aulœdus, ſeu tibicen, tubicen. A. Reſtántne alia quædam vocabula ad muſicen ſpectantia, nec ita abſtruſa, vt diapente, & huic ſimilia? I. Reſtant. A. Dic. I. Lingula tibiæ *das zinglein an der pfeiff.* Fides, *die Seyten*, vnde fidicen, *ein Seytenſpieler* Verticuli, *die Negel*, *damit die Seyten geſpannt oder abgelaſſen vverden* Cantor, *ein Singer*. Pſaltria, *ein Singerin*. Choraules; *der zu danz macht*, proprie, *mit der Pfeiffen*. Harmonia, *das vvollauten des geſangs*. Pauſa *das ſtillhalten im geſang*. Cætera tute, ſi voles, à magiſtris diſciplinæ huius petas. A. Polles memoria Iodoce. Obſonemus famem parum inambulando, & de rebus ludicris ſermones cædamus vſque ad cœnam: tantum quippe ſpatij ceſſationis Magiſter indulſit.

## ANNOTATIONES.

OBſonemus famem) *Socratem ferunt cùm vſque ad veſperam contentiùs ambularet, quæſitúmque eſſet ex eo, quare id faceret: reſpondiſſe, ſe quò meliùs cœnaret, obſonare ambulando famem. Cic. Tuſc. 5. Plaut. Amphit. S. Vide ſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante fores graditur. B. Nihil eſt, famem exſpectat ob-*

*ambulans. Laudatur etiam à medicis ambulatiuncula ante cibum. Thorius Balbus Lanuuinus vtebatur ijs exercitationibus, vt ad cœnam, & esuriens, & sitiens veniret: eo cibo, qui & suauissimus esset, idem facillimus ad concoquendum. Cicer. 2. de finibus.* Sermones cædamus) *Terent. Haut. Verùm interea dum sermones cædimus, illæ sunt relictæ. More Græcorum, qui κόπτειν λόγους, aut κόπτειν ῥήματα Priscianus lib.* 18.

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

## Exercitationes.

### ABRAMIVS, TRANQVILLVS.

ABRAMIVS. Quidnam esse in caussa putem, mi Tranquille, quod ab exercitationibus haud secus, quàm boni viri ab impuris facinoribus refugis: & quasi multarentur capite, qui se ad eas dedissent? cùm à doctore tam crebrò exercitationem dilaudari audias, quæ possit omnia, & sine qua cùm nihil quidquam egregium præstari queat vllo in artificio, tum claritudinem in literis nemo sit aliquando adeptus? T. Quî tandem? A. Perrarò disputas, neque solùm non vltrò, sed nec prouocatus, & iussus etiam caussaris. Frequenter cares epistola: sæpiùs germanicè loqueris: dum recitas memoriter

Ci-

Ciceronem, aut Ouidium, hæsitas in singulis pænè versibus. Hæc ferè sunt genera, in quibus nos exerceri peropus est. T. Non dicam dolo, difficultas me absterret. A. Non plus tamen alienare te difficultas debet, quàm inuitare, atque allectare multiplex, quę inde efflorescit, & promanat vtilitas. Et quid præclarum atque singulare sine sudore partum est? T. Propono apud animum persæpe, ad quæ tu me cohortaris, volo ardorem quendam amoris assumere: sed nescio quomodo cùm, ad rem quasi, dato iam signo, aggrediendum, est voluntas illa omnis elabitur, atque euanescit. A. Principia perrumpenda sunt, capiendáque consuetudo quædam, quæ sensum laboris imminuit. T. At nimis diuersæ, innumerabiles sunt exercitationes. Si vnum aliquod genus proponeretur: exempli caussa, si duntaxat scribendum, aut loquendum: aut disputandum, aut ediscendum esset, non lamentarer. Nunc ita vnumquodque horum frequentandum est, vt nullum cæterorum omittatur: hoc angit, hoc dolet, hoc cruciat. A. Possunt hæc fieri, cùm diuersa. nec eâdem hora, quin nec eodem semper die, facienda sunt, & sibi mutuò non aduersantur: nec sunt multa nec tam (vt tu iocabare) innumera. Proinde istum qui te subegit veternum excute. T. Ad finem inclinat annus, polliceor sedulitatem in sequentem. A Maneas promissis, quæso, vt cùm literas ad vtriusque nostrûm cognatos dedero (dabo autem non raras) te de meliore nota commendare queam: quod illis summo gaudio futurum tam non ambigo, quàm

eos tuorum processum cupidissimos esse penitus perspectum, planéque cognitum habeo. T. Imitabor in morbum delapsos: medicinam, sectionem, vstionem volens nolens adhiberi mihi sustinebo? vt rectè valeam. A. Si hoc egeris, erit cùm maiorem in modum lætaberis.

## ANNOTATIONES.

MAneas promissis) *Virgilius 2. Æneid. Tu modò promissis maneas, seruatáque serues Troia fidem. Idem sunt, promissis stare, promissa seruare, promissis satisfacere, promissa soluere, exsoluere, efficere, &c.* De Meliore nota) *Veteres illi vini cados, testas, amphoras in cellis condere solebant notatas, id est, insignibus quibusdam literis, aut alijs notis, sed maximè Consulum nominibus distinctas, ad tempus ac præstantiam vini significandam. Pendebat è vasis vinarijs tabella; inquit Brodæus lib. 1. c. 3. in qua vini ætas scripta erat: id est, quo tempore, quibúsue Consulibus conditum esset. Quo ex more natum est illud loquendi genus: de meliore nota Curius ad Cicer. lib. 7. Quare, Cicero mi, perseuera constanter nos conseruare, & Sulpitij successori nos de meliore nota commenda. Catullus ad Manlium.*

*Quare quod scribis Veronæ turpe Catullo*
*Esse, quod hic quisquam de meliore nota.*

*Lambin. in Oden. 3. lib. 2. & Turneb. lib. 1. cap. 1.*

PRO-

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

## Temeraria suspicio.

*BVRKARDVS, ALIPIVS.*

BVRKARDVS. Me infortunatissimum. Nullus dies abit, quin amittam aliquid: nunc atramentariolum, nunc papyrum, nunc libellum aliquem, nunc calamum, vt in præsens. Schola ista est plena furum, nec pœnarum vllus iam hîc est metus. A. Ne tu nos tam inconsultò in crimen vocaueris. B. Aliquem vestrûm mihi surripuisse calamum oportet. A. Quî scis te attulisse? B. Quî sciam? nónne hoc literarum paullò ante exaraui? A. Vtere alio interim, dum priorem recuperes. C. Nec vnũ præterea mecum attuli. A. Suadeo vt in posterum feras semper tres, aut quatuor. B. Scilicet vt sit, quos tu semper possis auertere. A. Libentiúsne tu cum malo quiescis, an sine malo, si copia est? B. Quis potuit clepsisse, nisi qui mihi sedet proximus? A. Quid ergo? Ioannes tibi à dextris non assidet, sicuti ego à sinistris? cur non potiùs illum, quàm me arcessis furti huius? B. Ioannem noui, mallet spoliari suis, quàm minimum quippiam sublegere de meis, dissimilis tui est. A. Certè dignꝰ es virgis. B. Tace de virgis: quare me his dignum deputas? A. Quia de me falsum audacissimè, sine teste, sine argumento pronuncias. B.

Hei,

Hei, vtinam haberem calamum meum: quem eò moleſtiùs amitto, quòd tertium iam menſem vſus ſum: adeò bonus, & firmus eſt. A. Quid ſi reddidero tibi calamum tuum? B. Qui reddit, abſtulit: atque hoc eſt, quod mihi dudum videbatur. A. Non eſt hoc ſemper conſequens, inepte. Tu tibi abſtuliſti. B. Quomodo? quis poſt hominum genus natum ſibi quidquam abſtulit? A. Quia ſuper auricula, vt mos obtinet, repoſuiſti, poſtea es oblitus: quódque non amiſeras quæſiuiſti, & alios furatos putauiſti. En tibi tuum optatiſſimum calamum: deinceps quoties amiſeris, auriculâ dextram interroga priùs, an viderit calamum: quàm de innocentibus mentiare. B. Mi Alipi, mi Alipi. Gratias ago tibi ignoſce, obſecro, quòd tecum egi ſaſpicioſius, atque immodeſtiùs.

## ANNOTATIONES.

VT in præſens) *In præſens, in præſenti, in præſentia, hæc tria latinè dicuntur, vt Græcè εἰς τὸ παρὸν, ἐν τῷ παρόντι. In præſentiarum vix latinum eſt, & ſolœciſmum olet. Vtuntur tamen eo Probus in Hannibale, & Cornelius Tacitus: ſi ſcriptura eſt ſincera. Immo & Gellius, & Cornificius, ſed eos nihil moramur.* Quis potuit clepſiſſe) *Κλέπτω eſt furor. Vtitur aliquando verbis græcis ad latinam formam detortis Plautus ioci cauſſa. Vt hoc ipſo, & ἁρπάζω Peſeud.*

*Qui hæc habent conſilia, vbi data occaſio eſt, rape,*
*clepe, tene, harpaga,*
*Bibe, es, fuge: hoc eſt eorum opus.*

Et

*Et in Truculento. Dum illi agunt quod agunt, cæteri eleptæ furantur, vel harpagant. Bacchid.*

*Nullus frugi esse potest homo, nisi qui, & bene, & male facere tenet.*

*Improbis cum improbus sit, harpagat: furibus furetur quod queat.*

*Et in Aulul. Aurum mihi intus harpagatum est.*

# PROGYMNASMA QVADRAGESIMVM NONVM

## Astutia puerilis.

*MAGISTER, PVER.*

MAgister. Quò tandem res euadet? quamobrem non desinis tu nouissimè huc te conferre? P. Non audiui campanæ pulsum. M. Ego tibi nolam ad aurem alligandam, eamque pulsandam curabo sub horam septimam ante meridiem, & sub primam post meridiem, si quidem ita obsurduisti. Quid autem est, quòd istum quadrimum fratereulum tuum nunquam adducis tecum, nisi cùm reddere præscripta nescis, aut tardiùs venis? P. Mater illum sæpiùs non dimittit. M. Mater non dimittit? quare tunc dimittit, cùm, vt dixi, vltimus, & imparatus ades? P. Nescio. M. O. puerum versutum: at ego haud nescio. Eho, dicmihi, mādátne tibi mater, vt trahas tecum pusionem istum? P. Aliquando. M. Man-

Mandauítne hodie? P. Non M. Cur ergo hodie ducis? P. Ipſemet duci voluit. M. Poſtquam tu ſcilicet voluiſti. Reſponde ampliùs. Nunquid ego te vnquam percuſſi, quando fratre iſto paruo comitatus veniſti, & ſerò intrâſti? P. Nunquam. M. Quare? P. Fortaſſis propter vociferationes, & eiulatus quibus pænè dirumpitur, cùm me flentem, ſoluentemque ligulas ad plagas accipiendas intuetur. M. Itâne? Hæc, hæc non alia ratio eſt cur ducas tecum nempe, vt pro tuo capite clamet ipſe inſolentiſſimè. ex ſympathia videlicet, & ego eius, ſi minus tui, miſeratione commotus, cruciatum tibi remittam. Nónne etiam idipſum, vt faceret, tu docuiſti? P. Non docui. M. Habes pium, & vtilem fraterculum, qui te toties perditum, conclamatumque ſeruauit. O calliditatem. Iam edico tibi, ſi in poſterum non adfueris in gymnaſio citiùs, pœnas dependes, ſeu adduxeris fratrem, ſeu non adduxeris. Quòd ſi ille clamitare non ceſſauerit, eum vnà tecum flagris feruere faciam. P. Ad horæ ipſum articulum adero.

## ANNOTATIONES.

EX ſympathia videlicet) συμπάσχω *ſimul patior, ſimul afficior, compatior, coafficior, conſentio, id eſt, ſimul ſentio aliquid. Hinc* συμπάθεια *conſenſus in affectu ſeu affectibus, conuenientia affectuum. Cicer. 2. de diuinat. ſic expreſſit hoc abſtractum: Qua ex cognatione naturæ, & quaſi concentu atque conſenſu. Item, conuenientia, & coniunctio naturæ. Compatior tibi, latinè, miſeret me tui, viceim tuam doleo, tua*

*cauſſa*

*cauſſa doleo, moueor, capior miſericordia cùm tuum infortunium conſidero, dolorem è rebus tuis capto, moleſtè fero caſum tuum, excruciat me valetudo tua.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM.

## Somnus in gymnaſio.

*FABIOLVS, ERASTVS.*

FAbiolus. Rabioſulum te autumo. E. Quam ob cauſſam? F. Quòd me modò fodicas, modò vellicas, modò pugnum in latus meum incutis. E. In laneum latuſculum tuum! Cur dormitas? non decet hoc in ſchola. F. Mihi ſic vſus eſt: tu vt tibi opus eſt facto, ita facito. Tua quid refert? E. Mea quidem aliquantùm, tua verò permultùm. Nam ſi te dormire ſiuero, doctor me quoque, vt infidelem cuſtodem, ſupplicio proſecuturus eſt. F. Itáne eſt? E. Itáne eſt? Etiã, dormitator, ita eſt. F. Permitte vt dormiam. Quomodo nunc eſt, aliter fieri non poteſt. E. Iſtam à magiſtro veniam pete. F. Irrides? quaſi tu dicas: pete ab atroci cane vt te mordeat: ſua ſponte mordebit. F. Ego profectò non feram, non patiar, non ſinam vt dormias: vſque & vſque moleſtus ero: etiam acicula, en, te compungam, vt clames téque ipſum, vt ſorex, tuo indicio prodas. F. Heu, mitte me: viciſſim indulgebo, ſi te ſomniculus corripuerit. E. Hanc abs te gratiam nolo. F. Tamen.

E. Iam

E. Iam reddenda erit è memoria hesterna prælectio: excute somnum, frica paulùm oculos, & relege quę edidicisti. Nisi faxis, à tergo, supra caput, ante oculos vindicta est. F. Quid relege? nihil edidici. E. Tum tu ipsa es miseria. F. Non exiget à me quidquam hac luce: non enim omnes, id quod scis, quotidie recitare possumus, præ multitudine. E. Ponamus exigere: quid dices? F. Doce tu me quid dicendum. E. Pulchrè dictum. Egóne doceam te mendacem fieri? nihil attraxit funis tuus. F. Actum est, verberabor, recitare non potero. Quid ergo proderit mihi si vigilem? vno dolore duo peccata expiabo: dormiam rursus. E. Dormi, dormi, nihil moror. Si Magister me obiurgauerit, narrabo quid fecerim, quid dixerim tibi: quid tu contrà responderis. F. Tantùm ne me expergefacias. Si etiam hodie vapulauero, non moriar. E. Quæ tibi verberatio faustè, ac feliciter eueniat, mi Fabiole.

## ANNOTATIONES.

POnamus exigere) *Vsus verbi huius est in rebus controuersis, cùm videlicet dicimus, ponamus ita esse, faciamus esse, fac potuisse, sit ita, esto vt tu dicis: pro quibus barbari, præsupponamus quod ita sit. Ponamus casum, ponamus quod sit, concesso, dato, posito quòd acciderit.* Nihil attraxit funis) *Ab ijs ductum prouerbium, qui hamato funiculo pisces captant, & nullos tamen capiunt.*

PRO-

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

## Spes, & metus ob certamen scholasticum.

*PASCHASINVS, STEPHANISCVS.*

PAschasinus. O quale, quàm venustum, modisque omnibus elegans brauium in crastinum disputatoribus nobis à Magistro est propositum? Apelles ipse nihil pinxisset lepidius. Et idcirco ostendit antè, credo, vt disputandi alacritatem summam nobis inijceret, & tam electorum prẹmiorum ardentiore nos cupiditate inflammaret. S. Coguor ipse fateri, nihil vidisse me pulchris istis imaginibus. P. At nos victoria potituros, κειμήλια adepturos, vix est, vt sperare ausim. S. Non? hem, quid est, quod tibi desperationem istam obijciat? P. Iustinus, & Anselmus disputatores sunt feruidissimi, rerumq; grammaticarum, vt qui maximè, gnari, & in certaminib. vincere soliti: ego autem pro more habeo vinci. Si auctor es, abeo, & præceptori conditionem renuntio: aut, vt producat dies aliquod disputationibus istis, ab eo postulo. S. Támne demisso atque humili te esse animo? audacia hîc pro virtute vti licet: exue metum. Sunt mihi aliquot reconditæ quæstiones, quas cùm antagonistis obiectauero, tã-

quam

quam hamo piſces, viſco volucres capientur. P. Si ſuperati cecideri.nus, væ virgis, quæ morientur in corpore non tuo, ſed meo: vehementer enim doctor noſter iraſci ſolet ſuccumbentibus, nec ignominia illorum contentus eſt, addit etiam acerbitatem ſupplicij. Tibi parcet, quoniam plerumque vincis, & vincêris ideo, quia ſolus duobus eſſe par nequiueris, cùm ego te nihil adiuuerim. S. Contrà eſt ac dicis Ne ſic te abieceris: non deſunt tibi ad hanc pugnam vires, modò animus non deſit. P. Quid tu ſtatuiſti proponere? S. De heteroclitis. Quid tu? P. De Præteritis & ſupinis. S. Multa ſunt ibi difficilia, bene elegiſti. P. At hoc per quam incommodum, quod nunquam fas eſt librum inſpicere. S. Si illis fas eſſet, nobis iniuria fieret: iam neutris fit. P. Si victoriæ compotes redierimus, dona, quæſo, mihi tuam partem. S. Inſane, quid petis? talentum mallem donare. Non abundo iſtis opibus: tu ditiſſimus es. P. Errat qui hoc de me credit, mentitur qui dicit. S. Egóne tibi mendax? P. Verbo lapſus ſum: fallitur, volebam dicere. S. Intendamus ingenia, & ad certamen nos accingamus, quod illi colluctatores noſtri ſine dubio iam faciunt. P. Hac nocte ſomno parum apud me loci erit. S. Apud me permultum, vigilijs.

## ANNOTATIONES.

ISTáque *κειμήλια*) *hoc nomine vocatur propriè & vſitatè, quod in noſtra ſuppellectile cæteris pretioſius, & tale, quod magna cum cura reponi ſolet, idem quod*

*Syrus.*

Συνάρχης, *qui & ipse ob eam causſam à τίθημι dicitur, Germanicè* ein Kleynod. Conditionem renuntio) *Renuntiare pro nuntiam remittere, & ſalutem vltimam dicere, Cicero nunquam dixit. Quintil. in* 10. *Alia quidem ſententia ciuilibus officijs renuntiabit. Budæus in Pandect. Conditionem latam renuntiare, eſt quod dicunt, reſilire, vel digredi ab oblatione facta: quod ſi voluntate eius fiat, qui conditionem accepit, dicitur acceptam facere conditionem, hoc eſt, remittere oblationem. Idem in Forenſib.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

## Litigium.

*PÆDAGOGVS, BLÆSVLVS, CVRTIOLVS alumni.*

PÆDAGOGVS. Germanus tuus, Blæſule, in diſcendo eſt impiger, citóque arripit omnia, tu autem lentè admodum, & ambulas gradu teſtudineo. B. Quid ergo tam crebrò obmuteſcit, cùm te interrogante reſpondendum eſt? P. Audin' Curtiole? C. Stimulat fratrem meum inuidia, ferre neutiquam poteſt cùm abs te laudor. E. Egóne tibi gloriolas tuas inuideo? ſcilicet laudatiſſimus homulus es, præſertim cùm manè ſurgendum. Ibi apparet generoſum pectus tuum: nam ad lectulum

quasi clauis affixus adhæresçis. C. Tibi, obtrectator, hoc vitium est: nam ego vocatus soleo me cubili proripere. P. Amborum vna culpa. Mea hoc facit indulgentia: sed aliquando malis mala euenient. B. Nihilo sum te inferior. C. Quid erit impudenter loqui, si hoc non est? nondum declinationes deuorasti. B. Pridem concoxi. C. Hebdomade antegressa exarabatur tibi corium, quod vocabulum iusiurandum in casus malè inflectebas. B. Et tu ex vno errato colligis inflexiones me nescire? C. Si examinareris, vtique peccares ĩ plurimis. B. Ne superbi, Blęsule: dabo enim potestatem Curtiolo te excutiendi, & introspiciendi penitissimè. B. Habet nihilominus in schola compluſculos, quibus palmam cedit. C. At tu interea manes indoctior, quamuis me alij doctiores sint, vt sunt: ceterùm vix tres quatuórue ex omni frequentia. B. Si tam crebris donarer munusculis vt tu, forsitan alacrius discerem. C. Immò tum acciperes, si alacriùs disceres. Non ante, sed post laborem veniunt prędia, si iustè veniunt. B. Abi argutule, consequar te, tametsi nolis. C. Si ego te cursuram incipiente consisterem, tu me non exæquares modò, sed etiam anteuerteres. Hoc tu si speras, despera. P. Satis verborum. Vterque contendat neruos: sic parentibus, mihi, cognatis futuri quàm carissimi.

## ANNOTATIONES.

GRadu testudineo) *Iouem fabulatur Æsopus conuiuium struxisse inuitatis omnibus animantibus,*

*tibus. Cùm autem testudo postrema omnium finitisque epulis veniſſet, interrogata cauſſam, reſpondit οἰκος φίλος, οἶκος ἄριστος, domus chara, domus optima. Inde eam damnauit hac pœna Iupiter, vt domum ſemper circumferat. Vide præterea prouerbium. Teſtudineus gradus.* Homulus es) *ab ἄνθρωπος: diminuta Græcis ſunt ἀνθρωπιον, ἀνθρωπάριον, ἀνθρωπίσκος, Latinis, homuncio, homunculus, homulus. Hoc extremum eſt apud Lucret. lib. 3.*

*Hoc etiam faciunt vbi diſcubuere, tenéntque*
*Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis.*
*Ex animo vt dicant, breuis eſt hic fructus homullis.*
*Iam fuerit, neque poſt vnquam reuocare licebit.*

*Verſus cauſſa geminauit conſonam. L.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

## Simplicitas, & lentitudo Magiſtri.

### TORANNIVS, EGESIPPVS.

TORANNIVS. Terque quaterque beatus fuit hodie hic ſodalis tuus. E. Qua in re? T. Quòd euidentiſſimo periculo, imò periculis, diuino adiutus numine, defunctus eſt. E. Quæ iſta pericula? T. Quæ ſibi creant, qui nec ſcriptionem red-

reddendam habent, nec memoriæ quidquam mandarunt, nec quæ reſpondenda ſunt ſciunt, & ad extremum tardiſſimè ludum intrant. His virtutibus ornatus inceſſi hoc die. Carebam epiſtola, inquam, nihil edidiceram (quoniam in conuiuio apparatiſſimo domi noſtræ accubantibus ad intempeſtam noctem miniſtraui, & ſaltatorium orbem verſaui) nihil relegi, in lucem ſtertere perrexi: iam tu rationem ſubducito, quoties pulſationem promeruerim. Abij, exceſſi, euaſi, erupi. E. Albo calculo hic dies notandus eſt tibi. An verò cras epiſtolam oſtendes? T. Equidem. E. Qui tam breui compones? T. Particulam ab hinc biduum compoſueram, eam emendabit noſter Coſmas, & reliquum addet de ſuo, iam enim promiſit. Videbor præceptori vna nocte expolitus, laudabit me palàm. E. Nónne ſentiet præſtigias? T. Oh, non. Satis modicè literatus eſt: æra quid lupinis diſtent haud bene nouit: & eſt homo antiquus, cui perſuaderi poſſit, ouum exſtitiſſe ante gallinam. E. Itaque illi fucum ſæpe fieri à diſcipulis credibile eſt. T. Sic opinor. E. Si reſciſcat, num maleficia veſtra non vindicat? T. Etiam, ſed molli brachio, Languidulus Præceptor eſt. E. Oleum flammæ. T. Vide quid mali faciant verbera: ſubigunt nos palpum Magiſtris obtrudere, & commenta proloqui: nam certò ſcio, non hæc committeremus, niſi plagas timeremus. E. Quin potiùs illius ingenium ſimplicius, & vitioſa lenitas hæc mala creant. Si enim vafriciem veſtram odoraretur, atque perſpiceret, & in reos acriùs ſæuiret, vos iſtis

technis abstineretis. T. Vtcunque sit, ego secundissima fortuna me vsum gaudeo. E. Ego autem te volentem, ac scientem Præceptorem cogitâsse circumducere, non gaudeo. T. Equidem viri huius iram nullo in metu ponendam iudico.

## ANNOTATIONES.

SAltatorium orbem) *Cic. in Pison, cùm illum suum saltatorium versaret orbem. Versant enim se, & in orbem circumagunt tripudiatores. Plaut. Sticho, versum appellat. Si istoc versu me viceris, alio prouocato, Turneb. lib. 4. cap. 21. & lib. 21. cap. 15.* Albo calculo) *Plin. lib. 7. scribit Thraces consueuisse dies lætos ac felices albo lapillo notare, infelices autem, inauspicatos, infaustos atro. Catull. O lucem dignam candidiore nota. Horat. Cressa ne careat pulchra dies nota. Ode. 36. lib. 1. Quo loco non est quod quidam Thressa reponant. Valet enim idem quod alba, seu candida. Nam creta non solùm insulæ nomen est, sed etiam lutum illud album, significat, quo vtebantur ceræ loco Græci Asiatici, ad obsignandas literas & priuatas & publicas, propterea, quòd in Creta magna esset huius luti copia.* Homo antiquus) *Antiqui homines sunt boni, candidi, probo ac simplici ingenio viri: tales enim fuerunt antiqui, & anni veteres, meliores anni. Ouid. Fast. 1. Laudamus veteres, sed nostris vtimur annis. Sic antiqui mores sunt boni probatique mores. Cic. pro Sext. Roscio. Homines antiqui, qui ex sua natura cæteros fingerent. Et infrà. In qua muliere, Iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli caussa-*

*vestigia antiqui officij remanent. Pro Quint. antiquam officij rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit. Ibidem. Tu aliquem patronum inuenies, hominem antiqui officij, qui splendorem nostrum, & gratiam negligat? Ad Attic. l. 9. epist. 18. Quod scribis asperiùs me, quàm mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse: vide quàm sim antiquorum hominum. Te medius fidius hanc rem grauiùs putaui laturum esse, quàm me. Plaut. Capt. Ille demum antiquis est adolescens moribus. Et Trin. Meo modo, & moribus viuito antiquis. Terent. Adelph. Homo antiqua virtute, ac fide. Ouum extitisse) Lepidam disputationem habes hac de re apud Macrob. Saturn. l. 7. c. 16.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

## Hora producta.

### PATROPHILVS, ZACHEVS.

PAtrophilus. Hæc hora tam longa est, vt si dimidiatus sit dies. Z. Mihi pene annus videtur. P. Retraxit à cursu is, qui horologium moderatur. Z. Non abest suspicio. Egisset hoc bonus vir antequã scholas ingrederemur. At ille perpetuò post meridiem errorem horologij sui, vel suam potiùs incuriam ista hora corrigit, ponderáque sursum reuocat: quo in dies singulos fermè ad dimidium horæ tem-

tempus nobis prorogetur, cùm alioqui totas quinque hîc ſeſſitemus. P. Vbinam igitur hanc iniuſtitiam deplorabimus? apud quem de iſta iniuria querimoniam habebimus? Z. Cenſeo apud Præceptorem. Verùm cùm ipſemet non ignoret tempus extendi, & tam leni animo id patiatur, videtur velle nos vltra definitum ſpatium hîc inter ſcamilla hæſitare: quod tamen ſine magna eius quoque moleſtia fieri non poteſt. P. Conſilium dabo. Z. Da. P. Conueniamus præfectum horologio, eumque totius ſcholæ verbis rogemus, & honorarium polliceamur, ne nos cruciet amplius: quin poſthac non ſolùm non productiores ſed anguſtiores etiam horas reddat: quippe cùm hîc ſedemus tam diu, & immeritò, tempus quod domi ad ſtudia, ad cœnam luſumque relinquitur, neceſſe eſt fieri contractius. Z. Noſtra ætas, prô dolor, valde expoſita eſt iniurijs: pueri enim contemnimur facilè, quia pueri ſumus.

## ANNOTATIONES.

IS qui horologium) *De inuentione horologij apud Romanos, vide quid ſcripſerit Plinius lib. 7. cap. 60.* Inter Scamilla) *Diminutum eſt à ſcanno, vt à mamma diminuitur mammilla. Priſcianus lib. 3. Vitruuius genere virili dixit, per ſcamellos impares, Turneb. lib. 11. c. 2.* Honorarium polliceamur) *Quod permulti parum latinè ſcientes, & egregiè germanizantes, ex* Trinckgelt *ſolent dicere, bibale, & dare alicui bonum bibale: nos hanc ipſis elegantiam relinqua-*

*mus, dicamusq; honorarium. Honoris enim causſa datur ea pecunia, etiamſi à quibuſdam ad pocula conferatur.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM. QVINTVM.

## Pecunia vtiliter collocata.

*VVOLFGANGVS, SEBALDVS.*

VVOLFGANGVS. In amoribus es parentibus tuis, Sebalde, & oculiſſimus filius. S. Quo ſigno, quóue indicio iſtuc? VV. Iſto recentiſſimo tuo, & tam ſplendido amictu: quanquam aliôqui me non latet, quàm te in ſinu & complexu ſemper habeant. S. Vſque adeóne te in admirationem traducit iſte ornatus meus? VV. Sanè quidem poteſt hoc domus veſtra: diuitijs affluit. Hem zonulam pulcherrimam ex holoſerico, bullis nitentem argenteis, è qua vt bella bellè dependet crumena? ſi quid pecuniarum cuſtodit, optem illam mihi: ſi non, haud cupiam. S. Eſt intus pecunia, & tanta, quantum tu vix credas. VV. Quanta ergo? S. Coronati duo. VV. Supra fidem eſt. S. At ego faxo vt aliter prædices, nam res ipſa dicet tibi. En. VV. Quis dedit? S. D. Nicolaus, more patrio, in meam patellam cum cingulo, & puſillo iſtoc marſupio impoſuit. VV. Ita in me liberalis haud fuit.

Quid

Quid acturus? in quo conſumpturus tam grandem pecuniam? S. Empturus quod animo meo collibuerit. VV. Quid collibebit? S. Quòd erit meo iudicio viſendum. VV. Quid autem illud? S. Quid tibi arrideret inprimis? VV. Plumulas elegantiuſculas emerem primo loco, quas pileolo aſſuerem: deinde pugiunculum: deinde enſiculum, atque etiam ſpeculum. S. Quas tu mihi ineptias? mercabor libellos inauratos, & ſtrenam præterea inſignem, quam anno hoc vndenonageſimo ineunte Præceptori offeram. Nihil poſſum parare melius, nec quod prudentes magis approbent.

## ANNOTATIONES.

IN amoribus) *Qua ex re magnam voluptatem ac delectationem percipimus, eam & amorem & amores latini appellant: etiam plurali numero, inquam, in honeſtis rebus vtuntur, quod rudiores neſciunt: & eadem notione delicias vocant. Cic. 1. de Diuinat. Quid amores & delicia tua Roſcius? In epiſt. ad famil. in amoribus mihi eſt: Et, Delicia verò tua Æſopus ad Attic. lib. 2. epi. 19. Pompeius noſtri amores, quod mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit. Et lib. 6. Dionyſius (Ciceronum puerorum magiſter) mihi quidem in amoribus eſt.* Oculiſſimus) *Senſum oculorum ſupra omnes diligimus: ſurdus certè quàm cæcus eſſe mallet vnuſquiſque noſtrûm. Itaque Plaut. Curcul. Hominem oculiſſimum dixit, pro æquè caro, vt ſunt oculi, ſeu pro cariſſimo. Ibidem oculiſſimum oſtium hyperbole quadam. Catull. Ni te plus oculis meis amarem. Idem.*

*Eri-*

*Eripere ei noli multò quod carius illi.*
*Est oculis, si quid carius est oculis.*

Ornatus meus) *Cultum corporis, ipsumq; vestitum hac voce frequenter auctores indicant: Cicer. 1. Offic. Statuas videmus, ornatu ferè militari. Plaut. Amphit. Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini.* Strenam præterea insignem) *Strenarum origo, quibus felicem ominamur annum, ipsius auspicio, & initio, à Tacito Rege manâsse dicitur, qui primùm Romuli hostis, deinde collega in regno Romano fuit. Vide Turneb. lib. 10. c. 26.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

## Virtus in teneris.

### PARENS, LVDIMAGISTER.

PArens. Operæ pretium facturum me credidi, si aliquando interrogarem te, vti se darent initia, quantúmque proficeret meus Laurentiolus. L. Est cur Deo gratias agas: mirandum in modũ procedit in literis. P. Iam huc accessum, & hoc abs te auditum gaudeo, tibíque secundùm Deum ago gratias singulares propter tuam diligentiam. L. Similes illius vtinam essent omnes. Verùm alios plerosque minis, & ictibus ægrè promoueo ad discendum quomodocunque: iste tantùm laudibus ailtur,

ni

nihilque peius timet, quàm dedecus. Quòd si quando in concertationibus frangitur (quod perquam raro contingit) plorat tanquam si parentem amisisset. Excellenti inprimis est memoria: nam cùm facilè percipit quæ audit, & legit, tum fideliter continet. Quid multis? ducit classem suam: & cùm tempus aderit in scholam superiorem ascendendi, aut primus, aut à primo proximus est ascensurus. P. De moribus quid sperem? L. Non minora. Pius omnino puerulus est: Catechismum memoria tenet vt nomen suum: Rosarium secum assiduè, & in sinu semper libellum precationum gestat: cùm in templum venimus, quietissimus est, Deumque precibus colit quàm religiosissimè: quin & in ludo nemo ipso tranquillior, nemo ad parendum promptior. Aureum genuisti filium. Precare numen cæleste, vti sospitem annos iuueniles conficere patiatur: magnam vtique, & claram Reipub. lampadem accenderis. P. Vix sum apud me præ gaudio. Insiste mihi puerum erudire, sicut facis: & scito te ob hoc, vt fratrē fore mihi in medullis. Malo enim prorsus carere liberis, quàm eos non habere quàm præstantissimos: quales tua fideli opera me visurū spero. L. Deus votis tuis optatisque quàm cumulatissimè respondeat.

## ANNOTATIONES.

*REprehendit Plutarchus parentes, qui postquam filios suos pædagogis, magistrisq; commendarunt, ipsi quid discatur, neq; inspiciunt vnquam, neq; audire curant. Non enim oportebat in mercenarij volun-*

*tate*

*tate ſpem omnem collocare, qui, & ipſe maiorem diligentiam pueris inſtituendis erat impenſurus, ſi idem ſui ſibi muneris rationem reddendam fore ſentiret. Affert deinde illud equiſonis: nihil eſſe quod perinde ſaginaret equum, atq; oculus Regis. De libris educand.* Cum facilè percipit) *Quintilianus lib. 1. c. 3. Ingenij ſignum in paruis præcipuum memoria eſt. Eius duplex virtus: facilè percipere, & fideliter continere.* Ducit claſſem) *Quintiliani eſt. Idem prorſus quod ſui ordinis primus eſt: nam claſſem hic pro vna quadam puerorum ſedentium ſerie vſurpauit. Simile, ducit familiam, quod in dialogum ſecundum explicauimus.* Plorat tanquam ſi) *Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc deſidiam nunquam verebor: Quintilianus l. 1. c. 3.* Carere liberis) *Liberos voce multitudinis pro vnico filio filiáue dixiſſe antiquos oratores, hiſtor. poëtas, confirmat Gellius l. 2. c. 13. Cicero quidem 1. Philipp. Pax deniq; per eum (Antonium) & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt. Habebat Antonius duos filios, ex Q. Fabij, cognomento Bambalionis, libertini hominis filia ſuſceptos. Sed de vno hîc ſermo eſt, quem orat. 2. puerum nobilem, Bambalionis nepotem nominat. Ipſemet Cic. infrà declarat apertè, ſed vno duntaxat locutum. Reipublicæ tuus paruus filius in Capitolium à te miſſus, pacis obſes fuit. Pro lege Manil. cùm de filio M. Antonij, qui fuit auus huius Antonij, loqueretur, etiam liberos dixit, vt Terent. Hecyra. Qui illum decreuerunt dignum, ſuos*

qui

*cui liberos committerent, cum loquatur de vnica filia. Et Heaut. Chremes Medemo, cui vnicus filius Clinia. Ingenio te esse in liberos leni puto. Et Virg. 10. Æneid. similiter vsus est voce, natis, pro vno tantùm. Argenti atque auri memoras quæ multa talenta, Gnatis parce tuis. Vide Seruium. Apud Iurecos. Liberorum appellatione nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes quoque continentur. Crinit. lib. 15. cap. 8.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

## Præceptor honesta imperat.

### *DISCIPVLVS, MAGISTER.*

DISCIPVLVS. Summoperè, maioremque in modum oro, vti hanc prouinciam reos deferendi, absentes, & alioqui tum in schola, tum extra scholam turbulentos, alteri velis imponere, qui eam explicet meliùs ac libentiùs. M. Quid te mouet, Paule mi, vt hoc tam flebili voce à me deposcas? D. Plena est dedecoris. M. Ne sic erumpas. Egóne, aut vllus cui cum virtute est commercium, te facere iusserit quod sit plenum dedecoris? D. Non quidem re, sed opinione. M. Quorum tandem opinione? D. Condiscipulorum meorum. M. Tui condiscipuli nondum sapiunt: fugit eos vbi laus, vbi turpitudo sita sit. Quid igitur de hoc munere loquuntur, & sentiunt?

tiunt? D. Dicere nihil quidquam verentur, iſtos Corycæos numerandos in proditoribus: non aquam aquæ ſimiliorem eſſe. M. Nomina mihi de iſta puerorum nequam colluuie aliquot. D. Non recordor ſigillatim. M. Vnum ſaltem. C. Toties hoc audiui de multis. M. E ſchola non exibis niſi vnum mihi nominaueris, è quo cęteros extorqueā. D. Magis me odioſum, & inuiſum reddam. M. Sic agam, vt quidpiam ſuper hoc abs te ad me perlatum non intelligant. Tantiſper fac ſedulò quod tibi imperaui. Tu aſſiduus in gymnaſio, tu diſcendi ſtudioſus, tu probus es adoleſcens, & animo meo carus egregiè: ideo te ante alios delegi, cui hoc mandarem. Agitaui hanc rem in corde meo, & nollem hærere in te peccatum: hærebit ſi auctoritati meæ non parueris. D. Quando conſtanter id mihi præcipis, oratione & auctoritate tua victus, petitione deſiſtam. Te rogo tamen, vt honori, & rationibus meis cōſulas. M. Sollicitudinem iſtam abs te remoue.

## ANNOTATIONES.

ISTos Corycæos) *Qui ſint Corycæi, & vnde hoc illis nomen, docebit copioſè Paræmiographus, prouerb. Corycæus auſcultauit: ne fruſtra paginas impleamus. Quod autem plerique eoſdem appellant ſyndicos, parum propriè loquuntur. Sunt enim Syndici aduocati, qui vti patroni ad cōmunem cauſſam defendendam mittuntur, & συνδικεῖν verbum idem quod συνηγορεῖν: ac ſi ſyndicari verbum fingas pro defendere, & patrocinium præſtare. Sunt etiam ſyndici ciuitatum, &*

*ad-*

*aduocati, & defensores iuris publici: quasi in caussam publicam communiter incumbentes. Budæus in Pandect.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM OCTAVVM.

## Pueri multandi verberibus.

*PATER indulgentior, MAGISTER, seuerior.*

PAter. Queritur Augustinulus meus, se in ludo sæpissimè abs te vapulare: quem quidem non mihi narrare somnia, è fletu rubentes oculi testantur. M. Si filius tuus iustè vapulat, noli quærere, raróne an sæpe. P. Atqui nec iustè videtur cædi, nec moderatè: sed iniquè & inhumaniter, si tam frequenter. Nam cui toties imponendæ sunt plagæ, ei posteriores semper grauiores imponuntur; quæ autem flagitia tam crebra filius iste meus, probus vtique, & diligens puer, admittere possit, non intelligo. M. Amor cæcus est, is facit, vt puerum meliorem, & in discendo alacriorem existimes, quàm ego experior quotidie. Ingenium sanè non deest illi, voluntas deest. Quod ad verberum atrocitatem attinet, hoc tantùm respondebo tibi, me adhuc intra limitem sæuisse: peróque à prudentia tua, vt mihi potiùs fidem habeas, quàm pueris, qui leuissima de caussa mentiuntur facillimè, &

cùm

cùm virgas ac verbera impensè oderint, nunquam iusta animaduersione punitos se conteri solent. P. Quæso, Magister, sine me paucis oppugnare hunc morem vestrum cædendi pueros, & si possim, sceptrum istuc tuum, virgam inquam, extorquere tibi de manibus. M. Patiar equidem te discerere aduersum nos quæ libet: si tu etiam pati vis, me consuetudinem nostram tam antiquam, vsitatam, & necessariam defendere, quæque mihi in mentem venerint contrà respondere. P. Optimum & æquissimum est audire vicissim quem accuses. M. Clauam Herculi hodie nunquam extorseris, futurumque est, vt tu magis posthac flagellum ad multandos liberos in manus sumas, quàm mihi, vt id abijciam, persuadere vltra contendas. P. Tu fortasse eloquentia tua confidis, qua me supplantes: ego veritate sola nitor, illam mihi comitem & adiutricem aduersus te duco. M. Auscultо, dic virorum optime. P. Pulsare pueros, siue id à Magistro, siue à pædagogo, siue à parente fiat, deforme est: quoniam mancipia & bestiæ, quæ aliter ad officium faciendum adduci non possunt, non ingenui, & filij, teneræque ætatis alumni, & discipuli verberibus sunt vrgendi. Animum liberalem, plagæ seruilem fractumque efficiunt, qui dum omnia timet, nihil audet eximium, sequiturque desidia, & inertia, quibus corpus quoque elanguescit atque conficitur. Similiter pueris immoderata seueritas, vt nouellis stirpibus nimia siccitas, nocet. In equulos, & vitulos calcaribus, stimulis, verberibus non vtimur: cur in pueros vtimur? quin & adulti

boues,

boues, ſi acriùs ſtimulis ſubigantur, iuga perſæpe detrectant, & frænorum iam patientes qui, ſi crebriùs verberentur, percontumaces, pauidíq; , blanda autem manu attrectati, generoſi, & audaces reduntur. Inter canes item ij nobiliores, quos blanditijs, & licentia quadam excurrendi potiùs, quam minis, & verberibus venatores educarunt. Simile quiddam in hominibus accidere credendum eſt. Contrà verò in aſinos, quoniam abiectiſſimæ naturæ pigerrimęque animantes ſunt, ſi ex ijs vtilitatem capere ſtudemus, fuſtes & flagella ſolemus expedire. Sic prorſus agreſtibus, & virilibus ingenijs faciendum, quorum vitia non vt frondes teneræ ſtringendæ, ſed vt ſpinæ, & rubi penitus ſuccidenda ſunt. Quid quòd multa vapulantibus dictu deformia, ac maximæ verecundiæ futura, vel dolore, vel metu ſolent accidere? Hæc porrò non ideo dixerim, quòd exiſtimem ſolutam, ac liberam pueritiæ ad omnia voluntatem eſſe oportere, neque vllam ipſi pœnam irrogandam, quam ad delicta nimio plus propenſam, & lubricam eſſe non me fugit: ſed vt mitis quędam, & moderata pœna, cum iudicio prudentiáque, tanquam lene medicamentum ad ipſius curanda vulnera morbóſque ſanandos adhibeatur: quò fiet, vt lôgé meliùs, longéque faciliùs à ſuis vitijs ad ſtudium amorémque virtutis traducatur, neque Magiſtros odio proſequatur, vt carnifices: ſed amet vt parentes. Poſſit igitur non ſtultus ludimagiſter, ſi quid bene fecerint pueri aliquando commendare: ſi quid errauerint, diſſimulare: nonnunquam blandè

emendare,& cum laudationibus caſtigationes permiſcere, munuſculis etiam, & cruſtulis interdū eos ad diligentiam allicere:celebrare eos,qui probitate & ſcientia claruerunt; deteſtati autem, qui veluti muta pecora vitam ſilentio tranſierunt. Condiſcipulos item peccantes coram ipſis reprehendere, & rectè facientes prædicare,mirum in modum proderit. His ego, ſimilibúſque modis,plus profectum iri apud adoleſcentulos putarem, quàm atrocibus minis, aſſiduiſque verberibus. Non neſcis quid Terentius tuus quodam loco ſentiat.Pudore & liberalitate,inquit, ſatiùs eſſe credo retinere liberos quàm metu.Nec Plutarchi auctoritatem contemnis,cuius verba memini è libello de inſtituendis liberis. Non verberibus, aut contumelioſa tractatione, ſed verbis & adhortationibus ad liberalia ſtudia pueri addocendi ſunt. Torpent enim, & abhorrent à laboribus, partim ob dolores plagarum, partim ob contumelias. Apud ingenuos laudationes vituperationéſque plus valent: illæ ad pulchra incitantes, hæ à turpibus arcentes. M. Plurâne tenes memoria? P. Etiam, hæ enim ſequuntur ibidem. Alternis porrò increpationes, & collaudationes ſunt adhibendæ, vt & cùm exultant animi, reprehenſionibus etiam ad pudorem redigantur, & cùm deiecti ſunt, rurſus laudibus erigantur. Imitandæque in hoc genere nutrices,quæ infantes,cùm ad fletum prouocârunt, rurſum vt conſolentur mammam præbent. M. Miror te patrem non paternè,ſed maternè filij cauſſam agere, & eſſe animo tam indulgenti in puerum: nec

illud

illud etiam ex eodem auctore adducere voluisse, quod ijs, quæ recitâsti, proximum est. Vidisse se, ait, parentes, quibus nimius amor in caussa fuerit, ne verè amarent. Sententiæ tuæ, in speciem graui & prudenti, communis omnium gentium consuetudo reclamat, & sapientes hunc modum cædendi pueros planè suadent, & sacrosanctæ literæ, quarũ apud me non paulò maior quàm omnium poëtarum, oratorum, philosophorum est ad persuadendum vis atque auctoritas, non vno loco virgarum, flagellorúmque meminerunt. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera illius dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Qui parcit virgæ, odit filium. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ eradicabit eam. Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur.* P. Obruis me testimonijs. M. Quid si nullum omitterem? magis id diceres. Itaque D. Augustinus in libris Confessionum, quòd socordior esset in discendo, se vapulâsse, idque sibi profuisse narrat. Apud Lacedæmonas vituperationem subibat pater, si filium à Magistro percussum, & conquerentem, non iterum percussisset. Quod si hoc sæculo valeret, melius forsitan ageretur cùm Republica: tam perditam, ac rebellem iuuentutem non haberemus: nec tot facinorosi atque pestiferi ciues existerent. Persuadere sibi omnino & parentes, & præceptores debent, nisi principijs anteuerterint, puerós-

róſque flexerint, dum flecti poſſunt, fore, vt aliquā-
do ex ijs dolorem ingentem capiant. à quibus gau-
dium, voluptatémque expectabant: & id eſt, quod
ſanctæ ſcripturæ oracula vaticinantur. Cæterum
iſta verberatione vtendum eſt moderatè, nec qua-
uis, etiam leuiſſima de cauſſa, niſi ſi frequēter com-
mittant, quamuis in re leui: vitioſa enim conſuetudo
contrahitur, & à paruis delictis non punitis, ad ma-
iora fit progreſſio. Submouendi meo quoque iudi-
cio à ſcholis, qui verberando voluptatem ſentiunt,
omnémque culpam capitalem faciunt: nec magis
parcendum pueris, quàm canibus exiſtimant. Ca-
uendum etiam, ne irati quenquam plagis multemus:
ira quippe mediocritatem ſeruare non poteſt: & ne
caput, cæteráſque principes, ac vitales humani cor-
poris partes lædamus, vnde valetudini incommo-
dum generetur. Si quis erit tam liberali ingenio, vt
literas, & virtutem vltrò diligat, verecundus, maio-
ribus obediens, labores non recuſans, aliquando ta-
men peccans (quis enim vel ſapientiſſimus nun-
quam vlla in re offendit?) hic blandè, & dulci quo-
dam modo corrigendus erit, ne ad iracundiam pro-
uocetur, & puſillo animo fiat. Si qui vel reprehen-
ſionibus, vel verberationibus, magis tanquam ſaxa
indureſcant, ijs pulſandis ſuperſedendum eſt. Quam-
obrem non eſt interdicendum Magiſtris hoc pœnæ
ſumendæ genus: ſed ſi per ſemetipſos non vident,
admonendi ſunt, vt modum ſeruent, ſciántque, &
quibus, & quando, & quantum pœnarum infligen-
dum. P. Obſtruxiſti mihi os: ſerua inſtitutum tuum.

Si

Si in posterum puer meus de te questus fuerit, Lacedæmonius illi fiam: iterum verberabo, vt conqueri desinat: & cùm me approbare sciat quidquid tu feceris, si effugere verbera concupiscat, cupidiùs ad studia sua incumbat. M. Tali patre nihil laudabilius.

## ANNOTATIONES.

QVæ autem flagitia) *Flagitium peccatum est ab aliqua animi mollitie, aut ignauia profectum, quod dedecus, & turpitudinem affert: scelus autem vel cum aliqua crudelitate, & cæde, vel cum impietate coniunctum est. Itaque libidines flagitiosas dicimus: & flagitiosam vitam, & militem flagitium admisisse, qui locum non tenuit, qui hostem extimuit, qui fugit, &c. Non esse cædendos pueros vult Quintil. extremo cap. 3. lib. 1. cuius ratiunculæ haud magnum pondus habent. Cur autem ibi potissimùm receptum sit virgis afficere pueros, vbi afficiuntur, in ea scilicet parte corporis, vide Rodig. lib. 4. cap. 8.* Sceptrum istuc tuum) *Martialis ad Magistrum ludi epigramma hoc est lib. 10.*

*Ludimagister parce simplici turbæ:*
*Sic te frequentes audiant capillati,*
*Et delicatæ diligat chorus musæ:*
*Nec calculator, nec notarius velox*
*Maiore quisquam circulo coronetur.*
*Albæ leone flammeo calent luces,*
*Tostamq; feruens Iulius coquit messem,*
*Scuticaq; loris horridis Scythæ pellis,*

*Qua vapulauit Marsyas Cælenæus,*
*Ferulæque triſtes ſceptra pædagogorum,*
*Ceſſent, & Idus dormiant in Octobris:*
*Æſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.*

In equulos & vitulos) *Numquid nam æquum eſt, grauius homini & durius imperari, quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter: fit enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quique iam exercitatis vtitur ad excitandas, vel perſequendas feras. Nec crebrò illis minatur; contunditur enim animus, & quidquid eſt indolis comminuitur trepidatione degeneri: nec licentiam errandi vagandique paſſim concedit. Seneca de Clement. lib. 1. cap. 16.*

# PROGYMNASMA QVINQVAGESIMVM NONVM.

## Literæ Bellerophontis.

*MAGISTER, DISCIPVLVS.*

MAGISTER. Tantùm non alternis diebus nuſquam in ſchola cerneris: cùm deinde cauſſam volo noſcere, nunquam te defecit aliqua huius tam frequentis abſentiæ purgatio: aut enim paternum, aut maternum imperium aliquo te negotio

gotio irretitum tenuit. Miror, si ita res habet. D. Non secus profectò: & vt minùs dubites in posterum, ecce schedam patris ipsius manu, eiusque signo obsignatam, qua mihi cauet. M. Legamus hanc schedam. O rem nec opinatam. Volebam tacitus quod hîc exaratũ reperio legere, verùm rectiùs fecero, si clarè, toto audiẽte cœtu, legero. Spe ista lapsus es. Infelices, & in caput atq; perniciem tuã scriptas attulisti literas. Attendite, vt si quis huius pueri virtutem factáque imitamini, eiusdem exitum & exitium perhorrescatis.

## SIMEON RHODOPHILVS CASSANDRO Ludimoderatori S. D.

FIlium *meum non nego aliâs à me, aliâs à coniuge mea negotijs occupari necessarijs, quando famulos, & ancillas non semper ad manum habemus. Cæterùm ille, quo tempore scholæ habentur, nimis sæpe in ædibus visitur: aut, quod narratum est mihi, in platearum angulis cum æqualibus certat globulis, ac nucibus. Cùm percunctor, quare in ludo non sit, respondet, aut non doceri, aut abs te sibi datam domi manendi potestatem. Ego te vel in functione tua adeò segnem, vt tam frequenter non doceas, vel pueri tam securum, vt sine iusta cum ratione ab esse sinas, credere nequeo. Itaque tametsi ipse hoc epistolium à me flagitauit, quo se tueretur, tu nihilominus pro officio tuo in eum quàm seueriſſimè animaduerte: id erit mihi vehementer gratum. Bene vale.*

Hem Carole, quid ais? pallor omnia membra te-

net, obmutuit, contremuit. Teneo cassibus meis implicitam, & impeditam vulpeculam. Nuda pellem, vt debitam artibus tuis mercedulam capias. En, vt me ductauit dolis. Qui mendacio confidit in caducum parietem inclinat.

## ANNOTATIONES.

LIteræ Bellerophontis) *Cùm quispiam literas affert commendatitias, vt ipse quidem putat, re autem vero accusatorias: aut cùm aliquis nunciat, fecitue quo se prodit, sibiq; nocet. Quales ad Iobaten Lyciæ regem attulit Bellerophon, & in sacra historia etiam, Vrias Hettæus ad Ioabum. Vide Homerum Iliad. 6. Lambin. in Oden 6. lib. 3. & adagium. Plaut. Bacchid.*

*Nullus homo dicit, hæ tabellæ te arguunt,*
*Quas tu attulisti, hæ te vinciri iubent. aha,*
*Bellerophontem iam tuus me fecit filius,*
*Egómet tabellas retuli, vt vincirer.*

*Historiam periucundam de puero commemorat Iouianus Pontanus, qui artificio quodam conciliato pallore & languore adduxit eò patrem, vt ipsum in ludum ire vetaret, De sermone lib. 2. pag. 207. edition. Aldin.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM.

## Minæ.

*PRÆCEPTOR, PVER præfractè indiligens, & hebetior.*

PRÆ-

PRÆCEPTOR. Asinum citiùs saltationem Pyrrhicam docuissem, quàm stipitem istum literas. Age puer, cape quod capiendum est; plus æquo tentâsti patientiam meam. Rogaui, iussi, obiurgaui, verberaui: tu manes idem, id est, ignorans, & à literis, vt videris, abhorens. Si perstas in ista mente, patrem monebo, vt ad molitorem, carbonarium, aut carnificem adducat, vnius horum futurum discipulum. PV. Vt incumbam in eas toto pectore, nihil retineo literarum. P. Ipsa inscitia tua reclamat affirmationi tuæ. Qui enim possit fieri, vt tanta longinquitate temporis si conatus fuisses, nihil profecisses? V. Nescio qui fiat, fieri tamen planum est: nec sufficiens otium domi relinquitur, P. Nunc primùm ista excusatione vteris? apparet conficta. PV. Vsus essem pridem nisi intellexissem nihil apud te valituram. P. Veritas apud me valuit & valebit semper. Conueniam parentes tuos, cognoscam ipsorum mentem. Si ab illis tibi nihil erit impedimenti, tu aut Grãmaticam disces, aut opificium sordidum. PV. Non commorabor diutius in patria. P. Quamdo discedes? PV. Secundùm Pascha. P. Tum ego non laborabo ampliùs tua causa: restat enim vnus tantùm mensis ad Pascha, beâsti me hoc dicto. Quò discedes? PV. In militiam, vt reor: commendauit enim me pater cuidam vexillifero, P. Sanè gladiùs, aut ænea fistula tuis digitis aptior est, quàm calamus.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

SAltationem Pyrrhicam) *De hac saltatione, similibusq; exercitationibus corporum, lege eruditissimos libros Hieronymi Mercurialis de arte gymnastica. Præterea Leonicum varia hist. lib. 1. ca. 87. Germanum huic est illud Plaut. in Persa: Canis si in ludum iret, posset iam fieri, vt probè literas sciret.* Æneа Fistula) *Quidam sclopos vocant, & milites sclopetarios. Globulos autem, qui inde emittuntur, glandes & pilas plumbeas. De inuenta bombarda Magius lib. 1. cap. 1. Brodæus lib. 2. cap. 26.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM PRIMVM.

## Recitatio.

*MAGISTER, DISCIPVLVS.*

MAGISTER. Heus Andrea, comprehendistinstin' memoria, quā hesterno vespere explanaui epistolam? D. Verò, comprehendi. M. Quod felix sit, claude librum & recita distinctè, clara voce. D. *Tullius Terētiæ suæ, & pater Tulliolæ duabus animis suis: & Cicero matri optimæ ac suauissimæ sorori. S. P. D. Si vos valetis, nos valemus. Vestrum iam consilium est, non solùm meum, quid sit vobis faciendum.* M. Altiore voce, vt omnes exaudiant. Date vaci-

vacuas aures pueri. D. *Si ille Romam modestè venturus est, rectè in præsentia domi esse potestis, &c.* M. Andrea Andrea næ tu malè hanc tam bellã epistolam memoria sepsisti, atque custodisti. D. Reuera domi tenebam perfectissimè. M. Oh, tibi ego vt credam? Identidem inspiciebas librum, & verba furabaris. Antiquum obtinebas. D. Bis tantummodò, summùm ter. M. Et mentiri non vereris? quoties clamaui, claude, claude? Quàm sæpe insuper ordinem verborum commutabas, priora posteriùs, posteriora prius pronunciando? & aliquando tua pro Ciceronis, scortea pro aureis videlicet substituebas. Frequenter præterea voces iam dictas repetebas, & denuo quasi deglutiebas: vt interim posses aut ipse librum aperire aliquantùm, aut vicinorũ aliquis suggerendo hærentem te in salebris expediret: quod & nunc, & aliàs solicitè præstitit Bernardulus. Abs te ne mihi hanc afferri fallaciam? Noui ego artes puerorum ad vnguem omnes. Senex sum, & seni verba dare difficile est. D. Fuit nimiùm longa epistola, nequiui totam edisce re. M. Ecce, iam iam asseuerabas, domi te perfectè memoriter eam complexũ. Itáne tandem? tu ex vno ore calidum & frigidum? & aliud stãs, aliud sedẽs? Cur nõ ingenuè fassus es te nescire? D. Virgæ me terruerunt. M. Infelix puer, hoc magis pro commerita noxia te castigabo virgarum verberibus, quia ludificâsti me, & ad socordiæ vitium vanitatis culpam addidisti. D. Volebam mihi consulere. M. Non consulit, sed nocet sibi, qui sic recitat. D. Ego alio intellectu hoc verbi dixeram: pœnam paratam

ratam effugere ſtudui. M. Ne tuum exemplum, & impunitas corrumpat cæteros, hodie cædaris neceſſe eſt, puerorum verberabiliſſime. D. Eheu, mi Præceptor, modò tantùm parce. M. Idem rogâſti antehac, & peperci: nunc luendum eſt commiſſum. D. Per tuum te caput, perque tuam ſenectutem, perque vitam tuam obſecro. M. Si per omnia diuina, & humana obteſteris, nihilo plus aſſequare, quàm ſi ab aſino lanam petas, aut concioneris mortuo.

## ANNOTATIONES.

VErberabiliſſime) *Quis, obſecro, tam incogitans, atq; in iudicando præceps, ac temerarius erit, qui eum, & hoc, & alia quædam non diſſimilia, ex Plauto, aut alio quopiam bono auctore deprompta in hiſce meis voluminibus legerit, non magis ioci, aut ſignificationis emphaſis cauſſa, quàm ſeriò ita me loqui exiſtimet? Ob quas eaſdem rationes multa ille idem, quem ſuprà nominaui, Comicus. Hoc te, mi lector, monitum etiam atq; etiam volui, & in præfatione huius voluminis antè monui.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM SECVNDVM.

## Repetitio.

*PVBLIVS, GAVDENTIVS.*

Publi-

PVblius. Conferamus inter nos audita Gaudenti, antequam Magiſter huc aditum ferat. G. Non auſim. P. Quæ huic eſt offuſa religio? qua de cauſſa nō audes, quod ipſe Præceptor ſi reſciſcat nos agere tantum abeſt vt vlla caſtigatione afficiat, laudatione etiam proſequetur? G. Quia fit cum periculo. P. Quo periculo? G. Animaduerſores iſti me hoc aliâs cum alio facientem in gregem fabulantium per ſummum nefas aliquoties coniecerunt, vt ægrè poſtea, multa nimirùm, diligentíque purgatione vſus, conſtitutum garrulis ſupplicium euitauerim. P. Vix adiungere dictis tuis fidem queo. G. Putas me ſomnia narrare tibi? ecquando me cuiuſpiam rei tibi falſiloquum reperiſti? P. Nunquam. Sed cur ego non memini iſtuc accidere? G. Non ſemper es præſens in ludo: & te abſente poteſt accidere, quod poſtmodum, vel non credas, vel etiam mireris accidiſſe. P. Onus fortaſſe declinas, & aliud in pectore, aliud in lingua promptū habes. G. Aliter eſt, tutiora eligo. P. Quam tu vereris culpam, ego præſtabo. Conſueſtíne ſolus tecum domi repetere explicationes Magiſtri? G. Vt ſi conceptis verbis id me facturum iurâſſem. P. Non mirabor amplius, te nunquam non paratum inueniri, cùm iuberis auctorem exponere. G. Parum conducibile eſt audiſſe, Publi, niſi recolas quæ audieris: nec proxima tantùm, verùm longinqua etiam, quæque ante hebdomadem, ante menſem explicata fuerunt, repetendo iteranda ſunt, quoniam Themiſtoclis aut Carneadis memoriam non antecellimus, faciléque auditorum obli-

obliuiſcimur. P. Poſſéſne, non quidem in dies ſingulos (nam id neutri foret commodum) at feſtis, ac vacationum diebus, cùm ſcilicet otium eſt à ſcholis, pauxillum temporis mihi tribuere, méque adiuuare, & communicare mecum hanc meam prouinciam? G. Vt vnà repetamus, & viciſſim, quæ obſcuriora ſunt, declaremus? iſtuc vis? P. Nempe iſtuc. G. Equidem poſſum, & tua cauſa volo. Ventitabis igitur in ædes noſtras. P. Habes muſæum quietum atque à ſtrepitu remotum? G. Etiam, vbi nemo nos, ne muſca quidem, néue muſculus impediat. Sed ſatis verborum: iaciunt rete piſcatores, ſileamus.

## ANNOTATIONES.

Offuſa Religio) *De conſcientiæ ſtrupulis, vt vulgus loquitur, quo pacto per vocem religio variis modis loquendum nobis eſſet, oſtendimus annotatione quadam in dialog. 1. volum. ſecund.* Conceptis verbis IVRASSEM) *Verbis conceptis iuratur, id eſt, verbis certa comprehenſis formula. Nam concipere comprehendere eſt. Hoc iuſiurandum multò religioſius erat, quàm reliqua. Huius generis erat præiuratio, cùm quis ante conceptis verbis iurabat, poſt quem alter in eadem verba iurans, tantummodo dicebat, idem in me. Plura Turneb. lib. 3. cap. 10.* Themiſtoclis Memoria) *Themiſtocles quidem, cùm ei Simonides, aut aliquis alius artem memoriæ polliceretur, obliuionis, inquit, mallem. Nam memini etiam quæ nolo, obliuiſci non poſſum quæ volo. Cicer. 2. de finib. De eodem Academ. lib. 2. ibidem de memoria Hortenſi, & Luculli.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM TERTIVM.

## Disputatio.

*EVCHARIVS, OPTATVS.*

EVCHARIVS. Si cuipiam vestrûm tantum adest fidentiæ, prodeat extemplò in medium, ac certamine mecum congrediatur, & vel summis mecum copijs contendat. O. Quid tu garris audacule? E. Ad disputandum quemcunque de condiscipulis præsentibus prouoco, nemine excepto, ne teipso quidem, etsi videris esse quantiuis pretij. O. Quo fretus tam insolenter te iactas? E. Diligentia sola: tenes: O. Nos igitur hactenus dormiuimus, & tu, si cælitibus placet, didicisti omnia, cæteris nihil reliquisti. E. Qui se credit profeciſse, surgat, veniat, digladiemur. O. Quasi tu sis præcipuus & inuictus disputator, ita gloriaris, ventosissime atque confidentissime homuncule. E. Re cupio refelli, non meris negationibus & maledictionibus. O. Dolebis intimis sensibus, cùm tibi victo ruborem excussero. E. Tu opinione tua deiectus, & à me pudore affectus recedes. O. Quo de vis disputemus? E. Hoc tui est arbitratûs. O. Paratus es in omnibus? E. In omnibus. O. De nominum verborumque inflexionibus agamus. E. Vt voles. O. Capiamus arbitrum: seu legamus, qui amborum errores totidem punctis notet.

E. Ad

E. Ad id iam se Albertus comparat, vti vides. O Euge Alberte, ne somniculosè hoc agas: nihil des gratiæ. E. Dimitte librum. O. Tu quoque abijce tuum, E. Nullum habeo. O. Suggestorem tibi nullum esse volo. E. Multò minus ego tibi. Egredere de loco tuo, & consside in scamno longo, quod affixum est parieti. O. Tu idem facito, sed è regione. E. Licet. O. Ne obruas me clamoribus, & spatium iustum ad respondendum concedas. E. Geram me, vt par est. O. At si te vicæro, haud eo contentus ero. E. Quid petes? O. Tuũ mihi locum cedas oportebit. E. Haud recusem. Tuum, cùm meo inferior sit, non postulo: aliud victoriæ præmium persolues. O. Quale? E. Vel rosariolum tuum. O. Etiámne oculum adiecisti? E. Vel pulchram imagunculam: vel globulos aliquot de selectioribus. O. Iniqua conditio. E. Quapropter? Locus meus honoratissimus locorum est: ista autem quæ abs te exacturus sum, honoris, & ornamenti quid afferunt? O. Etsi non optima apparet conditio, nihilominùs quia fastum hunc tuum retundere discupio, hui, Martem vtrinque inuadamus. Pone tuas quæstiunculas. Mox vel ad terram ictus corrues: vel præcipitem te fugæ mandabis. E. Res tibi erit in angusto.

## ANNOTATIONES.

*HOc dialogo vti poterunt pueri tanquam proœmio quodam concertationum suarum, & his sese verbis ad disputandum prouocare. In ipsis autem disputationibus vehementer velim eos quosdam sordidos loquen-*

*quendi modos vitare: quos cùm nôrint ipsi Præceptores, non est cur procedam.* Martem vtrinque inuadamus) *Militaribus metaphoris sæpe cum venustate vtimur, sæpe etiam poëticè dictum aliquid lepôrem habet. Ac Martem quidem inuadere, nihil est aliud quàm seſe mutuò armis inuadere, noto ille tropo, quem Grammatici Metonymiam, Cornificius Nominationem dixit lib. 4.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM QVARTVM.

## Concertatio scriptionis.

### GERARDVS, OCTAVIVS, LAMBERTVS.

GErardus. Magister die ab hinc tertia materiam nobis communem ad scribēdum dictauit, cras ante meridiem ostendenda est scriptio. Lambertus suam prædicatione effert, meam vilipendit, quam tamen nondū vidit: ego me inferiorem illo in animum inducere non possum, vt existimem. Restat igitur, vt te oremus, Octaui, des iudicium, noster arbiter, noster Palæmon sis, & hanc controuersiam ex æquo, & bono disceptes. O. Non audeo me in istam contentionem interponere. Non nostrūm inter vos tantas componere lites. L. Ludens potes, si libeat: siquidem vtroq; nostrūm non paulò es literatior. G.

Da hoc mutuæ familiaritati, ſine impetremus. O. Quid vultis faciam? G. Auſcultà dum legimus ſcripta, & quæ videbuntur cõmodè dicta, approba, quæ vitioſè improba. O. Fiat ea lege hoc adeò, ſi neque laudatus ſuperbia, neq; reprehenſione perſtrict' bile intumeſcat. L. Spondeo pro me. G. Et ego pro me. O. Recitet ergo Gerardus principẽ periodũ. G. *Ex tuo tam diuturno ſilentio, mi Petre, non leuem trabo moleſtiam, cógorque ſuſpicari, ne fortè res aliqua te mihi immutauerit, vt iam non ſis, qui adhuc fuiſti, hoc eſt, mei cupidiſſimus.* O. Legat ſuũ initium Lambertus. L. *Chariſſime Ioannes, propter tuum ſatis longum ſilentiũ non parum perturbor, & cauſſam habeo ſuſpicandi, quod forſitan mutaueris voluntatem erga me priſtinam, nec me, ſicut antea, diligas.* O. Preſſiùs Gerardus, & aliquanto nitidiùs. Ad cetera itote. G. *Si erro, tu, quæ proxima inciderit occaſio, eam noli prætermittere quin ad me ſcribas, & errorem hunc mihi eripias, ſi id non feceris, ne ægrè feras, cùm te in poſterũ in meis inimicis numerauero.* L. *Si me falſum habet iſthæc mea ſuſpicio, tu, cùm primùm licebit, te mihi per literas aperi, & hanc opinionem ex animo meo exelle. Quod ſi præſtare detrectaueris, ne ſuccenſeas, ſi deinceps inimicorum te loco habuero.* O. Vterq; haud ineptè, & paullò meliùs Lambertus. G. Simus itaq; pares hactenus: ceterùm æqua manu ex hoc prælio non diſcedemus. L. Planũ hoc & ad victoriã maximi id intereſt. O. Ad reliqua procedamus. G. *Pro mea parte.* L. Barbarum. O. Corrige. L. Quod ad me attinet. O. Rectè. G. *Quod ad me attinet, idem ſum erga te, quem cognouiſti à longo tempore*

*pore.* L.Barbarum & hoc. G.Quî dicendum erat? L. Iam pridẽ. G.Qui tam acutùm cernis in meis lapsibus:videbo quos tu Ciceronianiſmos allaturus ſis in medium.O.Turpe eſt doctori,aiunt,Lamberte:proinde te circumſpicias, cautè rem geras. L.Haud reprehendiſſem, niſi me iſdem locis latinè locutum certo nôſſem. O. Abſolue circuitum, ſeu comprehenſionẽ iſtam. G. *Nec me vlla res ab inſtituta ſemel, & confirmata inter nos amicitia deſciſcere coget.*O.Lege quod ſequitur in tua Lamberte. L. *Quantum meã perſonam attingit.* G. Barbarum. L. Quomodo? an nõ ſic loquimur:hoc negotium me attingit? G.Hoc & ſimilia dicimus quidem, verùm non ideo ſtatim proba eſt loquendi ratio,qua tu vteris: olet merum rus, & eſt germaniſmus. Cur non adhibuiſti illud: quod ad me attinet? L. Credebam hoc quoque Romanè dictũ. O.Bene monuit Gerardus.L. *Idem permaneo in te, quem expertus es iam pridem: nec me ab amore ſemel ſuſcepto quidpiam aliquando abſtrahebit.* G.Ho, ho,ho, abſtrahebit. L. Abſtrahet, abſtrahet. Phuy, non aduerteram, obſtupeſco quî obrepſerit. O.Etiam non aduertere vitia, erratum eſt quoddã ſcribentiũ, quos conuenit quàm oculatiſſimos eſſe, & nõ ſolùm ſcribere,verùm etiam ſcripturam relegere,bis,ter,quater,emendareque ſtudioſiſſimè.L. Non tantum eſt flagitium iſtuc,quantum ſi ex inſcitia pecces.O.Eſto.G.Legam clauſulam epiſtolij.O. Age. G. *Hæc breuiter, multis arduiſq; diſtrictus negotijs exaraui: cùm plus otij nactus fuero, & aliquid abs te literarum accepero,id quod vehementer, & cupio & ſpero,*

*ſpero, longiores mittam. Vale.* L. *Iſta conſcripſi in magnis laboribus: quando plus mihi vacuitatis contigerit, & tu aliquid reſponderis, ſicut multùm deſidero & ſpero, prolixiores à me accipies. Valetudinem tuã cura diligentiſſimè.* O. Seruabitis promiſſa? L. Vtique. O. Tu igitur, Gerarde, ne tibi vt victor placeas: tu Lãberte, ne vt victus ex candeſcas. Quãuis ſemel iterũq; minus latinè quædam inſeruerit Gerardus, accuratiùs tamẽ epiſtolam contexuit, & loquitur latiniùs quàm Lãbertus. Cede tu priores, cede palmã Gerardo, & iactura huius gloriolæ noli ad deſperationem abuti, quod eſſet puſilli & abiecti animi, ſed ad laborem ac nauitatẽ, quò tãtò plus aliâs honoris reportes, quando ipſum victorem tuum ſuperaueris. L. Tuis conſilijs parere certum eſt. G. Iò triumphe.

## ANNOTATIONES.

NOſter arbiter) *Capere, & ſumere arbitrum dicunt Latini. Eſt autem iudex petitoris, & eius à quo petitur conſenſu captus, non à Prætore, aut lege datus; aut à Prætore quidem datus, ſed non niſi volentibus. Itaque honorarius appellatur, quia honoris cauſſa totius controuerſiæ arbitrium ei à litigatoribus vltrò mandatur & defertur.* διαιτητὴς & μεσίτης *à Græcis* Sic Lamb. in Amphit. Noſter Palæmon) eclog. 3. *à paſtorib. certaturis inter ſe cantibus, ſiue carminibus, iudex adhiberetur & arbiter Palæmon. Fuit item hoc nomine Grammaticus quidam Romæ Tiberio & Claudio Impp. intolerabili arrogantia: quippe qui. M. Varronem porcum appellaret, ſecumq; & natas, & interitu-*

*tas*

*ras literas gloriaretur.* Non noſtrum inter vos) *Verſiculus Virgilij ex eclog. 3. de cuius diſtinctione, & ſenſu conſulendus eſt Seruius. Nihil tamen impedit, quin totum iungatur, & pro recuſatione quadam ſpecie prouerbij adhibeatur, quemadmodum ex auctoribus complura, alia quàm ij voluerint, ſententia.* Pro mea parte) *Si id hac locutione velis, quod Germani,* So vil mich belangt, *barbarè loqueris, Sin autem id, quod illi,* So vil ich Kan vnd mag. Nach meinem vermegen, *tum latinè loqueris cum Cicerone. Eſt enim perinde, ac ſi dicas, pro mea virili, pro virili parte mea, pro viribus meis.* Cede Palmam) *Ex Ariſtotele, & Plutarcho tradit Gellius l. 3. cap. 6. ſi ſupra palmæ lignum ingentia pondera imponas, itaq; vrgeas, vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palmam cedere, nec intra flecti: ſed aduerſus pondus reſurgere, ſurſumq; niti, ac recuruari. Propterea in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ: quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus opprimentibuſq; non cedat. Palmarium facinus apud Terent. Eunuch. eſt palma, hoc eſt, victoria dignum. Cic. pro Roſc. Amer. Alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur.* Io triumphe) *Vox militum lauro coronatorum, & imperatorem victorem proſequentium in vrbem. Ouid Triſt. 4. eleg. 2.*

*Tempora Phœbæa lauro cingentur, ióque*
*Miles, ió magna voce triumphe canes.*

*Hanc eandem vocem intellexit. 1. Metamorph. illis verbis de lauro loquens.*

*Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum*
*Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM QVINTVM.

## Examen.

*ADAVCTVS, OLYMPIVS.*

ADAVCTVS. Examen, id quod nôsti, propediem instituẽdum dies noctésq; ante oculos mihi obuersatur, penitusq; insedit in animo. O. Eadem res versat, & coquit mentem meam. Si huic tam graui periculo ereptus essem. A. Quòd iterum iterúmque ac sæpius per annum non idoneas ob causas declinaui ludum, id nunquã æquè sensi vt nunc sentio, quantum damni fecerim: quocirca non mediocri in dolore sum. O. Me pariter absentiæ meæ, quantumuis non tam frequentis pudet, pœnitet, piget. A. Accedit ad exaggerandam animi ægritudinem, quòd diuinare non possum, quænam interrogaturi sint illi Quæsitores. O. Si scires? A. Addiscerẽ ea quàm acerrimè. O. Estne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere soleant? A. Nullus. O. Moderatè igitur feramus commune malum. A. Timor item solet obstare ne promam liberè & intrepidè quæ scio: itaque hæret mihi aqua sæpe. Hinc pro insciti ducitur, quæ non fuit. O. Ego, ne vt errans aliquantùm

siniſtrè reſpondeam, nihil quidquam vereor: ſed ne vt illiteratus planè illiteratiſſimè reſpõdeam, id verò non mediocriter pertimeſco. A. Quî te ad illud tremendum, & horribile examen præparas? O. Quidquid audiui totius anni curriculo, ſæpiùs relego, ac repeto expoſitiones, quantùm me adiuuat memoria: in Cicerone, Grammaticis. Chriſtiana Catecheſi. Vbi quid non intelligo, de condiſcipulis doctiorem aliquẽ interrogo. Adhæc denuò mando memoriæ præcepta pro virili. A. Nimiùm operoſus labor eſt tam multa diſcere. O. Operoſus, at neceſſarius omnino. A. Certum eſt tamen non omnia quęſituros. O. Propterea inſtructum eſſe in omnibus conuenit, quia quod ipſis lubet interrogant de omnibus, prudenter. Si enim ordine interrogare velint vniuerſa, idq; de ſingulis, nimis longum ſit, & faſtidij plenum. Quj porrò quæſtioni cuicunque aptè reſpondet, is totam videtur ſcientiam conſecutus. A. Non ſtultè dictum. O ſi præteriiſſet hæc turbulentiſſima tempeſtas. O. Subeunda & perferenda eſt, ſi optes aſcendere. A. Tametſi hucuſq; ſegregaui à me ignauiam in iſta præparatione, tamen cogor neruos magis cõtendere tum ne recijar, tum ne de poſtremis fiam vnus cui rei, præſertim quando eſt maior aſcendentium ſocietas, magna eſt adiuncta turpitudo & infamia. At enim niſi examẽ iſtuc impendens me adigeret, nunquam ſtudia forent mihi tanti, vt eorum gratia caput affligerem. O. Non ob examen duntaxat, ſed ob futuras quoq; pręlectiones meliùs citiuſquè capiendas, audita repetenda & recolenda

sunt: vt sic feliciùs, & fructuosiùs in superiore schola versemur. A. In scriptione haud leue momentum est: ibi barbarismos, & solœcismos timeo, malas bestias. O. Non sine caussa, mordent atrociter. A. Ex tempore, sine vllo libro in schola de argumento improuiso scribendum. O. Omnia denique ad exploratam progressuum nostrorum cognitionem capiendam instituuntur: ideo reprehensioni affinia nequaquam putanda sunt. Et cùm huiuscemodi discrimina in annos recurrant singulos, nec vlla via euitabilia sint, reddamur studiosiores: nunquam vidi diligentes excludi. A. Opitulemur alter alteri dum comparamur. O. Operam meam tibi promitto. A. Ego meam promitto viciſſim.

## ANNOTATIONES.

SI huic tam graui) *Si interdum optantis est apud Latinos, quamuis sine particula ó. Virg. 6. Æneid. Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat. Id est, vtinam se ostendat. Pers. satyr. 6. si angulus iste proximus accedat, qui nunc deformat agellum. Sic Eurip. Hecub.* εἴμοι ἦσαν φθόγγος ἐν βραχίοσι. *Si mihi vox esset in brachijs. Vtinam brachia mea possent vocem mittere.* Solœciſmum) *barbarismum, & solœcismum negat inueniri apud Græcos idoneos Gellius, qui* βάρβαρον & σολοικον *dixerint. Nostri quoq; antiqui, inquit, solœcum facile, solœcismum haud scio an vnquam dixerint. Quod si ita est, neq; in Græco, neque in Latino solœcismus probè dicitur. Vide cap. 20. l. 5. & l. 13. c. 6. Reperit tamen in 4. Cornificij ad Herennium solœcismus.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM SEXTVM.

## Auditiones.

### *ELEVTHERIVS, MODESTVS, DAMIANVS.*

ELeuterius. Cur vos, Modeſte, & Damiane, heſterna luce, & nudius tertius non affuiſtis in Gymnaſio? M. Nihil diſſimulabo. Ob cruditatem minus bellè valui: nunc ſum meliuſculus. D. Ab amico in hortos ſuburbanos hoc menſe anni amabiliſſimo, & lætiſſimo inuitatus, recuſare nec potuiſſem, ſi voleiſſem, nec ſi maximè potuiſſem, voluiſſem: eſt enim ille de amicis meis veterrimus, & fideliſſimus. Inde autem aliquanto poſt, quàm putabam, in vrbem reuerti. E. Vndénam diſcetis, quæ nos interea Magiſter docuit? M. Legi iiſdem de rebus, quem anno præterito accepi muneri à patruo meo commentarium. D. Ego ex autographo condiſcipuli alicuius ea mihi deſcribam. E. Arbitramini igitur vos iſto modo eadem aſſecuturos, & intellecturos perfectè omnia? M. Quidni? Quoniam aſſecutus ſum: nihil requiro. D. Perpaulùm aut nihil intereſt, vt quidem opinio mea fert, audiueríſne, an poſtea deſcripſeris. Et hoc eſt commune eorum ſolatium, qui vel voluntate, vel caſu aliquo abfuerunt à ludo, poſſe aliunde deſcribere. Sunt qui nullum

idcir-

idcirco angorem capiunt, nec ideo fortunis ſuis deſperant, quanquam menſes totos docentem non auſcultauerint. E. Magno errore vterque ducimini. M. Si placet, demonſtra nobis iſtum errorem. E. Longè præſtat audire quàm legere, etiam ſi multò diligentiſſimè legas. D. Quid ita verò? Non egemus libris diſertis, elegantibus, eruditis, vnde hauriamus ſcientiam: & quæ legimus intelligimus, neque enim adhuc nucibus ludimus, vt proinde iactura audiendi paucorum præſertim dierum, tam grauiter & iniquè ferenda non ſit. E. Legendi ſemper eſt occaſio, non eſt ſemper audiendi. M. Non ſit: quid tum? E. Lectio ſolitaria eſt veluti quidam ſomnus: auditio veluti vigilia. Viua vox Præceptoris magis nos afficit, pleniùs quaſi paſcit & alit, & altiùs deſcendunt in animum, in eóque tenaciùs inhærent, quæ prænunciatio, vultus, habitus, geſtus docentis affixerit. Quid, quòd illa moderatio & variatio vocis cuiuſdam commentarij efficacitatem obtinet, & quædam eorum, quę dicuntur, eſt illuſtratio? Quid, quòd plura ferè dicũtur de vna eademq; re in ſchola, quæ non item ſcribuntur: quia neque poſſunt commodè ſcribi, neque vult ea Magiſter calamo excipi? M. Nihilominus acriora abſolutioraque ſunt, quæ legimus in auctoribus. E. Vt hoc conceſſerim, quoniã plus operæ conſumunt, qui libros edunt, quàm qui de ſuperiore loco docent, tamẽ obſcuriora & inuoluriora eſſe, quę ſcribuntur, tu mihi viciſſim cõcedas oportet. Nõ enim ſe liber ipſemet explicat, vt Præceptores facere conſueuerunt, qui multis exemplis, ſenten-

ſententijs argumentis vtuntur,& nihil,quod verentur non intellectum iri, prætermittunt quin declarent. Quod autem ſcriptum eſt ſemel,hoc per ſæcula tale, quale fuit ab initio, ſiue clarum, ſiue obſcurum, ſiue facile & expeditum, ſiue difficile impeditúmque manet. Interroga millies quid hoc, quid illud ſibi velit, nunquam reſpondebit liber tuus,quē voluis. Conquerenti Alexandro Regi cum Ariſtotele, quòd libros Phyſicorum edidiſſet, quos Rex compreſſos teneri cupiebat: vt quomodo imperij, ſic ſcientiæ gloria præſtaret multis mortalibus, reſcripſit Philoſophus: ſciret illos libros eſſe editos,& non editos:neq;eni poſſe intelligi,niſi ab ijs,qui ſibi docenti præſentes dediſſent operam. Præterea fieri aliquando poteſt, vt tam probatus & doctus non ſit liber,& ita te parum adiuuet, quiniño multùm tibi noceat,Atque vt probatiſſimus ſit,ego certè eximium Pręceptorem malo,quem tanquam ex multis libris vnum quendam, viuúmque librum contempler: qui ſcilicet multa,& multos peruolutauerit,& tanquam ſedula apis è diuerſorum floſculorum ſucco, vnius cuiuſdam, dulciſſimíque ſaporis ſuccum expreſſerit. D. Tam ingenioſi acutique nos haud eramus, vt iſta animaduerteremus, quæ tu nos modò nec opinantes docuiſti. M. Ad tuam ſententiam meum aggrego iudicium. Prouidebo vt poſt hunc diem audiam quotidie, niſi morbi alicuius grauitas prohibuerit, aut medicus publico abſtinere edixerit. D. Egò in dies feſtos conuiuia,& hortorum iſtas inuitationes reijciam. E. Tantum tribui à vobis orationi

tioni meæ, & non displicuisse consilium, magnopere, non meâ quidem, qui tantum nec agnosco nec postulo, sed vestrâ caussa lætus sum.

## ANNOTATIONES.

*SCopus, & consilium meum hoc dialogo est, persuadere studiosis, ne parui ducant si vel vnam auditionem omiserint, & spem illam non audita per se suóque ingenio assequendi, spem inconsultam, ac temerariam opinetur. Quòd si caussa honesta inciderit, quæ à gymnasio abesse nos vnum alterumue diem quodammodo cogat, in festum diem, si potest, differatur.* In vrbem reuerti) *Reuerti, & redire, reuersio, & reditus quid differant, Manut. in* 1. *Philip.* Conquerenti Alexandro) *Vtrumq; epistolium græcè, & latinè inuenies apud Gellium lib.* 19. *c.* 14. *in vtroq; breuitatis elegantissimæ tenuissimum filium admiratur.*

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM SEPTIMVM.

## Industria discendi.

### *GORDIANVS, ALEXANDER discipuli, MAGISTER.*

GOrdianus. Ne defugias hoc officium da mihi tantillum, mihi Alexander. A. Mitte orare tandem, en paratum habes, accedamus. G. Age sanè.

A. Sol-

A. Sollicitauit me dudum, & instigauit Gordianus, vt quiddam tibi in percunctando ponerem, venerande præceptor. M. Quid est quod vicarium quærit? ipse per se, si quid est opus, interroget. G. Non videtur referre vter hoc faciat. M. Ergo ipsemet faciat. A. Impedit hominem adolescentiorem verecundia. M. De rebus à me explicatis, aut disputatis num est aliquid? A. Nihil tale. M. Quid dicam fore? Enunciate paucis. A. Auemus scire nos duo, quinam discipulorum tuorum tibi in præcipuis sint amoribus: & hoc est, quòd te conuentum volebamus. M. Etsi quæstionem affertis neq; necessariam, neque tantoperè vobis vtilem, attamen responsum reddam, & sententiæ iudicijque mei rationes cùm exposuero, efficiam, vt pertiores abeatis, quàm aduenistis. G. Id nobis in optatis est, studemusque sermone tuo etiam nunc doctiores fieri. M. Principiò apud me quidē certè formosus an deformis sit aliquis perparui refert: qui non nesciam, nec in omni pulchro capite inesse cerebrum: & vinum Lesbium in viliora, abiectioraque vascula, vt in pateras gemmatas & aureas infundi posse, iuxtà mecum æquè intelligitis. A. Quid verò spectare soles ī discipulis, propter quod apud te in numero aliquo, atque honore sint? M. Duo. G. Quænam? M. Ingenium, & industriam: hæ res duæ commendant, & caros mihi reddunt auditores meos. A. Si quis ambabus excelluerit? M. Vnum multorum instar, & ambrosia alendum, à méque amari tanquam oculos meos affirmo. G. Si quis neutra? M. Eum fœnum esse oportere,

tere, & ad ſordidum, quæſtuoſúmque opificium aliquod detrudendum. A. Si abs te in hac deſperatiſſima colluuie numeramur, reſtim ememus, qui nos ſuſpendamus. M. Meliora ominamini: tenetis apud me locum non infimum. A. Ingenioſos forſitan præferendos arbitrare diligentibus. M. Qui poſſim? G. Potiores partes dãtur ingenio. M. A quibus? G. Ab vniuerſis. M. Qui verò ſunt iſti vniuerſi? eruditione rerúmque vſu & ingenio præſtantes, an illiterati & imprudentes? G. Eruditi, ni fallor. M. Falleris. Ingenium ignauum, ſegne, pigrum eruditus nemo celebrauit. Diligẽtiam, ſiue induſtriam, mediocri conſociatam ingenio certatim omnes in magna gloria, & laude ponunt. Hæc ſola eſt quæ plauſum meretur. De hac poëta quidam veriſſimè cecinit: Omnia conando docilis ſolertia vincit. A. Iam perſpicimus, induſtrios te præ ingenioſis admirari, illóſque tibi eſſe in delicijs. M. Fateor ita eſſe, vt dicis. G. Quamobrem? M. Auſcultate, tum ſcietis. Primùm res mihi videtur amore digniſſima labor multus & aſſiduus in honeſto & præſtabili negotio, animúſque inſaturabili ſapientiæ cupiditate incenſus, cuius ille (labor, inquam, indefeſſus) locupletiſſimus certiſſimúſq; teſtis eſt. Nemo quippe in eo elaborare, operámque collocare velit, cuius amore ac deſiderio nullo flagrat. A. Percepimus iſtam cauſſam, & alias, ſi quæ ſunt, requirimus. M. Quid agit bonus Præceptor? G. Docet. M. Studioſè an oſcitãter? G. Studioſè. M. Beſtias an homines? G. Homines vtique. M. Diſcentes, an animis & cogitatione

alibi

alibi commorantes, soliſque corporibus præſentes? G. Diſcentes, & tota mente attentiſſimos. M. Nunc tu mihi reſponde Alexander. Quorum cenſes proprium eſſe diſcere: ingenioſorum quà ingenioſi, an potiùs induſtriorum, etſi ingenijs minoribus præditorum? nam induſtriam omnis expertem ingenij applicare ad literas, eſſet imbrē in cribro portare. A. Plurimi valentes ingenio non diſcunt, aut diſſolutè & languidè diſcunt: quocirca eorum hanc eſſe naturam, neutiquam ſentio: nulli enim ingenioſo deeſt. M. Rem fabulare. Bene docentes igitur quos amare potiſſimùm & inprimis debent? A. Bene diſcentes, & qui literas vorant, ſine vlla controuerſia. M. Omnem rem tenes. Quid nunc ſupereſt quod quæratis? G. Dici poteſt, quàm tua iſtac tam ſubtili diſputatione delectati ſimus. Tulimus reſponſum ſapiens; & quod præterea requiramus, reſtat nihil. A. Perſpicimus probè, quid tu iure à nobis poſtules, enitemurque vt amore tuo, & quidem illo non vulgari, ne ſimus indigni: quoniam quos vehementiùs diligas, manifeſtò cognouimus. M. Si verba ad rem contuleritis (quanquam hactenus non omiſiſtis; & ego magis inſtituti tenendi, quàm hortandi cauſſa hoc profero) ſi hoc, inquam, effectum dederitis, nomen veſtrum cum æternitate coniungetis.

## ANNOTATIONES.

*AD hunc dialogum, & ea, quæ de induſtriæ laudibus proferuntur illuſtranda, pertinere mihi videtur perlepida hiſtoria, quam de Furio Creſino Plinius libro*

*libro 18. cap. 6. narrat. C. Furius Cresinus, inquit, è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino Curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (vt ait Piso) bene curatam, ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possim vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasq; & sudores. Omnium sententijs est absolutus. Addit Plinius: Itaque est profectò, opera impensa cultura constat. Ego verò similiter in re dissimili affirmo: non tam ingenio, quàm labore, & sudore doctrina inuenitur. De eruditorum tamen assiduis contentionibus atque vigilijs non sæpe cogitamus.* In omni pulchro) *Vide Æsopi apologum de vulpecula in officinam statuarij ingressa. Dialogum 66. legant, qui crebrò à ludo absunt, & 67. qui ingenio minus valent; vt & illi fiant assidui, & isti animosi.* Et caros mihi reddunt) *In primis ea habenda cura est, vt is (Præceptor) fiat nobis familiariter amicus, nec officium in docendo spectet, sed affectum. Nec sanè quisquam literis, saltem leuiter, imbutus, eum, in quo studium ingenium q; perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fouebit.*

*Quintil. lib. cap. 2.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEXAGESIMVM OCTAVVM.

## Pensum diurnum.

*MAGISTER, DISCIPVLVS.*

MAGISTER. Non tu existimas, Antoni, ad progressus in eruditione liberali haud ita lōginquo tempore consequendos permagni interesse certósne tibi labores, libros, exercitationes proponas, quibus studium dedas in dies singulos: an, vt impetus tulerit, & quamdiu tulerit, ita quidque, & tam diu agas? D. Sanè quidem maximè interest: hæc mea est opinio. M. Nónne præterea intelligis quāti referat, vtrum cōfusè ac perturbatè, an distinctè, & ordine discas atque exerceas: quæ discēda & exercenda sunt? D. Ego verò perspicuè intelligo, & reipsa id experior. M. Num tu igitur consueuisti certa quædam tractare, & vnumquodque præstituta hora per diei spatium. D. Prorsus consueui. M. Commemora mihi quanam istuc ratione. D. Posteaquā ad primam auroram somno solutus de lectulo surrexi, corpus amictu contexi, faciem ablui, capillum pexui, quartam horæ partem diuinis precationibus trāsigo, à cœlesti doctore opem auxiliúmque efflagito, me illi cum studijs, & actionibus diurnis totum offero, & dedico. M. Castissimè: à Deo enim, qui est

totius ſapientiæ primus,& antiquiſſimus parens,auſpicari oportet, ab eo agendi ſunt capienda initia. D. Tum me ad libros applico. Primò dum omnium, quæ ante meridiem in ſcholis pronuncianda ſunt ex memoria, ediſco. Reliquum tempus in veſpertinis diei præcedentis interpretationibus dictatiſque conſumo: vt ſi iuſſeris, poſſim auctorem explanare. Ære campano interea in ludum arceſſimur, ibi tuipſe nôſti quid agam. M. Et quid tu, & quid alij. D. A prandio rurſum ediſco, & repeto, mecumque retracto, ac reuoluo, quæ te explicantem, & alioqui ad nos expoliendos accommodata, & idonea diſſorentem audiui. Si quid ſupereſt temporis, quemadmodum mane quoque, Adrianum Cardinalem, aut epiſtolas Ciceronis lectito. M. Rectiſſimè, Quando ſcribis? D. Secundum ſcholas pomeridianas vſque ad cœnam: id eſt, interuallum horæ, ſemis. Nunquam autem ſcriptioni manus admoueo, niſi priùs Ciceronem verſauerim, animumq; meũ illius compoſitiſſimæ, ac ſplendidiſſimæ orationis illecebra delinitum, amore, & diligentia ſimiliter ſcribendi inflammârim. M. Euge, prudentiſſimum conſilium. Quàm vellem te condiſcipuli, & quotquot poſthac ſe mihi in diſciplinam tradent, imitarentur? Hoc ſi fiat, publico fiat bono. A cœna quid incœptas? D. Si non ſunt ſodales, honeſtis facetiſq; ſermonibus, aliquando ſymphonia, ſeu cantu muſico cum illis diem comburo. Si ſolus, tum aut teſtudinem pulſo, aut fabellas Æſopi, apophthegmata, hiſtoriam planam, & diſertè ac terſè conſcriptam: quandoque etiam

iam festiua,& pudica poëmata lego,qnibus lectiunculis oblecto otiolum meum, & tum ex ipsa rerum pulcherrimarum cognitione, tum ex sermonis elegantia, quasi aliud agens, vtilitatis fructum minimè pœnitendum excepo. M. Liberalius, iucundius, conducibilius suadere tibi nihil potuissem: supra ætatem sapis. Diebus festis quid rerũ agis? D. Ad exercendam memoriam de poëtis veteribus, item ex Cicerone, Liuio, Sallustio locos insignes edisco, quia te id laudare solitum, non sum nescius. Prẹter ista in Græcis non parum temporis colloco. E sacris auctoribus ad animum emendandum etiam sæpe aliquid lego. M. Probo sumoperè institutum. Quid? diem vacationis totúmne, dum cubitum concedas, in ludo exigis? D. Deus auerruncet: ne tu suspicêre me vnum de inertium istorum esse sodalitio, qui ludum, & ferias in primis, studia in postremis numerant. M. Quid ergo facis? D. Vbi horas aliquot corpus animumque iucundè recreaui, & ad omnem me hilaritatem effudi, mihimet receptui cano, ad libellos regredior. Nam me quemcunque diem, quo non didicerim, perdidisse statuo. M. Quàm non inuito ad aures sermo hic tuus accessit? O te solertissimum ô summè industrium adolescentem. Tu non amandus? tu non gestandus in sinu? Mane in hac retione semper, teque ex ea lucrum emolumentumque vberrimum, & immortalis gloriæ splendorem acquisiturum.

sperſa.

## ANNOTATIONES.

CAstissimè) *Cicero ad Terentiam epistola 4. Quando neque dij, quos tu castissimè coluisti, neque homines, quos ego seruaui semper, nobis gratiam retulerunt. Hic quidem quid valeat, castissimè, nemo non videt, idem quod integerrimè, sanctissimè, religiosissimè. Lege quæ affert Turneb. de verbis caste, castitas, lib. 30. cap. 36.* Ære campano) *Vsus campanarum quam antiquus sit & varius, & quomodo sacris & profanis in rebus adhibeatur, déque illarum pulsu ad studiosos in Academiam, scholasq; conuocandos, lege Iunium lib. 3. cap. 11. & Midendorp. lib. 1. cap. 11.* Diem comburo) *Plaut. Menæch.*

*ME. Hoc mihi abs te caueo cautius,*
*Clam uxore vbi sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.*
*PE. Age sanè igitur, quando æquum oras: quàm mox incendo rogum?*
*Dies quidem iam ad vmbilicum est dimidiatus mortuus.*

Cuius loci hæc est, quamuis allegorica, explanatio. Græci & Romani mortuos in rogum imponebant, & comburebant. Menæchmus optat sepulchrum, id est, locum, vbi nesciente uxore diem iam ad occasum præcipitantem, & veluti animam agentem absumere possit, hilariter nimirum & iucundè viuendo, epulando, & perpotando. Virg. eclog. dixit: Cantando puerum memini me condere soles. Horatius Ode 5. lib. 4. condere diem. Parasitus autem, quàm mox, inquit, incendo rogum: id est, quàm citò prouideo, seu coquo obsonium,

*sonium, vt hunc diem comburamus, vt opiparè epulemur? Nunc enim dies in pomeridianum tempus inclinatus est, & ita quasi dimidiatus mortuus. Comburendus igitur.* A cœna quid incœptas) *Aut nullum sit studium nobis post cœnam aut iucundum sit, non spinosum atque serium. Vult etiam Plutarchus, lib. de tuenda valetud. animum non vexari à cœna, neq; negotijs, neque curis, neq; sophisticis contentionibus. Historicarum, poëticarúmque quæstiuncularum exercitationes, quas aliqui studiosorum hominum secundas mensas nominauerunt, non prohibet.* Deus auerruncet) *Rusticum verbum est auuerruncо, amputo, succido, reseco, à runca instrumento, quo vitium luxuries coërcetur. Inde per metaphoram pro depellere, auertere, remouere, Liuius lib. 8. Placuit auerruncandæ Deum iræ victimas cædi. Cicer. ad Att. lib. 4. Dij, inquit, auerruncet. Lucilius apud Nonium. Dij amentiam auerruncassint tuam. Hinc Auerruncus Deus, à quo precari solebant, vtp ericula auerteret. Varro lib. 6.* Receptui cano) *Militaris locutio, crebra Liuio. Veget. lib. 2. c. 22. Tubicines ad bellum vocant milites, & rursum receptui canunt. Græci* ἀναλῆν. *Receptus autem dicitur, quo se exercitus a recipit.*

# PROGYMNASMA
## SEXAGESIMVM NONVM.
### Obseruator

*OBSERVATOR, ATHANASIVS, MATTHÆVS, BONIFACIVS.*

OBseruator. Vos tres linguas geritis impensè liberas & expeditas: loquacitas vobis dominatur: meam admonitionem contemnitis ac pro nihilo putatis. Ecce in fabulatorum indicem vos refero. Si Pegaso velociores sitis, nũquam hodie effugietis infortunium. A. Conniuisti aliâs, conniue nunc etiam, & muta istam mentem, rogo: tacebo deinceps vt piscis. M. Si nomina nostra in catalogum retuleris, erit mihi quod Præceptori de te narrẽ. O. Quid dices? M. Cognoscas. O. Minas iactare cuiuis obuiũ est. M. Experieris. O. Nullius in me maleficij crimen admisi, cuius me stimulet conscientia. M. Senties. O. Nullum, inquam, crimen incurri, quo tu me accersas: & nõ ignoro technas tuas. M. Videbis. B. Ne scribe nomen meum in tabula, donabo tibi quidpiam. O. Egóne vt patiar me abs te corrũpi muneribus? B. Lepidissimum est. O. Non curo. B. Simul aspexeris, appetes. O. Mitte nugari: nihil habes quod dones. A. Habet certè. O. Quin ostendis? B. Ecce imago longè venustissima: augustissima Dei mater puerum Iesum vlnis sustinens. Videtis vt amabiliter arridet nobis diuinissimus atque bellissimus infans? O. Hánccine daturus es? B. Daturus, si pollicere silentium. O. Polliceor, da. B. Quæ res feliciter ambobus eueniat, accipe. M. O factũ bene, iam tu incorruptissime obseruator nec me, nec Athanasium audebis accusare. O. Quapropter non auderẽ? A. Quia nos te accusaremus, & tu penderes pœnas non leues, quòd Præceptori infidelis, ac perfidus extitisses. O. Ignosco vobis similiter, vt Bonifacio. M. Perplacet.

cet. Discede iam hinc obserua alios. A. Prô, quantum boni adepti sumus hac luce, qui ab isto quidem obseruatore, quoad voluerimus, tuti simus? B. Quinam? A. Si de fracta lege silentij postulare quenquã è nobis meditabitur, obijciemus illi, quã abs te accipere nõ recusauit elegantem picturam vt sileret: mutire non audebit. Nam tribus, tibi qui donâsti, mihi, & Matthæo testibus oculatis plus vtique quã illi soli vel iurato credet Magister periurissimũ dicet, si deierauerit. M. Via reperta est cõmodissima ad euadenda verbera, propter istam congressionem nostram videlicet imminentia. Vah.

## ANNOTATIONES.

PEgaso velociores) *De equo alato, qui capite Medusæ amputato à Perseo, ex eius sanguine natus repentè prosiluerit, quomodo eo vsus sit Bellerophon, Natalis Comes Mytholog. lib. 7. c. 11. & lib. 9. c. 4. Fabulantur hunc eundem equum, cùm terram vngula percussisset, fontem elicuisse, vnde ipsi nomen inditum Pegasus, πήγη enim fons: qui quoniam Musis consecratus est, dicuntur illæ Pegasides. Idem fons ἱππουκρήνη, & Musæ Hippocrenides.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM.

## Formulæ petendarum facultatum.

*LVDIMAGISTER, NICOLAVS, CRISPINVS discipuli.*

LVDIMAGISTER. Quas ob res, Nicolae, consueuerũt à Magistris potestatem petere pueri? N. Ob duas potissimùm. L. Scilicet. N. Ob exitum è schola, & absentiã à schola ad tempus. L. Quapropter solent exire è ludo? N. Vel vt corpus leuent, vel vt emant aliquid necessarium. Item ob causſam aliquam omnino fortuitam. L. Estne more Cynicorum Stoicorúmue simplicibus, proprijs, apertissimis vtendum verbis, sine vlla præfatione honoris, cùm loquimur de ijs naturæ humanæ necessitatibus quas iam cogitatione præcipis: an potiùs tectis, ac prætextatis: vt quod re inhonestum non est, modò occultè fiat, id verbo ne turpe obscœnúmque sit? N. Ita tu quidem nuper ex Cicerone nos erudiuisti. L. Velim petitiones aliquas ijs verbis iteres, quibus à me accepistis. Agite pueri, auscultate atque operam date, & quæ dicentur percipite.

*N. Caput, venter, dentes mihi condolent, Præceptor: quocirca precor, fac mihi copiam eundi domum.*

*Febriculam, tentatiunculam sentio: tua cum venia domum me recipere concupisco.*

*Necesse habeo exire, Præceptor, ad hoc illúdue emendum: si permittis exibo, & pòst paulò reuertar.*

*Vocor domum à seruo, ab ancilla: possum abire?*

L. Quomodo, Crispine, absẽtię facultas rogãda est?

*C. Hoc illúdue negotium mihi curandum, transactum reddendum, transigendum, perficiendum est, la-*

*uan-*

*mandum, hospitibus seruiendum, ægrotanti sorori, fratri ministrandum.*

*Parentes mei hanc, illam rem vt peragerem mihi præceperunt: huc, illuc me mittunt: quamobrem hodie, cras, biduo, triduo in ludo adesse non potero. Hac de re certiorem te facere volui, amantissime Præceptor, quò id te conscio, ac non repugnante fieret.*

*A scholis abfui heri, nudius tertius, quatuor, quinque dies, &c. ob hanc, ob illam caussam, quam excusationem ne repudies, te vehementer oro.* L. Hisce phrasibus edico à me potestatem petant omnes, & vsitatam sibi, lutulentamque barbariem valere iubeant. Qui contra venerit is quod petet non impetrabit, & modis accipietur tam miseris, vt posthac omnes barbarismos odio Vatiniano oderit.

## ANNOTATIONES.

MOre Cynicorum) *Cynici non tantùm quod obuios allatrarent, vt canes faciunt, sed etiam ob vitam illiberalem, ab humanitate & munditiæ remotam, appellationem hanc sunt consecuti in Græcia. Turneb. lib. 7. cap. 9. Testatur & Laërt. ob ignominiam sic nominatos.* Odio Vatiniano) *Vatinium hominem natum & ad risum, & ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem memoriæ proditum est. In pedes suos ipse plurima dicebat, & in fauces concisas sic inimicorum, quos plures habebat quàm morbos, & in primis Ciceronis vrbanitatem effugit. Seneca lib. Quod in sapientem non cadat iniuria, cap. 17.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM PRIMVM.

## Certamen copiæ.

*PAVLINVS, MAVRITIVS, EVGENIVS.*

PAVLINVS. Vter veſtrûm paratus eſt mecum conſerere manus, conferre pedem, ſuſcipere bellum, certamen inire, prælio contendere, pugnam capeſſere, in arenam deſcendere, Martem laceſſere, armis experiri, dimicare, pugnare, certare, decertare, præliari, confligere? M. O he, quorſum, tu inconſiderate, tot ſynonyma, tot loquendi genera idem valentia conglobas? diceres ſemel vno verbo quid velles. Ecquid tibi vis tandem? E. Quod iſtuc prælium nobis, quam dimicationem offers glorioſe miles. P. Demiror equidem non ſentire, non videre, non animaduertere, non intelligere, non percipere vos quid cupiam, qua de pugna loquar. E. Nempe tibi admodum plaudis de varietate ſermonis atque copia, & tanquam Crœſus aliquis in tua affluentia nos vt Codro pauperiores auerſaris noſtram paupertatem deſpicatui ducit. M. Legiſtin' mi Thraſo (mi Pauline volebam dicere) quid Archidamus Lacedæmoniorum Imperator, cùm in Arcadiam irrupiſſet, cognouiſſetque hoſtibus Eleos ferre auxilium, quid, inquam, ad eos ſcripſerit? P. Quid ſcripſit?

M. Hoc

M. Hoc tantùm? quies bona. Ne igitur te commoueas cum tuis copiolis, vt ne incidas in permagnos & valentes exercitus, quibus re ad extremum perducta casum, fœdissima strage concisus cùm fueris, tum denique discas quid moneat illud vetus adagium: satiùs est recurrere, quàm malè currere: palma in medio posita. P. Quod tuo capiti fit. Rem istam mecum recta reputaui via, subduxi rationes, delectus egi: absit verbo inuidia, est vnde vobis bellum faciam, copias magnas, valentes, virum à viro lectum visuri estis. Quare si vos viri estis, non mulieres, si audetis, si vos vlla accendit tãtarum gloria rerum, mouete aciem instruite, & à iugulis vestris vim meam prohibete. M. Vt sæpe summa virtus in occulto latet? Hic Imperator quantis est cernicibus? innumerabiles & munitissimas videtur vrbes expugnâsse. E. In nobis mora non erit vlla, quoniam tibi insanire libet. Pone in quo nos copia tecum decertare desideras. P. Ponam verò. MORI, quot modis aliter efferri potest Mauriti? M. Multis, quod neminem fugit, nisi qui literas fugit. P. Quot ergo? M. Tu numerato, ego proferam. P. Numerabo. At caue, quidquam inquinatum ac luculentum, tanquam bonis mercibus adulterinas, & argenteis nummis plumbeos admisceas. E. Quorúmnam formas illas loquendi esse postulas? P. Ridiculus es. Interrogas qualem cocum, quales epulas stomachus meus appetat? examussim optimum, & conquisitissimas: architectorum nimirum, & principum latinitatis. M. Tullij, Cæsaris, Sallustij, T. Liuij, Plauti,

Te-

Terentij, Virgilij, Horatij, &c. nec enim poëtas excluſerim: aliorum denique probatiſſimorum ſcriptorum, etiam noſtri ſæculi, qui imitatione ad ſanitatem, & munditiem antiquorum accedere ſtudueruut. M. Facient ad ſtomachum tuum, vti ſpero. P. Ordine, Eugenius te excipiet, ego poſtremo loco occidam vos: trecentos enim modos ad hanc vnam rem explicandam recenſebo. E. Baſilicas edictiones hic habet. Mira confidentia. P. Mira diligentia. Iam pro caſtris militem producito, quem ſub pellibus tutiùs contineas, vt ego ſentio. Fuga ſalutem petet, ſi non oppetet. M. *Mortem cum vita commutare*. Quidam phraſin non intelligentes inuerſo verborum ordine dicunt, vitam cum morte commutare, quod ferri poteſt. P. Quis ita locutus eſt? M. Seruius Sulpitius diſciplina iuris ciuilis eruditiſſimus, & oratione maximè limatus ac perpolitus, epiſtola qua Ciceronem de obitu Tulliæ conſolatur: *Poſteaquam mihi renunciatum eſt, &c.* lib. 4. epiſtolarum ad familiares. P. Reperitúrne ibidem alius dicendi modus? M. Ita: *Diem ſuum obire*. P. Sic eſt, perge. E. Mauritius didicit literas Pauline, & perſonam adhuc bene gerit. P. Nondum me perculit. M. E voce, vita, frequentes naſcuntur formulæ. *Vitam reddere: interdum adiungitur, naturæ dandi caſus videlicet. Vitam deſerere, vitam dimittere, amittere, relinquere, edere, vita cedere. E vita cedere, diſcedere, decedere, recedere, excedere, à vita deſciſcere. Vita concedere, eſt apud Cornelium Tacitum. E vita ſeu de vita exire, migrare, demigrare. Extre-*

*mum*

*mum vitæ diem conficere, seu, morte conficere, vitæ carere.* Restant modi quidam conflati ex vocabulis, anima, lux, spiritus, corpus, & alijs, quos relinquam Eugenio repræsentandos. P. Quomodo? tu repræsenta, tu pronus esto, si quid habes conditum præterea. M. Satis fore arbitror, si formarum numero ambo te quasi coniunctis castris, duplicatisque viribus superemus. Quòd si tu vni potes resistere, duobus profectò non resistes: nam neque Hercules: cõtra duos. P. Attulisti circiter quatuor, & viginti atqui plures exspectabam. M. Mox addetur cumulus, vt sint amplius quadraginta. Sudabis & algebis Pauline, si his nostris omnibus prætermissis (quod necessariò tibi faciendum est) plus quinquaginta in medium adducere volueris: quod nisi adduxeris, palmam nequaquam obtinebis. Et veremur magnoperè, ne leonem pollicitus cùm sis, murem ostendas. P. Ego contrà vereor, ne vos falsa teneat opinio. Mecum erit iste labor. E. *Animam efflare, edere, exhalare, agere, exspirare, amittere. Lucis vsuram reddere, amittere, ex hac luce discedere, migrare. Extremum spiritum, seu vitæ spiritum exhalare, spiritum, supremum vitæ spiritum edere, spiritum finire, Ab hominibus, seu ab hominum vitâ demigrare, inter viuos esse desinere. In viuis, inter viuos numerari, vitam & spiritum ducere, vitâ & communi spiritu frui, vitam propagare desiit, vitâ defecit, casu ablatiuo. Interclusâ animâ creditus est mortalitatem expleuisse, Cornel. Tacitus agens de Tiberio, annal. lib. 5. in extremo.*

Pœ-

*Poëtarum illa ſunt, vitale lumen, lucem relinquere, lumina linquere, occubare vmbris, linquere dulces animas: quæ duo ſunt Virgil. in 3. Æneid. in quo, & illud ad Æneam Andromache. Viuíſne? aut ſi lux alma receſſit. Idem in 11. pereleganter, capi leto, cùm de Camilla loquitur. Ibidem de eâdem moriente. Vitaq; cum gemitu fugit indignata ſub vmbras. Extremum efflare halitum, quo vſus eſt in ſecunda Tuſcul. diſputatione Sophoclis aliquot verſus in latinum conuertens M. T. & in primo, leto potiri. Euthynous potitur fatorum munere leto. Vocant etiam mortuos carentes luce, caſſos lumine.*

M. Non pœnitet virium: vtrique noſtrûm magnum dediſti decus. Deſine plura, non vincet nos hodie. P. Vincam, ita ſim felix: quando totus in hoc bellum, & animo, & mente indiſtam. Ac primum ſimplices voces, quibus vti conſueuerunt auctores Latini cùm de morte verba faciunt, producam: quas tamen veluti calones, & lixas, non veros, auctoratosque milites æſtimari, nec, quod ad victoriam attinet, vllo ipſos numero eſſe poſtulo. M. Fiat ſanè, dum fateare, nos quoque fungi potuiſſe hac opera. Quin etiam illas elocutiones commemores licebit, quibus præter naturam inuecta mors declaratur. P. Ita facere ſedet animo. Demum ad eas aggrediar, quæ ſunt veſtræ claſſis: eæque partim oratoriæ, partim poëticæ: hoc modo numerus aduerſus numerum pugnabit: meus nempe maior contra veſtrum minorem. E. Placet: iam propoſita exequere: arrectis aſtamus auribus. M. Sed expediet fortaſſis tuos mili-

milites in procinctu testamentum facere, quoniam satis est credibile, apud inferos hodie cænaturos. P. Quod facillimum est facis. M. Quid istuc? P. Homines, vt irrideas: verùm noli, quæso, istum vrbanitatis tuæ salem totum in me irridendo consumere. *Itaq; pro mori, etiam dicimus interire, perire, occidere, extingui, obire, decedere, excedere, absumi, decidere. Plautus Trin. Nemo extat, qui ibi sex menses vixerit: ita cuncti solstitiali morbo decidunt. Ibidem: Quin prius ad plures me penetraui? Et in Casina: Qui nunc abierunt hinc in communem locum. Terent. Phormione: E medio abijt: Horatius quoque.*

*nos vbi decidimus,*
*Quò pius Æneas quo Tullus, & Ancus,*
*Puluis, & vmbra sumus.*

*Vixisse etiam dicuntur, & fuisse, quos mortuos significare volumus, συμβολικῶς. Tibull. lib. 3. Sine erimus, seu nos fata fuisse velint. Veteres quippe δυσφημίαν in mortis mentione admodum fugiebant: Quocirca etiam abijt dicebant, pro interijt, & abitionem vocabant mortem, vt auctor est Festus. Græci οἴχεσθαι, vt Germani verschaiden. Plura legetis apud Scaligerum in Festum, & Varronem, si collibitum erit. Qui seu volentes, seu nolentes occiduntur, ij dicuntur vitam ponere, profundere. Virgil. animas proijcere, in 6. Vita priuari, exui, eijci, spoliari, expelli, extremum spiritum effundere, mortem capere, è viuorum numero exturbari, à vita eximi, morte affici, multari, mortem oppetere, morte seu mortem occumbere, quod Virgil. extulit in secundo, cum dandi casu. Seu versare*

*dolos,*

*dolos, seu certæ occumbere morti. Cic. 1. Tuscul. è Poëta vetusto, Priamo vi vitam euitari, id est, extorqueri: mitti ad mortem, vbi Socrates de se cicutam bibituro dixerit, & 9. Philipp. Occidi, interfici, interimi, necari, mactari, obtruncari, iugulari. Iis item dicitur vita eripi, adimi, extorqueri. Liuius lib. 1. dare manibus dixit, pro interficere. Et Plaut. Asin. morti dedere. Virgil. 4. Georg. dedere neci.* E. Vellem in rem præsentem venire, si liber Liuij adesset. P. Nihil est opus, memini verba, & locum. De duobus Curiatijs tum à se peremptis, ac de tertio iam iamque perimendo sic ait victor Horatius. Duos fratrum manibus dedi: tertium caussam belli huiusce, vt Romanus Albano imperet, dabo. Male sustinenti arma, gladium supernè iugulo defigit, iacentem spoliat. *Plaut. Menæch. Quem ego hominem, si viuo, vita deuoluam sua. Ibidem. Anima priuabo virum. In Milite dixit, adimere animam. Bacchid. autem facetè:*

*Nam neque Bellona mihi vnquam, neque Mars creduat,*
*Ni illum exanimalem saxo, si conuenero,*
*Niue exhæredem fecero vitæ suæ.*

Ecquid plura expeditis? M. Non his cõtenti sumus. Ad illa delabere, quæ sunt institutæ concertationis propria: & memento quanta sit à nobis coaceruata locutionum multitudo: simul in mentem reuoca quid promiseris. Et cùm nos in summam exspectationem adduxeris, vide ne falsos turpiter deseras. P. Non excidêre animo promissa. Accipite. *E corporum vinculis euolare, ex his tenebris in lucem illam excede-*

*excedere, à Deo euocare, ad Deum abire, in cælum mi-grare, de vitæ ſtatione decedere. Ad illud diuinum animorum concilium cætúmque proficiſci, ex hac turba & colluuione diſcedere.* Quæ quidem non de quibuſuis morientibus vſurpanda eſſe, ipſimet intelligitis, quando hæc Romuli nepotum diſertiſſimus Cicero de Romanis illis, Paulo Æmilio, Catone, alijſqúe ſapientibus atque optimis viris, qui cum virtute ſcilicet æuum agitâſſent, in ſomno Scipionis, in Catone, & in Tuſculanis vſurpauit: *quos præterea dicit corpore laxari, & eorum animas in cuſtodia corporis detineri: vt proinde talibus decedentibus dicere integrum ſit, ipſos è cuſtodia corporis euolare, elabi, emitti. Item vinculis corporum leuari. Si iam vocer ad exitum vitæ, ait de ſe epiſtola quadam ad Torquatũ, lib. 6.* E. Elegãter animaduertiſti haſce elegãtias. P. *Vitam finire, deſtituere, vita fungi, defungi, vitæ modum, finem imponere, ſupremum, vltimum vitæ diem agere, explere, rebus humanis eximi. Nodis corporeis eximi, apud Arnobium lib. 2. In eodem: animæ corporibus exutæ humanis. Inter homines agere deſiit, legi apud Tacitum. In Salluſt. in Iugurth. Quoniam mihi natura finem vitæ facit. Et Sueton. in Claudio. Ad finem mortalitatis accedere. Non præteribo illud, ſi quid ei acciderit, ſeu humanitus acciderit. Cic. 1. Philip. & 1. Tuſcul. cui ſimile eſt, ſi quid eo factum erit, ſi quid eo fuerit, pro, ſi mortuus fuerit: quo abſtinebant, ne malè ominari viderentur. Fato cedere, fato fungi, in fata concedere.* E. Cuiuſnam hoc eſt? P. O pinor Liuij. *Naturæ ſatisfacere, naturæ cedere, concedere,*

M. Et hoc extremum? P. Salluſti in Iugurthino. *Naturam ſatietate viuendi expleuiſſe dicuntur à Cicerone, qui decrepita ſenectute de vita exierunt. Mors continuò iſtam occupat.* Terentius. *Mortem obire, vitam finire, claudere, alicui vitam deficere. Item accuſandi caſu, Petrum vita defecit. Finem viuendi facere, inuenire.* Tranſeo nunc ad formulas Poëtarum, quarum tu, Eugeni, bonas quidem illas, at paucas protuliſti. E. Si libuiſſet, protuliſſem plures. P. Quin tu dicis idem quod in eclogis ille paſtor: Nunc oblita mihi tot carmina? M. Pauline, hîc Rhodus hîc ſalta. P. Audite. *Fata ſubire, finiri leto, morte ſopiri, animas, vitam ponere, deponere, linquere, conſumi morte, ſupremam horam alicui veniſſe.* Tibull. *At mihi Perſepone nigram denuntiat horam.* Idem. *Quod ſi fatales iam nunc expleuimus annos. Agere ſpiritum, tenuem mutari in vmbram, mitti ad campos Elyſios, nigram tranare paludem, mors venit.* Propert. *Quandocunque igitur noſtros mors claudet ocellos.* Martial. *Cùm mihi ſupremos Lacheſis peruenerit annos. Subire mortem, mortis iter adire. Eſt etiam in vſu apud eos rapi, pro emori.* Virg. in epitaphio ſuo: *Mantua me genuit, Calabri rapuêre: nam in Calabria deceſſit.* Idem in 6. Æneid. de infantibus mortuis.

*Quos dulcis vitæ exortes, & ab vbere raptos*
*Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.*

Propertius. *Viuam ſi viuet, ſi cadat illa, cadam. Animam ponere primis cunis. Fata repellunt vitam, fata properant quietem, venire ad fata, petere aquas Stygias, intrare domos nigrantes animarum ſilentium,*

*immi-*

*immites Parcas habuisse, sensisse. Lucretius vitæ pausam vocauit mortem. Frigida quem semel est vitai pausa secuta, cuius item illud elegantissimum est, vitai lampada tradere in* 2. Vultis adducam versus ipsos? E. Volumus, si commeministi. P.

*Sic rerum summa nouatur*
*Semper: & inter se mortales mutua viuunt.*
*Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,*
*Inq; breui spatio mutantur sæcla animantûm,*
*Et quasi cursores vitaï lampada tradunt.*

*Rursum lib. 3. de Xerxe. Lumine adempto animam moribundo corpore fudit. De Epicuro ibidem. Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ. & in 5. quos à vita natura remouit. In eodem, quem vita reliquit.* in 6. autem libro cùm pestilentiam describit, quæ vrbem Athenienſem ciuibus exhausit, Deus bone, quàm venustis circuitionibus mortem seu obitum effert? Prorsus, vt illud musæum mel, illúmque musæum leporem quem toties nominent agnoscas.

*Oblauóq; ferè cadenti lumine solis,*
*Aut etiam noua reddebant lampade vitam.*

*Horatius pro mori dixit, ire Numa quo deuenit & Ancus, epistola ad Numicium lib.* 1. Quem penes iam est victoria? equidē opera haud parcus fui. M. Nunquā credidissem tam pęne infinitis rationibus vnam hāc rem explicari posse: multis posse haud ignorabā, & nō paucas ipse annumeraui. Vidētur Romani scriptores in effingēda hac tā multiplici varietate mortem honorare voluisse: quā fugimus quidē omnes, non etiam effuginius. E. Tollamus digitum Mauriti,

ſepulti ſumus. Viciſti Pauline, fuiſtique ambobus laborioſior in obſeruandis tot loquendi generibus ſub vnum velut ſignificationis iugum deuinctis, & memoria es meliore. P. Nullum acroama, nullius vocem libentius audiebat Themiſtocles, quàm eius, à quo ſua virtus optimè prædicaretur. M. Hoc Themiſtocleum habes: illud ad ſume, vt te Miltiadis trophæa è ſomno ſuſcitent. P. Teneo.

## ANNOTATIONES.

QVod capiti tuo ſit) *De hac locutione Turneb. lib.* 11 *cap.* 12. Virum à viro lectum) *Faciebant Romani aliquando poteſtatem militibus, vt ſinguli notos ſibi, quorúmque virtuti confiderent, legerent, atque id potiſſimùm, cùm periculum aliquod maius inſtaret, aut aliquis grauior caſus vrgeret. Reliqua Victorius lib.* 18 *c.* 19. *& Turneb. lib.* 25 *c.* 7. Mortem cum vita commutare) *Sic Horatius ode.* 17. *l.* 1. *Velox amœnum ſæpe Lucretilem mutat Lycæo Faunus, Id eſt, ex Lycæo, qui mons eſt Arcadiæ, frequenter in Lucretilem montem in Sabinis commigrat. In Capt. apud Plautum Hegio ſenex de permutatione Philocratis captiui, quem habebat emptum, & Philopolemi, filij ſui, qui ſeruiebat ipſe quoque captiuus in Alide: Hoc illum me mutare confido fore. Hoc (nempe Philocrate) mutabo illum (Philopolemum.)* Extingui) *Antiqui quod calore foueri ac vegetari omnia, & frigere cadauera cernerent, animum igneæ naturæ putauerunt eſſe. Ex qua opinione verbum extinguendi, quod in igne proprium eſt, in animalibus quoque cœptum eſt vſurpari, & verbum*

bum uiuere in ignem transferri. Hæc & plura Muret. lib. 7. cap. 6. Ad plures me penetraui) Cùm Tarentinis editum esset oraculum, res eorum meliores futuras, si una cum pluribus habitarent, ita sunt illud interpretati: si illos, qui migrâssent è uita intra urbem recipe-rent (nam ad id usque tempus mortuos, ut alij quoq; Græci, intra oppidum non condebant) Rempublicam suam bonam fortunatámque fore. Verba oraculi hæc erant: ἄμεινον καὶ λώϊον ἔσεσθαι σφιὶ πεπρώτοις ἢ οἴκοθεν μετὰ τῆσι πλείοσιν. Victorius lib. 2. cap. 7. Qui seu volentes, seu nolentes) De generibus mortis erudite, elegantérque disputat Manut. in epist. 12. lib. 4. apud Ciceronem. Animam amittere) De hac locutione, & simul de uaria notione huius uocis anima, lege c. 12. l. 1. Miscell. Hieronymi Magij, qua usi sunt Plaut. in Amphit. Cicero ad Terentiam, Sallustius in Catilin. Probus in Epaminonda. Mortem obire) Festus. Mortem obijsse ea consuetudine dicitur, qua dixerunt antiqui, ob Romam legiones ductas, & ob Troiam duxit exercitum, pro, ad. Similitérque uadimonium obijsse, id est, ad uadimonium ijsse, & obuiam, ad uiam. E corporum vinculis euolare) Animal vt constet, necesse est in corpore anima uinciatur. Ideo corpus Νῆας, hoc est, uinculum nuncupatur, & σῶμα quasi quoddam σῆμα, id est, animæ sepulchrum. Vnde Cicero pariter utrumque significans, corpus esse vinculum, corpus esse sepulchrum, quod carcer est sepulchrum, ait: Qui e corporum vinculis, tanquam è carcere, euolauerunt. Macrobius in somn. Scip. lib. 1. cap. 11. Non etiam effugimus) Propertius eleg. 17. lib 3.

*Sed tamen huc omnes, huc primus & vltimus ordo?*
*Est mala, sed cunctis ista terenda via est.*
*Exoranda canis tria sunt latrantia colla:*
*Scandenda est torui publica cymba senis.*
*Ille licet ferro contus se condat & ære,*
*Mors tamen inclusum protrahet inde caput,*
*Nirea non facies, non vis exemit Achillem,*
*Crœsum aut Pactoli quas parit humor opes.*
*Martial. lib. 4.*
*Nullo fata loco possis excludere: cùm mors*
*Venerit, in medio Tibure Sardinia est.*
*Eodem.*
*Lanificas nulli tres exorare puellas*
*Contigit: obseruant quem statuere diem.*
*Lucret. lib. 3.*
*Vitáque mancipio nulli datur, omnibus vsu.*
*Ibidem.*
*Certè equidem finis vitæ mortalibus astat:*
*Nec deuitari letum pote, quin obeamus.*
Tollamus digitum) *Qui succubuerat in conflictu, hoc indicio victum se fatebatur. Similia sunt: tollere, dare manum, dare seu porrigere herbam, fasces summittere. Hoc extremum à Coss. sumptum est, qui in concionem ascensuri, Publicolam imitati, de quo lib. 2. Liuius, fasces populo summittebant. Quod mirè gratum ipsi fuit, cùm ita confessio fieret, populi quàm consulis maiestatem vimque maiorem esse.* Acroama) *Cicero hæc pro Archia Etsi autem acroama, festiua & iucunda narratio, trálatione à symphonia musica, quæ olim in theatro histrionum actionem commendabat, & auri-*

bus

*bus precipiebatur, vt illa oculis. Cicero pro Sextio Clodium acroama appellauit, quod, & histrionis, & musici partes gereret. Ille ipse maximus Ludius non solùm spectator, sed etiam actor, & acroama* Miltiadis trophæa) *Cicero Tuscul. 4. Nocte ambulauit in publico Themistocles: quod somnum capere non posset: querentibusq; respondebat, Militiadis trophæis se è somno suscitari. Plutarch. in Themistocle idem narrans, addit. Reliqui enim cladem barbarorum Marathoniam belli finem, esse censebant: at Themistocles eam initium maiorum certaminum putabat, ad quæ se pro tota Græcia assiduò præparabat.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM SECVNDVM.

## Cantus musicus.

### *SABINVS, CRESCENTIVS.*

SAbinus. Auditione accepi, te in ludum itare musicum Crescenti. C. Me? audisti vera. S. Quoties per hebdomadem? C. In dies singulos. S. Qua hora? C. Duodecima. S. Vtróne pater voluit, an tu ab eo precibus id extorsisti? C. Exorani patrem: nec muto factum. S. Cur quæso? C. Quæ nunc intemperiæ tenent? Haben' tu aures, an auriculas tantùm? S. Enimuerò habeo aures, nisi eas hoc temporis articulo perdiderim. C. Quid

ergo interrogas, cur discam canere? S. Non absurdè id quæro. C. At ego dico absurdissimè. Quid enim musica dulcius? quid illa sonorum temperatione auribus gratius, aut iucundius? S. Scire fidibus (quod ingraueſcente iam ætate Socratem Philoſophum didiciſſe fama vulgauit) & canere cithara, teſtudine, barbito multò eſſe ſuauius quouis pignore cõtendam: qua de vocibus, libentius audierim Sirenas, aut luſciniolam, aut cygnũ in morte canentem.

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*
*Cantator cygnus funeris ipſe ſui.*

C. Iſta reprehenſio inſcitiam tuam coarguit: nam ſi muſicam ſcires, numquam facultatem nobiliſſimam in vituperationem adduceres. S. Non diffitebor me artem hominum feriatorum, languentium, & nihil agentium ignorare. Aures permulcet illa quidem, in animo voluptatis nihil relinquit, vt literæ. C. Neceſſe non eſt, ſi literæ ſint bonum, muſicam eſſe malum: nec ſi illæ plus proſunt, ideo hanc nihil prodeſſe. S. Acumen dialecticorum. Patet tamen in muſica nimiùm deditos, eſſe idiotas ferè: tria verba latinè loqui neſcire. C. Haud me dedam immoderatè: non dico ampliùs. S. Nolim ego tempus diſperdere in repetendis, & vſque ad vomitum penè audientium recantandis per dies integros hiſce 6. ſyllabis, vt, re, mi, fa, ſol, la. Præterea in ligaturis, fugis, cantibus naturalibus, conſonantijs perfectis, imperfectis, reſolutionibus, diminutionibus, diapéte, diateſſaron & ſimilib⁹ tricis. C. Mihi relinque iſtas tricas, perpende in quos hoc maledicti cõferas. S.

In

In neminem. C. In multos præstantissima dignitate, & in excelso ætatem agentes viros, qui animos põdere curarum lassos cantiunculis remittunt, ac releuant. Sanctarum literarum summa est auctoritas, qua commendatur musica. S. Noui tamen clarissimos grauissimosque viros, qui ne ponantur in suspicione leuitatis, canere cùm sciant, cantu consultò abstinent. C. Facesse hinc Mome: tempus est in ludum eundi. Vale. S. Ito, ito, & bonas horas malè perde. Canta ab vsque manè ad vesperam: canta in somnis quoque. C. Et tu quoad lubet in cælum iacula re.

## ANNOTATIONES.

NEc muto factum) *Si pœniteret facti, muto factum, nolo factum: contrà, si probarent: factum, volo, factum cupio, factum gaudeo, dicebant.* Aures an auriculas) *A vocibus hauriẽdis dictæ sunt aures. Virg. 4. Æneid. vocémque his auribus hausi. Auricula est cartilago, aurium cauitatem circumdans, cuius ima parte nihil mollius, tenerius, aut flexibilius in toto humano corpore. Hinc prouerb. Auricula infima mollior, in hominem lenem, lentum, minimè asperum, & iracundum. Vtitur eo Cicero ad Q. F.* Sirenas, luscinio lam, cygnum) *De cantu Sirenum vide Odysseam. Et paræmiam, Sirenum scopuli. Isocrates ob dicendi suauitatem Attica Siren coguominatus est. Eadem de causa Xenophon Attica Musa, & apis Attica Sophocles. Luscinia, de qua multa Plinius lib. 10. c. 29. inde dicta, quòd cantu suo significare solet diei surgentis exortum, quasi*

*quasi lucinia. Eadem & acredula. Cicero Prognost. Et matutinos exercet acredula cantus. Isidorus. lib. 12. Dicitur græcis nominibus philomela & aëdon, propter amorem perpetuum cantandi. Plaut. Bacchid. Pol ego quoq; metuo, luscinioiæ ne defuat cantio. Cygnorum cantu apud vulgus & poëtas nihil notius, quos Plato in Phædone non solùm cum cantu & voluptate mori, sed in vita reliqua musicos & canoros esse scribit. Lucianus tamen libello de cygnis. Ælianus l. 1. ca. 14. Plinius cap. 23. l. 10. negant cygnos canere.* Pondere curarum lassos) *Quomodo cantus animum abducat à curis, à mœroribus, quomodo sensum malorum minuat, quantamq; delectationem habeat, lege Ouid. eleg. 1. lib. 4. Trist.* Facesse hinc Mome) *Fingitur quidam Deus hoc nomine, qui cùm ipse nullum opus edidisset, aliorum deorum opera curiosiùs contemplaretur, & carperet quam liberrimè, si quid aut omissum, aut perperam factum putaret. In Venere quidem cùm aliud reprehendere nihil posset, reprehendit strepitum, & stridorem eius sandalij. Hinc licebit sandalium Veneris usurpare, ut paræmiam de re quoquo modo, & iniustè etiam reprehensa.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM TERTIVM.

## Græcæ literæ.

DORO-

DOROTHEVS, MATTHIAS.

DOrotheus. Quid libri manu geris? M. Nicolai Clenardi inſtitutiones linguæ græcæ: quæ lamentariæ mihi ſunt, neq; eas ferè intueor, quin propemodum illachrymer: certè quidē ſuſpiro. D. Hui egregium virum, & imortali virtute præditū. Num ſpicula vibrant quibus te conuulnerent? M. Telis nō aſpectabilibus ſauciant pectus meum: quin cerebrū mihi excutiunt. D. Quî iſtuc fieri poteſt? M. Fieri sētio, & excrucior. D. Quæſo, quid tu hominis es? abhorres nimio opere à lingua Græca: hoc illud eſt, hæc illa ſunt ſuſpiria. M. Non Pythium magis verū eſt reſponſum, quàm quod dixiſti. Etiam, abhorreo. D. Et quibus tandem ſuperatus rationibus? ne occultaueris. M. Ob inexplicabiles, imēnſas, infinitāſque difficultates, quæ me potiſſimùm impediunt, & deterrent ab hoc ſtudio. Myriades contractionū in nominibus & verbis, in totidem partes diſtrahunt animum meum. Tot ſunt declinationes, tot cōiugationes, tot anomala, quot Athenis noctuæ. Quis vel abundantiſſimus otia iſta penitus memoria cōprehenderit? D. Præclarè, Terētius opinor: Nulla eſt tā facilis res, quin difficilis fiet, quā inuitus facias. Cōtra Mantuanus: Homerus. Labor improbus omnia vincit. Et alius. Amanti nihil difficile. Tuū ingeniū, quod apparet, nō capitur, nō oblectatur hac principe, & regina linguarū: ea re inuitus, & quod proximū eſt, minore cum diligētia, nulla cū natiuitate ad haſce præceptiones diſcōdas incumbis. Hec vna res difficultatem exaggerat, vbi eſt aliqua difficultas:

vbi

vbi autē nulla est, ibi eam progignit: sicuti ex altera parte, amor & desiderium rei alicuius adipiscendæ efficiunt, vt quamuis onerosus magnúsq; labor, aut perparum, aut minimè sētiatur. M. Tu si hic sis, aliter sentias. Scienti, ac perito non videtur laboriosa scientia. Iam tu hæc liguriuisti, & concoxisti, in quibus ego tam sudo, quàm si molares effoderem. D. Fatebor candidè, per somnum & iocum hæc disci non posse: veruntamen minui, vel potiùs minus sentiri aio laborem, si generosa discendi cupiditas affuerit, quæ frigidam suffundat. M. Tam fatuum & delirum nō inuenies, qui nolit grecè nôsse. D. Cùm de voluntate loquor non illam omnino desidem, & operum solutam intelligi postulo, qua cupiunt quidam pecuniam facere, & amplificari patrimonia, cùm vacui negotijs domi sedeant: qua honoribus augeri, cùm honore nihil dignum moliantur: qua eruditione præstare, cùm se erudiendos nulli magistro dedant. Perquàm insipienter vult, qui sic vult. Atque vt hoc tibi largiar, magnam inesse in præceptionibus difficultatem, tamen istuc ipsum cum multis præcellentibus rebus ijs cōmune est, de quibus dictitare illud solemus: difficilia quæ pulchra. M. Haud dicam dolo: labore & studio me tantum non eneco, nec tantillo magis inhærescunt in mente mea illi canones. D. Non pauci affirmant se hoc facere, nec faciunt. M. Quomodo? D. Quia cùm studium à M. Tullio breui ac circumscripta definitione explicetur his verbis: Est vehemens & assidua ad aliquam rem applicata magna cum volūtate occupatio

patio: ipſi aut non vehementer, aut non aſſiduè, aut ſi vtrumpue, non adeò magna cum voluntate occupationē ad Græcas literas applicant. Tu tacitus temet interroga, te excute, tecum conſidera, num ita te geras. Si geris: niſi bardus & truncus, ſtipes, caudex ſis, præterque figuram hominis nihil habeas, vtique addiſces Græcam grammaticen. M. A tempore ſubſecare nihil poſſum, quod dem Græcis quotidie. D. An tu non potes minimùm ſemihoram tribuere? M. Latina hoc quidquid eſt temporis ſibi quoque vendicant. D. Attende pauliſper animum. M. Do tibi operam, loquere. D. Si noſtrorum ſtudiorum præſides, ac moderatores vidiſſent non ſufficere nobis ordinarium tempus ad græca cum latinis coniungenda, nunquam in catalogis librorum explicandorum, qui quotquot annis deſcribuntur formis æneis, & luci committuntur, vllum auctorē, libellúmue græcum nominâſſent: nec Magiſtri, homines conſiderati, & prudentes, hoc penſum à nobis exigerent. M. Sophiſma, & captio iſta tua nihil me conturbat: tu, ſi quid es facturus, firmiora argumenta conquiras neceſſe eſt. Ambo curare non poſſum. D. Tu verò potes, & poteris ſi voles. Aliorum exempla, quos audiſti, & vidiſti vtrumque ſtudium perſequi, tibi perſuadeant. M. Abundant ingenijs. D. Do hoc de aliquibus: voluntate quidem pollent, ac diligentia, nec adeò ſunt imbelles vt tu. M. Poſtquamequis remiſque contendero, non conſequar tamne conſumatam gramm at icæ notitiam. Sic ego operam, parentes ſumptum perdiderint. D:

Deſpe-

Desperatio quoque est mater ignauiæ, ac plurimos pessum dedit. Extermina hanc pestem literariam ex animo tuo, speráque te adepturum omnia.

*Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis*
*Semina, quæ magno fœnore reddat ager.*

Ferrum assiduitate vsus atteritur: & quid ferro durius aquæ guttæ cauant marmor: & quid aqua mollius? marmore solidius? qui ergo assiduò impensa cura, perpetuatúmque studium doctiorem te non reddat, minùs licet valentem ingenio quo antestas compluribus. M. Quæ, per deum, est tanta, & tam fatalis huius transmarinæ linguæ necessitas? D. Multiplex, & præcipua. Ea (ne longum faciam) vt sine eius cognitione manca, & mutila sit omnis doctrina: & qui eius expertes sunt, ij, nec latinè quidem scripta penitus percipiant. M. Paradoxa mihi narras. Doctissimos viros habeo nominare, & te nouisse multos arbitror, qui alphabetum non teneant, & græcam legere vocem, cùm occurrit aliqua, nesciant funditus. Sunt qui in commentarijs à se editis ita loquantur: græcum est, non legitur. Item, græcum hoc totum omitte. Isti profectò existimationis suæ non ideo iacturam faciunt, quia τιμὴ, & ἄνθρωπος quid velint, aut qua ratione per casus inflectantur, nesciant: & suarum artium alumnos citra damnum istiusmodi otiosorum delectamenta negligere posse pro certo credunt. D. Bona verba. Commemini hac ipsa de re audire è Præceptore meo: cæterum ego tantus adhuc non sum, vt fusiùs hoc de argumento mihi agendum putem. Cùm legimus

quæ

quæ ab eruditis de huius linguæ laudibus prodita, sunt ad posteritatem, tum rationibus firmissimis, & bene multis demonstrari cernimus, quàm sit ad omnem disciplinam vtilis & necessaria græcarum literarum cognitio: id nos credere oportet tãtisper, dum reipsa experiamur: quemadmodum morbis impediti credunt medicis, ad sanitatem, bonitatémque valetudinis profuturam sibi potionem, & alia, quæ ab ijsdem dantur pharmaca, atque antidota. M. Sed Clenardus iste perturbatus, atque confusus est, & meo quidem animo docendi viam ac methodum nullam videtur custodiuisse. D. Hoc ipsum consensu iudicauerunt quidam docti homines: quocirca, quod in rem communem esset adolescentum, in ordinem certum ac facilem eius præcepta redegerunt. Eum librum in Gallijs editum commercare: de tuis condiscipulis sunt qui parauerunt. M. Ante vesperam adibo ad tabernam librariam, empturus librum, quantóuis pretio steterit. Abs te autem maximoperè pro nostra summa coniunctione, tuáque humanitate peto, & quæso, si quando te interrogauero, ne deneges mihi operam & hoc addas ad tua in me officia: statui enim feruidiùs discere. D. De me sic tibi promitto atque confirmo: nihil cùm malim, quàm te græcè vel optimè nôsse, non detrectaturum tua causa pusillum hunc laborem. Tu modò fac animo erecto constantiáque sis, & caue vnquam in consilium desperationem adhibeas. M. Ero, ita me amabit fides: & hoc tuo facto ad eam quam erga te habui volunta-

luntatem magnus cumulus accedet, contráque omnia me, quæ potero, in te ſtudia, & officia collaturum polliceor.

## ANNOTATIONES.

MAntuanus Homerus) *Aliquot epitheta Virgilij ab optimis auctoribus ipſi tributa afferamus: quò in promptu ſint ſtudioſis. Alex. Seuerus Imper. Platonem poëtarum vocabat. Plin. celeberrimum auctorem. Velleius, principem carminum. Marcellinus, eminentiſſimum vatem. Seneca, vatem maximum. Macrobius, Homericæ perfectionis per omnia imitatorem. Idem, Mantuanum Homerum. Fabius, auctorem eminentiſſimum. Auguſtinus, poëtam maximum, omniúmque præclariſſimum. Quidam Iouem poëtarum latinorum.* Non videtur laborioſa) *Plures ſunt verbi huius notiones. Homo laborioſus eſt, quem Græci dicunt φιλόπονον, nos induſtrium. Item is, qui moleſtia aliqua impeditus eſt, ex qua ſeſe explicare nequit. Res etiam laborioſa dicitur, in quam multus impenſus eſt labor. Catullus Chartas doctas & laborioſas vocauit, magna diligentia ſtudióque elaboratas. Secundam notionem confirmat illud ex Miloniana. Quid enim nobis duobus, Iudices, laborioſius? quid magis exercitum dici poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad Rempublicam adducti, metu crudeliſſimorum exitiorum carere non poſſumus. Prima tam eſt manifeſta, vt confirmationis ac teſtimonij nullius egeat. Eſt ergo hoc verbum de illorum ordine, quæ agendi patiendíque vim habent, ſeu in vtramque partem ſignificatione reciproca & aduerſa dicun-*

dicuntur: vt formidolosus, inuidiosus, suspiciosus, ambitiosus, gratiosus, infestus, metus, iniuria, nescius, ignarus, &c. Gellius lib. 9. c. 12. Huc etiam pertinet nobilis: dicimus quippe nobilis poëta, nobilis latro. Domi sedeant) Sedere significat interdum negligenter se gerere, pigrum, otiosum, ignauo animo esse vt apud græcos καθῆσθαι. Cic. in Pison. An potest vlla esse excusatio, non dicam malè sentienti: sed sedenti, cunctanti, dormienti, in maximo Reip. motu Consulis? Virg. 3. Georg. Et meliora deos sedet omnia poscens. Sic desidere, pro remisso animo esse. Suet. in Iulio. Victor. lib. 16. cap. 20. & Torrent. in Sueton. Eandem vim habere apud Tullium verbum, iacere, notauit alicubi Manut. in eiusdem epist. Quotquot annis) M. Varronem sæpius dicere, quotquot annis, quotquot mensibus, cùm singulis annis, singulis mensibus sine intermissione significare vult, animaduertit, & in eo sinistrorum correctorum errorem correxit Victor. lib. 9. cap. 22. Ferrum assiduitate) Plutarch. de lib. educand. Multarum rerum contemplatione addiscere possis, quantum efficacitatis habeat industria atque labor. Nam & aqua guttatim lapsa lapidem cauat: & ferrum atque æs manuum contrectatione atteruntur: & rotæ curruum magno labore curuatas nullo possis conatu in pristinam restituere rectitudinem. Et quæ sequuntur. Seneca item epistola 50. Nihil est quod non expugnat pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum quamuis flexa reuocabis, curuatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur, quod vsus noster exigat. Quanto facilius animus accipit formam, flexibilis, & omni

*humore obsequentior? Quintil. lib. 1. cap. 1. Præstat ingenio alius alium. Concedo: sed vt plus efficiat aut minus. Non tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus.* Aquæ guttæ cauant marmor) *Lucret. lib. 1. Stillicidij casus lapidem cauat. Idem lib. 4.*

*Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes*
*Humoris longo in spatio pertundere saxa?*

*Rei paruæ & humili magna est in hisce duobus versibus quæsita dignitas. Quos cum illo sanè abiecto & plebeio, qui falsò Nasoni tribuitur, comparat Victorius.*

*Gutta cauat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.*

*Propert.*

*Quid magis est durum ferro, quid mollius vnda?*
*Dura tamen molli saxa cauantur aqua.*

*Idem lib. 2.*

*Sed tamen obscura teritur rubigine mucro*
*Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.*

Bona verba) *Quem sensum contineant ista, bona verba, & bona dicere, explanat Nannius lib. 4. Miscel.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM. QVARTVM.

## Bibliotheca.

*ANTONIVS, CYRILLVS.*

ANtonius. Vbi tu aut moratus, aut vagatus es tamdiu? C. Apud patruũ erat quod transactũ redderem negotium. A. Quid narras? quodnam negotium?

gotium? C. Tua nihil refert: quare desine percunctari. A. Difficillimum creditu: propter negotium, vt dictitas, dimidiatum pene diem illic te hæsisse. C. Propter aliud etiam. A. Parcam exquirere, quid fuerit illud aliud: si vltrò aperueris, non inuitè auscultauerim. C. Bibliothecam maxima impensa, libris multis, varijs, optimis refertissimam, locupletissimámque confecit. A. Quid hoc autem ad te? C. Quid ad me? ô Antoni. A. Etiam, quid ad te attinet, si ille bibliothecam comparauit? an tu idcirco eam es adepturus? C. Adipiscar, si vixero. A. Iam volo mihi pandas hoc mysteriũ. C. Audacter proloquar. Cùm defunctus essem mandato, quod à patre acceperam, & rem absoluissem vt optaueram: adesdum Cyrille mi, inquit meus patruus, paucis te volo: manúque apprehensum in conclaue perducit, bene amplum, lucidum, abundè instructum, & ornatum. A. Lubido est porrò audire: iucundum aliquid magnúmque consequetur. C. Magis id dices, si audieris. A. Ergo narra. C. Visebantur ibi in ordines dispositi libri per conclauis latera: vnumquodque habebat octuplicem seriem: maioribus ascẽdendo minores semper magnitudine ac mole succedebant, cùm ipsa quidẽ receptacula seu loculamẽta essent libris proportione interuallorum respondẽtia. A. Quàm multos diuinas fuisse? C. Minimùm tria millia. A. Non aspernandus numerus. C. Plurimi insuper in aceruo soluti & rudes ex officina iacebãt. Cęteri diligẽter admodũ compacti: alij tegumentis seu inuolucris erant ex albo corio, alij nigro, alij rubro: quidam membrana

candida, & arida modo pumice polita tegebantur. Nonnullis, præsertim grandioribus, per quattuor vtriusque frontis angulos ex orichalco bullæ vmbilicatæ cernebantur affixæ. Claudebantur hi vncis æneis (clausuras vulgo vocant) illi loris sericis, alij coriaceis. A. Quod genus scriptores? C. Omne genus. Nam etsi patruus Iuris ciuilis scientiam profitetur, attamen nō in politiores duntaxat literas præterea, verum etiam in Philosophiam, Medicinam, & aliquantum in Theologiam studium tradidit. In Rhetoricis & Dialecticis excellit. Græcæ linguæ iam inde à prima adolescentia se perstudiosum extitisse affirmare solitus est: quam interdum seriò quidem & ex animo, sed suaui cū lepôre promittit se mihi sponsam cum lautissima dote relicturum.

*Omnes quæ mecum meritis pro talibus annos*
*Exigat, & pulchra faciat me prole parentem:*

hos enim simul de pœtarum Latinorum Platone versiculos recitat. Non fugit prudentissimum virum, me eandem hanc effictim deperire. Ergo quia omnem doctrinam liberalem combibit, & opibus præditus est, hinc tanquam cornucopiæ librorum possidet. Nec illi confusè locati: verùm dispertiti in ordines certos visuntur: hîc ad hanc, illic ad aliam disciplinam pertinentes. Ad vnumquemque verò ordinem porrectioribus elementis, seu literis cubitum longis, vt iocatur Plautus, præscripta pendent lemmata: THEOLOGI. PHILOSOPHI. IVRISCONSVLTI. ORATORES & HISTORICI. PHILOLOGI. POETÆ. GRAMMATICI.

Adhæc

Adhæc quiſque nomen ſuum in tergo gerit: terga enim oſtendunt intrantibus, & aſpicientibus, vt nullo negotio quod quæras inuenias. Omnia deinde tam nitida, & munda, vt obſtupefactus, in paradiſum (vt noſtri loquuntur) te iures introgreſſum. A. Per quem hæc curat? nam ipſe, credo, hanc moleſtiam non ſubierit. C. Puerum mercede conduxit, promptum, & impigrum, qui in ſingulos dies certa ac preſtituta hora puluerē de libris deuerrit, cumque opus eſt, conclaue ſcopis purgat, & turbata, ac diſiecta quæ ſunt, rurſum componit. A. Quid ibi eſt extra libros? C. Menſa cooperta tapete viridi laneo plureus, clepſydra, ceteraque ſupellex in literas ſeſe abdentium. Adde monumenta nonnulla antiquitatis; vt ſtatuas paruas marmoreas, perquàm artificioſas; vt veterum Imperatorum nummos argenteos; vt illuſtrium pictorum tabellas; vt mathematica inſtrumenta, & muſica. A. Quid poſtquam tibi demonſtrauit hęc omnia? C. Iuuat meminiſſe. Complexus me inquit. Tua hęc erunt vniuerſa, Cyrille, cariſſime, ſi colueris ſtudia literarum, vt inſtituiſti, nauiter: & quam expectationem tui concitâſti, eam ſuſtinueris. Nulla mihi vxor eſt, vt vides, nullus hęres: te harum, quantæcunque ſint, copiarum mearum hæredem ex aſſe teſtamento ſcribam nominatim. Noli quærere: ita ſum hac tam ſingulari, ac diuina promiſſione affectus, vt ebrius lętitia neſcirem vbi conſiſterem. A. Tam valde hoc facto delectatum eſſe te nō miror, nihil enim potuit fieri amantius, nihil dulcius. C. Gratias contra agebam im-

mortales, pollicebar montes aureos. A. Heu, cur ego quoque talem patruum fortitus non sum? vt nimiùm longè meis tuæ fortunæ præcedunt? C. Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

## ANNOTATIONES.

*ADuersum eos, qui maximis impensis ingentem librorum multitudinem comparant, quibus non tam vtantur quàm glorientur, lege quæ sunt apud Senecam. cap. 9. de tranquil. animi. Quò mihi, inquit, innumerabiles libros, & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? onerat discentem turba, non instruit: multóque satius est, paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos. Quadraginta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum. Alius laudauerit, sicut Liuius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria, &c.* Receptacula seu loculamenta) *Posteriore voce appellat Seneca illos quasi cancellos, per quos libri in bibliothecis disponuntur. Cicero ad Atticũ lib. 4. epistola. 18: pegmata vocat: quanquam & aliud eodem loco significare potest. Vide Manut. epistola verò 4. lib. 4. cum inquit: offendes designationem Tirannionis mirificam meorum librorum, intelligit eorum dispositionem, collocationem, descriptionem, & distributionem suo cuiusque loco. Argumento locus est epistolæ 8. non longè à principio. Posteaquam verò Tirannio mihi libros disposuit, &c. Lamb. annot. Sittybos in extremo epist. 5. lib. 4. Manut. interpretatur membranulas,*

qua-

*quarum integumento libri à pulueris temporísque iniuria diutius integri conseruantur.* In Rhetoricis, & Dialecticis) *In musicis, in dialecticis, arithmeticis, grammaticis malebant dicere veteres, quàm in musica, seu, in arte musica, in arte dialectica. Cic. 1. de Orat. in musicis numeri, voces, & modi, & lib. 4. ad Att. epist. 16. musicis eruditos. Terent. Eunuch. fac periculum in musicis. Cicero ad Att. lib. 12. hominem remotũ à dialecticis, in arithmeticis exercitatum. Et 1. de nat. Deor. Tantos progressus habebat in Stoicis. Obseruauit Manut.* Mihi sponsam cum lautissima) *Ciceronem quoque delectauit audacior ista metaphora. Nam ad Atticum, libro 1. epist. 8. sic ait, Bibliothecam tuam caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. Nam ego omnes meas videmiolas eò reseruo, vt illud subsidium senectuti parem. Et epistola sequenti apertius: Libros verò tuos caue cuiquam tradas: nobis eos, quemadmodum scribis, conserua. lib. 3. Libros tuos conserua, &c.* Illustrium pictorum tabellas) *Imagines doctorum, clarorúmque hominum in bibliothecis collocabant. Cicero ad Att. lib. 4. epist. 9. Maloq; in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quàm in istorum sellaeuruli.* Hæredem ex asse) *De diuisione assis in 12. partes lege Alex. ab Alex. l. 1. c. 1. As interdum significat nummum æreum, qui sit decima pars denarij: denarius autem est octaua pars aurei Rhenensis, seu daleri, significat, inquam, nummum minimi precij. Hinc proverb. Ne assis quidem. Catull.*

*Rumoréſque senum severiorum*
*Omnes vnius æstimemus assis.*

*Id est, penitus contemnamus. Ad assem perdere dixit Horat. vniuersæ pecuniæ iacturam indicare volens.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM QVINTVM.

## Descriptio Gymnasij.

*FABIANVS, SYLVESTER.*

FAbianus. Schola ista nostra, in quam ad ingenij cultnram percipiendam in dies cœpimus cõmeare, pulcherrimè commodissiméque exædificata mihi videtur: idem tibi videri, nunquã in incerto habui. S. Bene: & antepono illam multis aljis, quas vidi, in quibus studiorum gratia versatus sũ hactenus. F. Primùm (vt inde potissimùm laudationem exordiar) excitata est eo ciuitatis loco, qui omni strepitu, clamore, turbis caret. Non hîc esculenta, potulenta, non scruta venduntur: nullæ in hac vicinia cauponæ, nulli salsamentarij, salgamarij, myropolæ nulli. Non fabri assiduè incudem tundentes, non dolarij, non aurifices, non demum eiusmodi opifices, qui totum diem pulsibus perstrepunt, nulli circuli, nõ colludẽtes, & concinentes pueri, ac puellæ. Hîc summa quies, hîc alta silentia: prorsus sicut illa prætoria, seu magistratuum palatia apud Persas, de quibus Xenophon in vita Cyri. Nec enim carmina solùm, vt inquit vates Sulmonensis, sed vniversè, generatim studia omnia bonarum

narum artium ſeceſſum quendam & otium, hoc eſt, tumultus, negotiationumque vacuitatem requirunt, vel potius flagitant. S. Haud quidquam hac veritate verius. F. Tum ſalubri quoque ſub cælo condita eſt: quod in eâdem vrbe non omnibus ſemper ædificijs contingit: quædam enim craſſiore, & corporibus humanis peſtilente circumfunduntur aëre. Academiam illam Athenis amœno, & nemoroſo, at minimè ad tuendam ſanitatem accommodato ſolo traditum eſt conſtructam fuiſſe. S. Vt memoria mea eſt, hoc ipſum quod affirmas alicubi ſcriptum legi. Et æquum eſt, cùm alioqui integra valetudo ſtudiorum diuturnitate ac vehementia corrumpatur, non ibi conſtitui gymnaſia, vbi procliuius eſt, eam omnino perdi quàm recreari, & conſeruari. F. Nullæ domus ita contiguæ, vt officiant luminibus. Iam verò quàm excelſi parietes? quàm ſublime, & ad pluuiarum defluxus præceps aptatúmque tectum? Ipſa forma domus non proiecta in longum, non extenſa nimis in latum, non trilatera, ſed τετράγωνος ſiue quadrata: ita tamen, vt ſit aliquantò longior, quàm latior, porta ingens, & aſpectu auguſta ac venerabilis, à ſcalptore & pictore emblematis inſigniter decorata. S. Illi ordines feneſtrarum, infrà quidem latis luminibus, ſuprà anguſtiorum, omnium autem inter ſe ad perpendiculum æqualium, ecquid ornamentum addunt? F. Eximium. Vbi ingreſſus fueris, ad lævam auditoria duo, ad dexteram totidem: ambulatiunculæ ante ſcholas, & inter ſcholas. Inde gradibus ſeptendecim

cim ex albo expolito lapide, quattuor cubitos longis, vnum pene latis ascenditur. Rursum ibi quattuor gymnasia, cum suis ambulatiunculis. Non se mutuò possunt impedire discipuli, nec magistri alter alterum clamoribus obtundere. Suggestus vt bellè laborati? supra velut tecta impendunt, ne dissipetur vox docentium: adhærentia autem ipsis, non vt in sacris ædibus, disiuncta à concionatorum cathedris. A terra quattuor gradibus elcuati, quò videri audirique ab vniuersis doctor facillimè queat. Non in dextro aut sinistro latere, sed ex aduersum portæ collocati, vt intrantes primo aspectu in Magistrum incidant, & ipse sine circumactu capitis auditores suos, & quemcunque ingredientem possit aspicere. Vt ordinatim disposita sedilia? sic, vt ex omni parte, à fronte, à tergo, à dextris, sinistris inter ipsa, & parietem spatia fieri queant. Vt dolatis è tabulis speciosa laquearia? vt circum feneſtras decentissimè depictæ vires, rosæ, flores denique? quàm mundum, candidum ac subtile tectorium? nihil vsquam fractum, nihil ruinosum, aranearum nihil. S. Aulam omittis? F. Nónne hæc scholis incumbens, & in summis ædibus ampla, tabulatisque ornatissima, & picturis egregijs mirabiliter locupletata est? S. Assentior. F. Nónne ad oratorias, exercitationes, ad comicas quoque actiones opportunissima? S. Nimirum. F. Nónne templo quàm simillima? S. Etiam. F. Quid igitur salubrius, quid splendidius nostra schola? S. Nihil. F. Quàm adhæc frequentes discipuli? quàm

eruditi Magiſtri? Breuiter: ſi Muſæ cum Apolline ſuo Heliconem relinquant, huc inprimis, & cupidiſſimè commigrent. S. Me adſcribito huic tuæ ſententiæ.

## ANNOTATIONES.

SEceſſum quendam) *Plutarchus de Curioſit. Siquidem & Muſæa quàm maximè procul ab vrbibus collocabant. Cauſſam ne quæramus; patet enim eo vel tacente.* Salubri ſub cælo) *Cælum pro aëre dicunt latini. Hinc loci, & cæli grauitas. cæli ſalubritas, cælum graue, ſalubre, peſtilens. Cicer. 1. de Diuinat. Aſpiratio cæli grauis, & peſtilens. Pro quibus barbari, mala aura, malus aër, inſalubris aër. Plin. lib. 2. cap. 28. Námque & hoc cælum appellauêre maiores, quod alio nomine aëra: omne quod inani ſimile, vitalem hunc ſpiritum fundit.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM SEXTVM.

## Pædagogi.

*EVTROPIVS, LEOPOLDVS, TIBERIVS.*

EVTROPIVS. Lachrymas effudiſti. Leopolde, etiamnum quippe in tumore ſunt oculi, & rubent. Hem, quæ cauſſa ploratus? L. Ploráſſes tu nihilo minùs pro certo, ſi pædagogus tuus ſimilem

lem in modum tibi blanditus esset. T. Eia, blanditus? fortasse in te misello virgæ rursum exultauerunt. Factum est hoc Leopolde? L. Factum est. E. Quid ais? L. Dubium hac de re nullum est: nimis apertum atq; indubitatum est, pellem mihi vsque ad saturitatem consauciatam flagris. E. Prædurum pædagogum prædicas. L. An vos nunquam à vestris flagellamini? T. Perquàm raro, Leopolde. L. Nimis propitios ac lenes habetis: ac proinde vereor vt vos sitis boni pueri. E. Quin sæuissimi sunt: quare nos plagas, & increpationes illorum suprà quàm cuiquam credibile est metuentes, officium vltrò exequimur. L. Meum, vt arbitror, sæuitia non anteibunt: qui tyrannidem in me quandam exercet. T. Tyrannidem? L. Inprimis omnia dicta, facta mea curiosissimè obseruat: non potest tamen nôsse quæ meate agito (rumpatur licet) nam cogitata sunt cuique libera. E. Meus æquè, vt scias, non dormit. T. Nec meus profectò. L. Quandocunque non videt assidentem libro, suspicatur, suspicatur autem? immò credit me ludere, vixque ad naturæ requisita concedere patitur. T. Auges rem in maius: non equidem puto tam ab omni humanitate derelictum & agrestem. L. Nescio mentiri. E. Quàm sæpe rationem poscit eorum, quæ in schola audieris? L. Fermè in dies singulos. E. Quid facit tibi, si quærēti imperitè respondeas? L. Minatur. E. Si iterum? L. Ferociùs minatur. E. Si tertiùm? L. Vobis istuc cogitandum relinquo: dolet enim vel dictu, nedum perpessu, quod iste plagosissimus homo mihi tertium pec-

canti

canti consueuit facere. T. At nostri (quod inter nos liceat dicere) tota hebdomade vix semel nos examinant: quia videlicet ponunt nos esse diligentes, vt reuera sumus. L. Quid igitur istuc est, quod diligentes isti tam crebrò in ludo vapulant? E. Nimiùm argutaris. Sinitne diuitius te dormire? L. Dormire? propemodum ante galli cantum, multa adhuc nocte è somno me Stentoreâ voce excitat. Diebus festis ad quintã, & heyme ad sextam ęgerrimè sinit requiescere. E. Nos, Tiberi, prę Leopoldo beati sumus, quibus conceditur in lucem cubare sæpius. L. Num intelligitis iam verum me dixisse: habere vos pędagogos plus æquo indulgentes? T. Non non: hanc enim, lenitatem, & indulgentiam seueritatibus nonnullus affatim compensant. L. Quibus? T. Proferrem, si ex vsu tuo fore iudicarem. L. Cur non erit? nam hinc me solum miserum esse cognoscam. T. Cogunt in sacris precationibus multum absumere temporis: insolenter, ac rarò permittunt operam dare lusibus: ob leuissimam culpam interdicunt ientaculo: nonnunquam merendam quoque eripiunt: silentium vt Pythagoreis imperant. L. Clementior meus est aliquanto, confiteor. E. At tu paulò antè quasi quendam carnificem ipsum describebas. L. Verum enimuero quod vos de vestris, idem ego nunc de meo: lenitatem vnam tribus seueritatibus compensat. Dies me citiùs relinquat, quàm enumerem quas mihi leges, quàm multas, quàm duras ciuilitatis, & modestiæ imposuerit: quoties apud parentes coram, & per literas

accu-

accusârit. Omnipotens, & misericors Deus, da mihi alium pædagogum. E. Timendum, ne malo peior succedat, eueniátq; tibi, & nobis, si idem quod tu optemus, illa asini calamitas apud Æsopum. L. Quæ calamitas? E. Seruiebat olitori, & quoniam ille præparcè pabulum dabat, multumq; laborare cogebat, precatus est Iouem asellus, vt alteri domino venderetur. Iussit figulo vendi. Hic asinus iniquiore animo gestare cœpit onera, nempe testas, & lutum. Rursus ergo cùm rogâsset, vt sibi dominum liceret mutare, coriario est venditus. Tum peiorem prioribus herum nactus, vidénsque quid ille faceret, cum suspirio: Væ misero, præstabat apud priores manere dominos. Nam hic, vt video, pellem quoque meam conficiet. Consilium meum est, vt cuicuimo di sunt pædagogi nostri, eos toleremus. Et quoniam id quod volumus, fieri nũc haud potest, velimus quod potest: donec, vbi ex ephebis excesserimus, in tutelam nostram veniamus: tunc potestas dabitur viuendi liberius. L. Nunquam vidi melius dari consilium. E. Et isti pædagogi, quod more iam receptum est, fient patres familiâs, ducẽt vxores, quæ nos multimodis vlciscẽtur, & istis maritis suis magnum dabunt malum, postquam illi argento accepto, imperium dote vendiderint. L. Meus si pro peccatis in me commissis centum ducat vxores, parum est.

## ANNOTATIONES.

STentorea voce) *Homerus Iliad. 5. Stentori attribuit vocem ferream, id est, firmissimam, eámque affir-*

*affirmat clamoris magnitudine æquare alios quinquaginta simul. Hinc vox, seu clamor Stentoreus, pro maximo.* Merendam eripiunt.) *Festus. Merendam antiqui dicebant pro prandio, quòd scilicet medio die caperetur. Nonius: Merenda dicitur cibus, qui post meridiem datur. Isidorus lib.20.c.2. Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, & proxima cœnæ. Vide Hieronymum Mercurial. variar.lect.lib.4.cap.17. & Muret.lib.4.cap.12. quoties antiqui cibum in die sumpserint.* Ex ephebis excessimus) ἐφηβία *est finis pueritiæ, principium adolescentiæ, seu extrema pueritia, & prima adolescentia, seu prima pubertas. Terent. Andr. Nam is postquam excessit ex ephebis, liberius viuendi fuit potestas. Eodem modo Plaut. Mercat. Cicer. pro Archia. Nam vt primum ex pueris excessit Archias.* In tutelam nostram veniamus) *Tutela definitur à Iureconsul. vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui se per ætatem defendere non potest, iure ciuili data ac permissa. Quam vim ac potestatem qui habent, tutores appellantur. In suam tutelam venire aut peruenire, est ad pubertatem peruenire. Cicer. 1.de Orat. Negarétque nisi posthumus, & natus, & antequam in suam tutelam peruenisset, mortuus esset, &c. Item 2. de Inuen. Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus autem antè mortuus est, quàm in suam tutelam veniret.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

## Præceptores.

*RVFINVS, SERENVS, FLORENTINVS.*

RVFINVS. Quotus annus voluitur, Serene, cùm limina ludi nobiſcum calefacis? S. Iam octauus inſtat. Vos quamdiu frequentâſtis gymnaſium? F. Ego annis ſeptem. R. Nec pluribus, nec paucioribus ego. Quis autem, qualiſue fuit quem primum es adeptus in patria tua didaſcalum? S. Nomen erat viro: illi nomen erat: iam iam verſabatur mihi ī labris primoribus: ab aſpiratione inchoatur. R. Hieronymus? S. Non eſt. R. Hieremias? S. Non eſt. R. Hilarius? S. Non eſt. R. Henricus? S. Hem iſte eſt: ſatis intra labra atque dentes iacuit. Henricus ergo audiebat: cui indigenæ à promiſſa ad pectus, & rufa barba, ænobarbo poſtea cognomentum indidere. F. Cuias erat? Germanus, Belga, Italus? S. Germanus: &, quod quaſi per nebulam recordor, Miſnenſis: illa enim dialecto loquebatur: molliſſima nimirum, ac ſuauiſſima, qualem teſtantur harum rerum periti fuiſſe linguam Ionū quondam inter Græcos: R. Vbi ſita eſt tua patria? S. Continēs eſt cum terra Miſnia. Pergam, vt exorſus ſum de illo Magiſtro dicere. F. Si moleſtum non eſt.

S. Sta-

S. Statura eius iusta longior: vultus placidus, & mitis. Deduxit domum non multò post, quàm iniuit docendi prouinciam, prędiuitem viduam: etenim in nostra regione ludimoderatores sunt feliciores quàm alibi, quando perfacilè bene dotatas vxores inueniunt. Interpretor hoc dari literarum scientiæ à ciuibus nostris, & in parte beatitudinis numerari à fœminis, coniunctam esse cum erudito homine. F. Quemadmodum Henricus ille puerum te tractabat? S. Primis mensibus amanter, & perhumaniter, postmodum asperiùs, & austeriùs, vt mihi tum videbatur. R. Cur ita? S. Audies. Sodales mihi erant pueriles cœui tres, ciuium primariorum filij, cum ijs me seperatim in humili scamno collocabat: eramus siquidem omnes pusilli, ac teneri. Quoties autem ingrediebatur scholam, toties ferè nos ipsum propter adeò prolixam barbam nonnihil timentes (vt illa ætas metum in se concipit facillimè) placidissimis oculis aspectare, & capita nostra manu demulcere sæpiculè, insuper singulis aut aridas ficus, aut in cucullis coriandri grana, & amygdala saccharo obducta porrigere, hortaríque nos suauiter subridendo, & multa pollicendo, vt discereremus alacriter. R. O dignũ statua Pręceptorem, & cui victus publicè in Prytaneo præbeatur. S. Dissimulabat præterea, si interdum confabulantes cerneret. Scholis finitis, domum suam, quæ in proximo erat, aliquando secum abductos, priuatim docebat: & nunc vuis passulis, nunc scriblitis donatos dimittebat. F. Aureum præceptorem

narras. Nunquámne verò te cecidit? S. Vſque hodie tangit animum memoria illius nefaſti diei. Cùm malè legerem libellum Germanicum, hæſitarémque ad tertium aut quartum quodque verbum ille me obiurgare, ego hærere, pallere tremere. Cùm autem perperam legendi hæſitandíque finem non facerem, afferri virgam iuſſit. F. Oh, tam ſæuiuiter? S. Tum, vt paruulis fieri mos eſt, ſuper genua ſua ipſe ſedens me compoſuit, perinde ac lanius ouiculam iugulaturus, méque graphice profectò tetigit, multúmque eulantem à ſe repulit. R. Ha ha, hæ. Non tu ibi cogitare: papæ, quid hoc prodigij? quæ iſta eſt mutatio? vbi ficus? vbi ſaccharum? vbi ſcriblitæ? vbi tam mellita verba? S. Hæc ipſa voluebam, Ruffine. F. Sed quid ais? Qualis in reliquum tempus in te extitit? etſi ſuſpicione iam præcurro. S. Non ampliùs blandus, ſed rigidus: non pater, ſed triſtis quidam patruus. F. Quoties demulſit caput tuum? quoties munuſcula? S. Hæc omnia in flagella, & verbera conuerſa ſunt. F. Multa ex quo fuerunt commoda, eius æquum eſt ferre incommoda. S. Rides? Meminiſtíne verò tu illius temporis quo rudimenta literarum poſuiſti? F. Valde. S. Similíne modo actum eſt tecum? F. Ah, longè diſſimili. S. Dic, oro. F. Altero ſtatim die cæſus ſum: & ſi cutem meam ſpeculere, nihil te vidiſſe magis lacerum iures. R. Quantum coniectura aſſequor, eras puer nequam, & parum, aut nihil, diſcebas: quandoquidem, vt tute commemoras tam egregiè conſciſſum eſt tibi corium.

F. Tu

F. Tu scilicet in rosa educabare. R. Summùm ter quatérue triennio toto percussum me recordor: nec id tam propter studia, quàm puerilem insolentiam atque licentiam. S. At hoc tempore, estísne adepti Magistros pro arbitrio? R. Diligentissimum scio esse meum: venire in ludum tempori: exigere rationem à discipulis quotidie: docere accuratè: emendare scriptiones sollicitè: tradere pietatem & virtutem: punire fontes pro delicti grauitate: amare, & laudare industrios; hortari segnes & cogere. F. Meus sanè quidem nec omnia hæc, nec nihil horum. Fœcundos calices amat, & inuenitur non rarissimè vino madidus: hoc, si rectè ratiocinor, parum decet. Quod crebrò facit pueris ludendi copiam, non reprehendo; mallem tamen aliquando non luderemus. Scitè dictum: ne quid nimis. S. Nos quali Magistro vtamur in præsens, ex discipulorum doctrina moribúsque puto perspici posse. Quod querar, penitus nihil habeo R. Gratulor tibi tanto bono.

## ANNOTATIONES.

LImina ludi calefacias) *Calent loca, quæ frequentantur. Sueton. Octa. cap. 71. Lusimus per omnes dies, forúmq; aleatorium calefaciamus Verba sunt ipsius Augusti ex quadam epistola Catull. Galliambo. Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida.* Henricus audiebat) *Græci verbum ἀκούειν, adhibent interdum pro vocor, dicor, nominor. Sic Latini, vt Horat. epist. 7. lib. 1. ad Mæcenatem, réxq; patérque Audisti*

coram, nec verbo parcius absens. Idem epist. 16. Tu rectè vivis, si curas esse quod audis: id est: quod Diceris. Deduxit domum) *Ducere & deducere domum ad matrimonium, & nuptias etiam significandas adhibentur. Plaut. Trinum. Numquid caussæ est, quin uxorem, cras domum ducat? Terent. Hecyr. Vt ad pauca redeam, uxorem deduxit domum. Tibul. Vt iuueni primum virgo est deducta marito.* Cui victus publicè in Prytaneo) *Athenis erat domus hoc nomine publica, in qua victus præbebatur ex ærario iis, qui bene meriti essent de Republica. Cic. 1. de Orat. Interrogatus Socrates, quam quasi æstimationem commeruisse se maximè fateretur, respondit, sese meruisse, vt amplissimis honoribus, & præmijs decoraretur, & vt ei victus quotidianus in Prytaneo præberetur.* Tristis quidam patruus) *Patrum in filios impotentem amorem ignorat nemo. Patrui verò, tametsi fratrum suorum liberos ament, illo tamen vehementi affectu sunt liberi, nec quemadmodum patres ad filiorum, sic illi ad nepotum suorum peccata conniuent, neque ea dissimulant, sed seuerè, & acriter reprehendunt, incorruptéque de actionibus ipsorum indicant. Vnde factum vt nomen patrui pro obiurgatore, castigatore, reprehensore seuero & acri poneretur à Latinis. Cic. pro Cælio. Qui in reliqua vita mitis esset, fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, Magister. Horat. Sat. 3. lib. 2. Siue ego prauè, seu rectè, ne sis mihi patruus. Et ode 12. lib. 3. patruæ verbera linguæ, vide epist. 2. lib. 2. ad Att. & in eam Manut. Lambin. in Horat.*

PRO-

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM OCTAVVM.

## Auctores ſcholaſtici.

### *VENANTIVS, FLORIANVS, EPIPHANIVS.*

VENANTIVS. Triennium elapſum eſt, niſi quid erro, ex quo in iſta Principiorum ſchola ſeſſitas Floriane, prima, inquã, grammatices, id eſt, poſtrema, & infima omnium. Ecquid ſtudes? F. Quamobrem non potius decennium dicis, maior vt eſſet annorum numerus, atque vt magis falſum diceres, quoniam tibi voluptati eſt veri aliena effutire? E. Biennium effluxit, hoc ſaltem non refutabis. F. Etiam tu delicias faxis? proximo Octobri annus vnus cum ſemeſtri abſoluetur: diutius non fui in eo gymnaſio: & me breui condiſcipulum tuum, Venanti, viſurus es: ſic enim augurat animus. V. Meus certè non eris: nam ego me Epiphanij futurum diuino. E. Non es futurus profectò: ego enim in ſcholam Humanitatis euolabo. V. Si modò qui examinabunt, alas tibi non interuellerint: aut ſi illas calor ſolis, vt quondam Icari, non liquefecerit. E. Tam dignus illa ego, quàm mea tu. V. Res ipſa documentum dabit. Tu, Floriane, in quibus interrogaberis ab ijs, qui eo tempore cognitionem

puerorun explorabunt? F: In ijs, puto, quæ doceor. E. Et quæ sunt illa? F. Rudimenta. V. Verrepęi, an Valerij, an Emmanuelis? F. Emmanuelis. Deinde epistolæ selectæ, breuissimæ, illę Ciceronis, districha Catonis, & Institutiones Christianæ fidei. V. Hi sunt auctores tui? F. Hi sunt. E. Quid Venantius hoc anno audiuit? V. Quæ quot annis ferè traduntur. Grammaticam Emmanuelis, quàm Prœceptor commendat mirificè: eiusdem syntaxeos epitomen, selectas Ciceronis. E. Pauca sunt hæc. V. Multa satis mihi quidem. De tuis velī cognoscere, vt libros comparare possim, quomodo arma ante bellum miles. E. Eme Ouidiũ de Tristibus. T. Mallem de Hilaribus, nam meopte nutu tristis esse soleo. E. At nihil illa Nasoniana tristitia lætius, nihil iucundius, quod experieris. Adde epistolas ad familiares, Catonem siue Lælium, & libellum de octo partibus orationis apud Græcos. V. Heu, statui non discere Græca. E. Debebis volens nolens, non erit hoc arbitrarium. V. Non possum: semper ab ista carnificina longissimè ratio voluntasque mea abhorruit. E. Et ægri ab amaris, at salutaribus potionibus abhorrent. V. Quid præter hæc explanatur? E. Prosodia Emmanuelis. V. Optimè: versus factitare cupio, prosodiam non ingratis discam. F. Si frustra emeris hos libros? E. Minimè frustra: vtetur quippe anno nonagesimo, si hoc imminente non vtatur. V. Ad nihilum cauilli tui recident Floriane: scio te id nolle: ascendam tamen ego, si me Superi adiuuant. E. Si doctrina tam incensæ cupiditati responderit,

non

non negauerim futurum de quo nec hilum dubitas. V. Mitte curas. Num quem alium mihi mercandum censes? E. Adrianum Cardinalem, Farraginem sordidorum verborum, Scopas latinitatis, Aduerbiorum connubia, Epitheta Ciceronis. Vtiles tibi hos sensisti? E. Vt nihil possit suprà. Tu quoque, Floriane, cura vt instructus sis à libris. F. Pædagogi hoc munus est, ipse curabit, ego sine cura sum:

## ANNOTATIONES.

AVctores scholastici) *Solent quidam eruditi cùm de illis quasi præstantissimæ, ac vetustissimæ notæ scriptoribus loquuntur, eos nominare auctores, & scriptores classicos. Aptè, & elegãter vtiq; id quod ex Gellio licebit discas lib. 7. cap. 13.* Vt Quondam Icari) *Fabula de volatu Dædali, & Icari eius filij est in 8. Metamorph. Mare in quod decidit, Icarium nomen obtinuit. Ouid. Trist. lib. 1. eleg. 1.*

*Dum petit infirmis nimiùm sublimia pennis*
*Icarus, Icarias nomine fecit aquas.*

*Monendi sunt mihi vno verbo Magistri, vti ne temere quenquam auctorem suis discipulis interpretandum suscipiant, & cogitent, vina recentia dulciora, vetusta autem salubriora esse. Deinde videant etiam quos libros emant pueri, ne dilapident. pecuniam Ipsi se interrogari super ea re iubeant, & quàm vtilissimos emendos suadeant. Quod quidem difficile non erit ijs, qui in multis libris diu volutati fuerint.*

# PROGYMNASMA SEPTVAGESIMVM NONVM.

## Formulæ ſalutandi, & valedicendi in congreſſionibus atque literis.

*CLAVDIVS, ALBINVS.*

CLAVDIVS. Quandoquidem latinitatis peritia multis partibus iam diu factum eſt poſt quam me vincere cœpiſti, rogo atque oro, ſi commodum eſt, da mihi paulum operæ. A. Vel multum, ſi id rationibus conducat tuis. Nolo tibi vllum commodum in me claudier. C. Vt ſi quidquam aliud: ne dubitaueris: Sed hoc die, quoniam te vacuum offendi, vnum quiddam me doceri peropto. A. Quid eſt illud vnum? C. Tritiſſimùm cùm ſit, ita ſalutare, factos obuiam, & in congreſſu: bonus dies, bonus veſper, bonum mane, bonum ſerum: & reſpondeatur ſalutantibus, Deo gratias. Item in digreſſu ſub noctem, cùm his verbis bene precari ſoleamus: fauſta nox, felix nox, reddaturque idem reſponſum, more patrio videlicet, *guten Morgen*, *guten Abendt*, *gute Nacht*, *danck euch GOTT*, iis autem formis loqui neceſſitas nulla cogat, latinisque auribus ingratiſſimum ſit: quo pacto

tum,

tum ſalutando, tum valedicendo; ſiue cùm in alicuius colloquium congreſſumque veniendum eſt, ſiue alicui ſcribendum, nos geremus? Non enimme latet, ſolere te ſtudium acerrimum ponere in notãdis huiuſmodi latiniſmis, cùm inter legendum occurrunt, aut à Magiſtro inculcantur. A. Haud equidem me tanto dignor honore. Nihilominus, quia tu hoc à me candidè petis, & poſſe me tibi commodare iudicas, parebo voluntati tuæ, mi Claudi, neq; te quidquam celabo eorum, quæ in præſentia, nihil tale prouidenti memoriam ſubierint. Hoc tenebis primum, non ſemper opus eſſe reſponſione cùm ſalutamur: & interdum ſalutantem non reſalutari, verùm reſponderi aliquid aliud, quod ille libens, ac volens audiat. Eſt quando ſalutationi quæſtiunculæ quædam adijciuntur, de valetudine præſertim: nonnunquam reſalutantes etiam interrogatiunculam annectunt. Hæc omnia exemplis declarabuntur: tu auritum te facito.

*Salue.* Reſpon. *Salue.*

*Salue Ioannes.* R. *Et tu Paule.*

*Salue.* R. *Et tu.*

*Myſis ſalue.* R. *O ſalue Pamphile.*

*Salueto.*

*Salueto: quid agis?*

*Mater mea, frater mi, ſalue.* R. *Salue fili, ſalue mi frater.*

*Antoni ſalue.* R. *Salue Paule.*

*Salue oculiſſime homo.*

*Iubeo Chremetem: ſubaudi, ſaluere.*

O Ia-

*O Iacobe ſalue.* R. *Saluus ſis Corneli.*

*O ſalue bone vir.* R. *Hem, Simo. O noſter Chreme.*

*Mi patrue ſalue.* R. *Salue.*

*Curculio exoptate ſalue.* R. *Salue. Saluum te aduenire gaudeo.*

*O noſter Chremes.* R. *Salue Geta.*

*Salue Andrea.* R. *O nutrix, ô mea nutrix.*

*Salue mi germane.* R. *O ſoror mea, quid agitur?*

*Salue optate gnate mi.*

*Saluum te aduenisſe gaudeo.*

*Venire te ſaluum volupe eſt.* R. *Credo, quid agitur?*

*Here ſalue, ſaluum te aduenisſe gaudeo.* R. *Oh, bone cuſtos, ſalue.*

*Plurimâ ſalute Parmenonem ſuum impertit Gnato: quid agitur?*

*O mi exoptate Clinia, ſalue.* R. *Vt vales?*

*Georgius plurimùm iubet ſaluere Stephanum.*

*Iubeo te ſaluere.*

*O pater, pater mi ſalue.* R. *Salue multùm gnate mi.*

*Charmidem ſocerum ſuum Lyſiteles ſalutat.*

R. *Dij dent tibi Lyſiteles quæ velis.*

*O Thraſo.* R. *Saluete.*

*Amphitruo vxorem ſalutat lætus ſuam. Valuiſtin' vſque? exſpectatúſne aduenio?*

*Saluus atque fortunatus Euclio ſemper ſies.* R. *Dij te bene ament Megadore.*

*O amice, ſalue, atque æqualis mihi: vt vales Ambroſi?* R: *Et tu.*

*Salue Gregori, Valen', Valuiſtin'?* R. *Valeo, & valui rectiùs.*

Mi

*Mi homo, & mea mulier, ego vos saluto.* R. *Et nos te.*

In Andria Crito cum salutâsset ancillam, & ab ea fuisset resalutatus, subijcit secunda interrogatione. *Quid vos? quo pacto hîc? satísne rectè? M. Nósne? sic, vt quimus aiunt, quando vt volumus, non licet.* Quærebant etiam, *Satin' salue?* Exempla sunt apud Liuium. C. Habeo salutationum rationes: nunc quibus verbis valedicendum sit quæro, quocunque diei aut noctis tempore. A. An potest vlli quidquam optari melius integra valetudine? qua nihil maioris æstimandum vita humana complectitur. Itaque has ferè formas inuenio.

*Bene vale.* R. *Et tu.*

*Vale.* R. *Et tu bene vale, Martine.*

*Vale.* R. *Et tu frater.*

*In hoc quatriduum Antoni vale.* R. *Mi Georgi, & tu: nunquid vis aliud?*

C. In extremis epistolis quonã modo valedicemus?

A. *Vale.*

*Da operam, vt valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.*

*Tu me diliges & valebis.*

*Cura, si me amas, vt valeas.*

*Vale, & matrem meósq; tibi commendatos habe.*

*Me velim, vt facis, diligaas, valetudiniq; tuæ & tranquillitati animi seruias.*

*Valebis, meq; vt à puero fecisti, amabis.*

*Ama nos, & vale.*

*Cura, vt vales, & me, vt amas, ama.*

*Bene vale, me dilige.*

Fat

*Fac valeas, méque ames.*

*Fac valeas, méque mutuò diligas.*

C. Vbi tam multa, tam varia legisti? A. In epistolis M. Tullij: ac miror te interrogare. C. Quid si ad amicos, & consaguineos scribemus, quibus tum vocibus vtendum censes? A. Nullus hac in re præstatior magister eodem Cicerone, ex cuius epistolis quædam exempla tibi recitabo, quorum similia licebit excogites, cùm vsus venerit.

Ad vxorem, & liberos,

*Valete mea desideria, valete.*

*Vale mea Terentia.*

*Mea Terentia fidissima atque optima vxor, & mea carissima Tulliola, & spes reliqua nostra Cicero, valete.*

*Vos, mea suauissima, & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate vt valeatis.*

*Etiam atque etiam vale.*

*Tu velim tuam, & Tulliolæ valetudinem cures.*

*Valetudinem tuam cura diligenter.*

*Fac vt tuam, & Tulliæ valetudinem cures.*

*Maximè autem date operam vt valeatis, si nos vultis valere.*

*Cura vt valeas, & ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, neque vnquam fuisse.*

Ad Q. Fratrem.

*Reliquum est vt te orem, vt valetudini tuæ, si me & tuos omnes valere vis, diligentissimè seruias.*

*Cura mi frater vt valeas.*

*Fac mi frater vt valeas.*

*Vale*

*Vale mi optime, & optatissime frater.*

*Mi frater vale.*

*Te oro etiam atque etiam mi frater, vt valeas.*

*Cura mi suauissime, & carissime frater, vt valeas.*

*Vale mi suauissime, & optime frater.*

Ad T. Pomponium Atticum.

*Cura vt valeas, & nos ames, & tibi persuadeas, te à me fraternè amari.*

*Cura vt valeas,*

*Etiam atque etiam vale.*

Ad Tironem.

*Cura vt valeas etiam atque etiam Tiro noster.*

*Quantum me diligis, tantum fac vt valeas: vel quantum te à me scis diligi.*

*Ama nos & vale.*

*Cura te etiam atque etiam diligenter.*

*Cura mi Tiro vt valeas.*

C. Expone hoc loco, si placet, qua ratione in extremo literarum, aliorum nomine salutare, nos oporteat.

*A. Saluebis à Cicerone, salue à Petro, salutat te Cicero meus. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Tullia tibi plurimam salutem adscribit. Terentia te salutare iubet. Cicero te salutat. Terentia tibi salutem. Terentia impertit tibi multam salutem. Domus te nostra tota salutat.*

C. Quonam modo, quibus verbis quosdam salutabimus per eum, ad quem damus literas?

A. *Tulliolæ & Ciceroni salutem dicito. Multam salutem Filiæ. Dionysio plurimam salutem. Atticæ pluri-*

*mam*

*mam ſalutem velim dicas. Dionyſium iube ſaluere. Dionyſium velim ſaluere iubeas. Iubebis meo nomine ſaluere Paulum. Ex me ſalutato Præceptorem tuum. Saluta meis verbis Ioannem. Salutem Marcello. Salutem dic Petro meo nomine, quem ego in oculis fero. Molinio meo multam ſalutem. Salutem quibus videbitur. Saluta tu mihi iſtic quos videbitur, Contarellum præcipuè, & Gerardum. Communibus amicis à me multam ſalutem.*

C. Cumulatè omnem deſiderij mei exſpectationem expleuiſti. A. Volui id quidē efficere certè, & lætus ſum ſi, quod volui, aſſecutus ſum. C. Arctiore vinculo tibi me aſtrinxiſti, vtinam hoc meritum in me tuum referenda gratia aliquando conſequi poſſim.

## ANNOTATIONES.

QVas *tu hic legis ſalutandi reſalutandiq; formulas, non collegi nunc primùm omnes, collegi tamen aliquas, ſed annum abhinc plus duodecimum alia occaſione, & alibi à me comportatas, & digeſtas, hunc in locum hoc tempore transferendas exiſtimaui. Non poterit autem quiſpiam conqueri de paucitate, nec elegantiam reprehendere: ſunt enim Terent. Plaut. Cic & eloquentiſſimorum hominum.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM.

## Cupiditas proficeindi.

PELA-

PELAGIVS, SISINNIVS.

PElagius. Malè eſt ſodali tuo Siſinni. S. Malè? quî iſtuc, mi Pelagi? Deum oro vt bene ſit potius. Verùm enuntia, cur ſecus eſt quã volumus? Quid tibi malæ rei euênit. P. Quoniã quod natura & voluntate facio libentiſſimè, id facere quantum velim haud permittor. S. Age, proloquere, quid illud? P. Diſcere. S. Quis mortalium præclaros conatus tuos, & incitatos ad laudem impetus retardat? P. Familia negotioſa, inquieta, turbulenta. S. Non habet pater tuus aliquod vltimis conclaue in ædibus, quod tibi attribuat? P. Hyeme vix habet: domus enim noſtra non eſt tam multis conclauibus, & hypocauſtis: tum ligna ſtant magno. S. Experimur nos idem incommodum. P. Ergo in eodem hypocauſto diuerſantur ſerui, ancillæ, infantes: quorum inconditis clamoribus perturbatur animus, & ab eruditis cogitationibus aliò auellitur, atq; abſtrahitur. S. Tuarum fortunarum me miſeret. Non te pater aliquò mittere deliberauit extra ſolum patrium? P. Anno futuro, quod Deus proſperè euenire iubeat, Dilingam mittet: ibi in ſpe ſum, me quiete optata potiturum. S. Habéſne in manu cætera quæ deſideras? P. Nullo modo. S. Cur? P. Quòd multò manè vetor ſurgere: timent enim parentes valetudini meæ. S. Quàm manè cuperes? P. Hora quarta æſtate, quinta hyeme. S. Ætas imbecilla non ferret. Et cur tam maturè? P. Quòd duas tréſue horas ante ſcholam poſſẽ repetere, ediſcere, ſcribere, legere: matutinũ quippe tempus percommodum eſt hiſce rebus:

nec

nec mihi nõ audita eſt vigilantia Demoſthenis, qui dolere ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria. S. Sufficit horam impendere. P. Tibi quidem adoleſcenti ingenioſo, & fideli memoria: at non ei qui hebetior, & obliuioſus ſit. S. Quin me anteis vtroque. P. Ingenium ac memoriã creare mihi non poſſum: diligentia velim cedere nemini. S. Tantoperè adamâſti ſtudia? P. Vt nihil ardentiùs in vita. In hiſce omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem omnem fixi & locaui, ſapientia quippe cæleſtes, immortaléſq; diuitiæ. S. Quoties non obijſti ludum toto anno? P. Nec vnam hebdomadem Siſinni: hebdomadem autem? nec vnum diem: quid diem? nec vnicam horam abfuiſſe me tam certum ſcio, quàm me tecum modò congredi. S. Rarum decus. Quoties cęſus? P. Cęſus? nunquam. S. Obiurgatus? P. Nunquam. S. Cõmendatus? P. Quod apud amicum effari liceat, ſępiſſimè. Hoc ego ſtimulo non ad ſtultam arrogantiam, ſed ad maiorem induſtriam excitor; nec conſiderare ſoleo, quàm longè à carceribus proceſſerim: ſed quàm procul adhuc à metis abſim. S. Laudo: hoc virtutis opus. P. Si pedem alterum in ſepulchro haberem, adhuc diſcerem, vt ille de ſe prędicabat. S. Fruſtra te rogem, quo pacto tempus tranſmittas, cùm tam inflammatam doctrinę cupiditatem in te videam. P. Vt fatear verum, ludis & otio parum apud me loci eſt. S. Illuſtrabis familiam tuam. P. Faxit Deus, quem ego prędidem & auſpicem mearum literarum in dies ſingulos piè ſanctéque veneror, & cœleſte

leste ipsius auxilium certis precationibus flagitare, non desisto: S. Accessi ad ignem tuum, Pelagi, iam caleo plus satis.

## ANNOTATIONES.

QVorum inconditis clamoribus) *Senecæ epistolæ 62. etiam negotiorum tractatione sua studia cogitationésque affirmat minimè impediri: quod paucissimis arbitramur esse concessum. Verba eius subscribam. Vaco, mi Lucili, vacò: & vbicunque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, sed commodo: nec consector perdendi temporis caussas, & quocunque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in animo salutare verso. Cùm me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, cum quibus me tempus aliquod congregauit, aut caussa ex officio nata: sed cum optimo quoque sum: ad illos in quocunque loco, in quocunque sæculo fuerint, animum meum mitto. Audiamus etiam Quintilianum lib. 10. cap. 3. Silentium, & secessus, & vndique liber animus, vt sunt maximè optanda, ita non semper possunt contingere, ideóque non statim, si quid obstrepet, abiiciendi codices erunt, & deplorandus dies, verùm incommodis repugnandum, & hic faciendus vsus, vt omnia, quæ impediunt, vincat intentio. Quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quæ oculis vel auribus incursant, ad animum perueniet, &c.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM PRIMVM.

## Munditiæ librorum.

*AMANTIVS, MANSVETVS.*

AMantius. Si incumbere in libros, eſt cubito ſupra eos depoſito niti, haud memini videre, qui magis incumbat te vno, qui Emmanuelem, & alios codices tuos propè iam incumbendo contriuiſti. M. Aſſiduitas hoc intetrimentum attulit, non cubitus. A. Quid? Iſta aſſiduitas in meo cur non ſic apparet? Præterea, quàm ſunt commaculati intus & foris tui? quàm habent oras paginarum infimas, & ſummas introrſus flexas? quas auriculas aſinorum ſolemus vocare. Itáne eſt vt loquor? M. Tu aliquod artificium calles, vt videtur mihi adhuc ignotum: quod vbi didicero, habebo libros mundiores, minúſque tritos. A. Nullum teneo artificium, omitte iocationes: munditiam librorum perinde vt corporis totius amo, & complector. M. Quid tam te miſeret librorum meorum? quid tam mirum in modum ſollicitus es? breui nouos emam. A. Si ſanus es mentis, quare mauis prodigere pecuniam, quàm deponere ruſticitatem, & negligentiam? M. Eho, tu vt mihi ruſticitatem in probri loco obiectes? A. Non enim eſt vrbana elegantia: hoc quamuis iniquo iudice probauerim. M. Quid tibi mecum eſt negotij?

cura

cura tuos. A. Id ego ago: verumtamen odi malè sordes istas in alijs quoque. Phuy, quàm habes item digitos atramento fœdatos, os similiter denigratum: vt non iniuria suspicetur aliquis, te atramentum bibere solitum. Cur non caues? cur non aqua purgas? M. Indicia, & vestigia sunt hæc diligentiæ magnæ, & laboris. A. Pigritiæ magnę, torporis: oportebat alioqui diligentes fieri immundos atque sordidos. M. Desine mihi exhibere molestiam, si sapis. A Tracta libros humanitùs, aut dicam tibi diem. Scis Magistrum in huiusmodi peccata æquè, vt in discendi socordiam acrem se præbere vindicem. M. Crimine vacare debet, qui in alterum paratus est dicere. A. Quid istuc? M. Non deerit vnde tibi parem mensuram remetiar. A. Minæ istæ nihil sunt nisi minæ. Vale sordide. M. Vale nitidiuscule.

## ANNOTATIONES.

NOn *placent, qui nimis diu nimis mundos, ac nitẽtes habent libros suos: id enim argumentum est, parùm sæpe, ac multum ab eis lectitari libros. Quod si fieret, contererentur etiam, ne dum, vt munditiam suam perderent. Nec tamen si egregiè intus foríque, & spurcissimè contaminati sunt, statim est colligendũ, id ex frequenti vsu, & euolutione accidisse, & quod est puerorum vitium, id etiam grauibus viris tribuere: nihil posse sine sordibus diu conseruare. Laudandi præterea non sunt quidam, qui, quamuis ijs non vtantur, aut mense toto vix semel, noctes tamen, & dies apertos in scamnis, in mensis, pluteis iacere, & pul-*

*neribus inquinari sinunt. Vnusquisq; artifex supellectilis suæ curam diligenter gerit, suaq; instrumenta, si possit, recentia semper habere velit: & studiosus literarum tam elegantia, & pretiosa instrumenta, vnde non ferreum aliquod, lapideum, ligneúmue, sed eruditio comparatur, nihil pendet?*

# PROGYMNASMA OCTVAGESIMVM SECVNDVM.

## Academia.

### PANCRATIVS, TORQVATVS.

PAncratius. Quod precatus sum à Deo, & à parentibus sæpe multúmq; contendi, vt à triuiali gymnasio remotum me in aliquam Academiam & in hanc potissimùm, tanquam ad mercaturā eruditionum virtutúmque clarissimarum amandarent, eius me compotē aliquando factum in sinu gaudeo Confido inanem me neutiquam rediturum, dedecorantem Præceptores meos, & mœstitudine luctúque complentem parentes, qui suæ dignitatis spem in me collocauerunt, statuúntque ipsorum me vrgenti iam senectuti multa solatia daturum esse. T. Quin præstiturus sis, quę indolem tuam egregiam condecent, & quæ parentes ambo expectant, non mihi datur vlla dubitatio. Argumentum verò gaudendi idoneum, & iustum. Etenim etiamsi quis Ci-

cerone

cerone eloquentior, Aristotele doctior euaserit, idque, vel domesticis vsus Præceptoribus, vel in istis scholis, (quibus quoniam in triuijs, hoc est, passim aperiuntur, triualibus vulgò nomen est) nunquam gloria circumfluet, nisi eum in alicuius Academiæ luce versatum cõstiterit. Opinantur enim homines, ibi pæne solùm (procliuiùs quidem certè) ad solidę, perfectæq; sapientię diuitias peruenirì, vbi Doctores, & multi, & optimarum artium studijs politissimi ex Regum, & Principum ærario stipendijs liberalissimis aluntur, & exercitationes disputationum, repetitionum, scriptionum, sermonis item Latini & Græci, diuersarum tractatio disciplinarum, æmulatio inter adolescentes eandem scientiam excolentes (quod ad progressum vehementer conducit) maximè vigent. P. Sic arbitror: cùm hoc ipsum animaduerterent Principes, & præterea secum attentè reputarent, quantum interesset Reipublicæ, vel potius vniuersi orbis terrarum, quàm plurimos viuere abundanti doctrina homines, in suis prouincijs atque regnis Academias, tanquam publicas, & communes diuinæ humanæque sapientiæ officinas idcirco instituere voluisse. T. Idem ego sentio prorsus, & sentiam. Quis autem est, in quo aliquod probitatis lumen eluceat, qui tantoperè à maiorum curriculo deflexum esse dolenter non ferat? & nunc in istis sacrarijs atque templis religionum, virtutum, scientiarúmque tam multos cerni otiosos, tam multos inertes, poculis, impurę libidini cæterisque criminibus, & voluptati immersos? P. Sę-

pe interfui querelis grauium virorum, iſtam rerum cõuerſionem deplorantium. Quare initio affirmabam, efferri me lætitia, quòd huc eſſem miſſus: hæc ſiquidem Academiam præclaram ſibi famam lõgè latéque confecit: & à morum pietatiſque diſciplina celebratur: ad quam proinde, qui filijs ſuis bene cupiunt, eóſque Chriſtianis inſtitutis formari deſiderant, eoſdem tranſmittere ſolent. T. Si iſti commendandi ſunt, vti ſunt, malè merentur de liberis, qui eos mittũt, vbi Catholicę veritati nefarium atque impium bellum indicitur: vbi, vt literas percipiant, pietate quidem nulla excoluntur, & quam attulerunt Catholicam religionem, ægrè tuentur, facilliméque prauiſſimarum ac letalium opinionum commentis ad exitium præcipitantur. P. Ipſi viderint quid Deo rationem repoſcenti reſpondeant: præſertim quando Orthodoxæ in Germania Academiæ non deſunt. Porrò me frequenter cupido inceſſit, eiuſmodi librum volutandi, in quo de Academijs ageretur: ſi in talem ícideris, mone me, quo eum vel emam, vel ad tempus à te mutuum ſumam, & ita diuturnam hanc ſitim meam reſtinguere queam: hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. T. Inueniſti quod quæris. P. Euax, inueni? T. Sequere me in bibliothecium meum, ibi monſtrabo, & commodabo etiam quod optas. P. O fortunatum hunc diem. Haben' tu illum librum? T. Libros dic: nam duo ſunt. P. Cuius auctoris, & quales? T. Iacobi Midendorpij Iureconſulti, non indocti hominis, multæque lectionis. P. Quid alter differt ab altero?

T. Pri-

T. Primus continet celebriores Academias orbis terrarum, institutiones, incrementa, interitus, progressus, & plurima demum, quæ in Academijs fieri obseruarique consueuerunt. Alter historiam Academiarum orbis Christiani, & ingenuis liberalitérque educatis adolescentibus dignam sanè eruditionem complectitur. P. Beâsti. Eamus ad te. T. Eamus. P. Maiore opera ad eosdem legendos me dedam: sic stat sententia.

## ANNOTATIONES.

*OPtare debent adolescentes in Academias mitti, sedad discendum, non ad ludendum, noctúque obambulandum: ad disciplinam, non ad licentiam. Non est laudabile in multis, & illustribus Academijs fuisse: sed vel in vna bene profeciſſe, hoc predicatione dignum est. At nunc inueniuntur, qui nulla re meliores, sed tantummodo seniores ibidem fiunt. Spero deplorationem nostram in dialogo, & querelam de Academiarum corruptelis cordatis viris non improbatum iri. Et quoniam mihi pulchrum est visum, studiosos cognoscere res Academicas, indicaui auctorem, qui distinctè, copiosè, & eruditè hoc argumentum pertractauit.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM TERTIVM.

## Honores Academici.

## MARTYRIVS, SMARAGDVS.

MArtyrius. Quòd aſpectauerim te aliquoties circumferentem libellum ſententiarum Ciceronis, forma permodica (typographi ī decimo ſexto vocant) & typis Plantinianis, quorum eſt in hoc genere præcipua commendatio: eam opinionem imbibi, eius lectionem pergratam, perque iucundam tibi ſolere contingere. S. Et perutilē, Martyri, quod creberrimè experiundo probaui. M. Recita dum vnum aliquod axioma, ſeu pronunciatum. S. En Tuſcul. 1. *Honos alit artes, omnéſque incenduntur ad ſtudia gloria, iacéntque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur.* M. Vera effatum quis neget virum ſapientiſſimum, & Romanæ eloquentiæ principem? Atque hanc eandem ſententiam millies cantatam audiui in creationibus Baccalaureorum, Magiſtrorum, Doctorum, quas Promotiones nominare mos iam antiquus, & vulgaris eſt. S. Ibi potiſſimùm locus fuit, & eſt, meo iudicio, iſta ſimiliáque proferendi. M. Cur tandem? S. Quòd eos honores inprimis ſibi proponunt plerique, qui ad ſapientiæ ſtudia ingrediuntur: quorum adeptione velut gradus parant, viámq; ſibi muniunt qua ad ampliſſimas dignitates, tum ī Eccleſiaſtica, tum in ciuili Republica proueh antur. M. Res iſto modo ſe habet. Nec mirum tamen, artes ingenuas ſine ſpe ſingularium præmiorum non coli à multis, cùm vix vnum, alterúmue inuenire detur, qui virtutem, qua conſtat nihil eſſe honeſtius, nihil amabi-

lius:

lius: propter ſeipſam amplectatur. Et ſurdis canit poëta neſcio quis: Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces. S. Eſt verò honeſtiſſima merces honor, & in eo omnes nationes concordiſſimè conſpirant, atque conſentiunt: quocirca, qui illam affectant, citiùs in laude ponendi ſunt, quàm qui eſuriunt pecuniam. Diuinè, vt omnia. M. Tullius in Off. Nihil eſt tam anguſti animi, támque parui, quàm amare diuitias: nihil honeſtius magnificentiúſque, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas ad beneficentiam liberalitatémque conferre. M. Ex eodem nobiliſſimo ſcriptore mihi occurrit illud: Inſignia virtutis multi ſine virtute aſſequuntur. Quod pro certo in iſtis quoque ſcholaſticis ornamentis valere debet: vt exiſtimemus nimirum, non omnes Magiſtros eſſe Magiſtros: ſiquidem non omnes qui habent citharam ſunt citharœdi. S. Hi faciunt, vt inaugurationes iſtæ vileſcant, & per ſummam inſcitiam ac temeritatem ſuam non mediocria in ciuitates detrimenta important. M. Probas mihi iſta quæ dicis. Quot ſunt autem ordines ſiue gradus iſtarum dignitatum? Præter Baccalaureos, Licentiatos (quos Promagiſtros, ſeu Mellodidaſcalos mallent quidam nominare) Magiſtros, & Doctores, mihi quidem nulli videntur. S. Quo pacto nulli? Eſne tu Studioſus? M. Studioſus, vt ſi quiſquam alius. S. Eſtne iſtuc honoris vocabulum an minùs? M. Si negem, tu me iure optimo de mentis poteſtate exiſſe dicas. S. Eſt ergo alius gradus, & quidem primus omnium, ſine quo (in Academijs

præcipuè

præcipuè germanicis) nulli fas eſt illos, quos ſuprà recenſebas, aſcendere. M. Da veniam, non cogitâram. Supereſt igitur, vt Baccalaureatum mediter, quando quidem beaniſmo exutus, & abſolutus, in numerum Studioſorum iam pridem cooptatus ſum. S. Meditare, licet: ſed caue ne tu quoque vnus de illis reperiare, qui hoc inſigne virtutis ſine virtute aſſequuntur. M. Cauebitur. Nunc velim, quod ſine magno labore tuo fiat, rationem iſtorum vocabulorum explices, ſi poteris, & ré breuiter, ac perſpicuè definias. S. Añitar ſanè, vt poſtulatis tuis faciam ſatis. Beani nomen vnde procuſum, & quare huc translatum ſit, neſcire me confiteor, nec me huius inſcientiæ pudet. Vſurpatur autem de ijs, qui quaſi profani adhuc, & Muſarum ſacris initiati nondum ſunt, de tironibus nouitijſqúe ſcholaſticis. M. Probè intelligo. Nunc de Baccalaureis age. S. Pedibus eo in ſententiã docti cuiuſdam viri, qui hanc vocem à militia deductam credit. Gallorum enim veteri lingua battalum prælium, & battalarios tirones milites, quippe caſtra ſequi, & militiæ exerceri cœpiſſent, ac ſemel manum cum hoſte conſeruiſſent, nominatos: hinc poſtea in Academia Pariſienſi per antiqua, vbi hę promotiones videntur natæ, Battalarios appellari ſolitos, qui in ſtudijs ingenuarum artium quaſi tirocinium poſuiſſent, & publicè diſputando ſpecimen eruditionis ſuæ præbuiſſent, atque ita tanquam cum hoſte iam conflixiſſent. Quod ergo de bacca, & lauro alij philoſophantur, friuolum eſt ac nugatorium. Laurus, id eſt, coro-

na

na è lauri folijs contexta, debetur poëtis tantùm (de doctis loquor: nam quis ignorat etiam Imperatorum, & militum triumphantium esse lauram?) præterea nullis: idque ob certas causas, quarum hîc non est necessaria commemoratio. Ceterùm consuetudo, & ignorantia, vt alias innumeras, sic istam vocem deprauauit, ac pro Battalarijs, Baccalarios, deinde Baccalaureos in sermonem Latinum induxit. M. Haud displicet opinio tua. Quis igitur erit Baccalaureus (retineamus vocem vsitatam, ne res nouas molliri videamur) quis inquam, erit inter literatos? S. Qui confecto liberalium scientiarum tirocinio, publicum progressûs sui testimonium, hócque ipsum nomen in consessu, & frequentia Academica est consecutus. M. De Licentiatis sequitur, vt differas. S. A licentia deflexum est nomen, quòd illis liceat summam dignitatem petere, & consequi cùm voluerint. Aptiùs Magistri, seu Doctores designati appellarentur, quæ potest eorum haberi definitio, vt agamus pingui Minerua, & paucis. M. Magistri nomen aueo nôsse vnde extiterit. Quidam volunt à magis, & ter, quod nempe Magister emineat super alios eruditos ter. S. Apage cum notatione ista tam ridicula. Magistri Iurecons. sunt, penes quos prȩcipua rerum cum est. Hinc dicti magistratus. Festus magistros appellatos docet, quod cȩteris magis possunt: vel quod magis quàm cȩteri diligentiam, & sollicitudinem rebus quibus prȩsunt debent. Nec solùm in scientijs liberalibus dicuntur aliqui Magistri, id est, præceptores, & do-

ctores: sed etiam in alijs rebus permultis: nempe Magistri pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, conuiuiorum, equitum, qui pagis, societatibus, vicis, collegijs, conuiuijs, equitibus prę sunt, & præfecturæ illæ, magisteria. Vnde magisteria municipalia apud Suetonium in Augusto. Et in Catone, cùm de conuiuijs loquitur Cicero: Me verò magisteria à maioribus instituta delectãt. Et magistrare Festo est moderari, regere, temperare. Itaque illud, ter, nihil video aliud habendum, quàm adiectionem syllabicam, vt loquuntur Grammatici: sicut fit in meditullium, quod significat medium: inqua voce, tullium, nihil est: & pari ratione in alijs quibusdam vocibus. Finiemus autem Magistrum: cui decursis Philosophiæ, & artium septem spatijs, ritè, ac solemni cærimonia hoc nomen est impertitum. De Doctoribus, siue illi Iuris, siue Theologiæ, siue Medicinæ sint, facile ex his quid sentiẽdum sit, colligetur. Sed intra carceres reuocanda est aliquando oratio. Si quid, vel nunc desideras, vel aliàs super his rebus desiderabis, à doctioribus, & dialecticis petes. M. Impleuisti expectationem meam, eríque in posterum mihi, & propter facilitatem tuam carior, & propter doctrinam venerabilior.

## ANNOTATIONES.

*DE honoribus istis scholasticis, siue, vt more iam receptum est loqui, de promotionibus, multa cap. 7. libro Academiarum Midendorp. Rationem insignium istorum accipiendorum, & honorem denique cum victo-*

*ribus*

*ribus apud Olympum coronatis comparat Iunius lib. 5. cap. 21.* Axioma ſeu pronunciatum) *Quam Ariſtoteles ἀπόφανσιν propoſitionem, enuntiationem, Cicer. 1. Tuſcul. more Stoicorum ἀξίωμα vocat, & interpretatur ibidem pronunciatum in 4. Academ. effatum.* *An tu dialecticis ne imbutus quidem es? Inprimis enim hoc traditur. Omne pronunciatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, vt appellarem ἀξίωμα, vtar poſt alio, ſi inuenero melius) id ergo eſt pronuntiatum, quod aut verum, aut falſum eſſe dicitur. Ariſtoteli in poſterioribus analyticis axioma eſt aliud: nempe communis quædam ſententia, quæ non tantùm vera eſt, ſed etiam vera omnibus videtur. Eadem ſunt axiomata, quæ & κοιναὶ ἔννοιαι. Ineptè autem faciunt, qui hanc vocem ἀξιώματα hoc ſignificatu dignitates interpretantur. Lege Muretum cap. 2. lib. 6.* Sibimet pulcherrima Merces) *Seneca de Clement. lib. 1. cap. 1. Rectè factorum verus fructus eſt feciſſe, nec vnum virtutum pretium dignum illis extra ipſas eſt.* De mentis poteſtate exiiſſe) *M. Tull. inſanos, furioſos iracundos exiſſe dicit è poteſtate: hoc loquendi genus ex eo natum ſuſpicor, quod qui furioſi erant, agnatorum & gentilium poteſtati permittebantur, & domini rerum ſuarum eſſe vetabantur. Ita exierant è poteſtate ſua Rationem enim loquendi, quæ poſtea manauit latius hanc originem, hunc fontem habuiſſe auguror. Nam & filij, qui parentum poteſtati ſubiecti erant, tamen quibus in rebus ſuæ ſpontis & arbitrij erant, ſuæ poteſtatis dicebantur eſſe. Cic. autem eleganter dicit: furioſos exiiſſe è poteſtate dici, quia non ſunt in poteſtate mentis,*

cui

*cui regnum totius animi à natura tributum est. Turneb. lib. 2. cap. 11.* Inscientiæ pudet) *Piget damni, pudet turpium, tædet eorum, quorum satietas nos cepit.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM QVARTVM.

## Depositio.

*NARCISSVS, GVLIELMVS.*

NARCISSVS. Kalendæ Kalendæ Apriles, nulla vnquam dies delebit memoriam vestri ex animo meo. Quàm libens huic diei oculos effoderem, tantum genitus, tantum acerbitatis mihi obtulit. Certum est, notabitur à me atro calculo. G. Cuia vox mihi aures verberat? quem prope me exclamantem audio? Túne eras Narcisse? N. Quid hic vult? G. Salueto: quid ais? N. Ambulo domũ. G. Cõsistamus hic aliquantisper. Quam ob caussam huic diei tam es iratus, eiúsque in sempiternum memorem te futurum asseris? N. Quia perpessus sum hac luce horribilia. G. Ain' tandem? passus es horribilia? quid fuit? anabò: quanquam præcipere mihi suspicione rem ipsam videor. N. Num te clam est, quisnam libellus in propylæo Academiæ fuerit propositus? G. Edictum graue Bedelli significas, quo pro auctoritate Beanis imperabat ille, vti se ad duo-

duodecimam pomeridianam, quo loco mos eſt, ſiſterent, audituri, paſſuríque, quæcunque ius æquúmque poſtulâſſet. N. Iſtanc ipſam promulgationem aio mihi dolores, & iniurias multas peperiſſe. G. Enuntiabo liberè quod ſentio: nihil præter cæteros tibi ſingulare, acerbúmque contigiſſe arbitror. N. Prô Deum immortalem, ſi hoc modo accipiantur omnes, ſatius eſt, me iudice, mulionem aut bubulcum, quàm ſtudioſum creari. Quin cum meis commilitonibus humaniùs agebatur. G. Haud credo. N. At ego credo, vt qui oculis aſpexerim, & ſenſerim. Me ſicut præſtantem feram delegerant, quam alijs propè dimiſſis perſequerentur canibus ſuis venatores. Erant autem canes illi, vt in Captiuis ait paraſitus, moloſſici, odioſicíque, & multum incommodiſtici. G. O infelicitatem. N. Vt primùm ingredior, quidam me Archibeanum ſalutare, alij ſannis excipere, nonnulli medium digitum oſtendere, omnes denique me circumuolare, & vellicare, vt aues noctuam. Ibi tum cor meum in pectus emicare præ terrore, & animus impleri curis anxijs. Cogebar humi extenſus immotúſque, & ſupinus iacere, in ſtar mortui. G, Quid te factum ibi? N. Inſtrumentis fabrilibus, ferra, ſecuri, dolabra, bipenni pulchrè, & ad amuſſim (nempe ad funem bene craſſum) ceu trabs aliqua ædificio conſtituendo accomodatus ſum. Liberaliſſimè pulſata crura, brachia, latera: quid multis moror? totum corpus. Quamobrem ſi me graciliorem intueris,

quàm

quàm heri, & nudius tertius nihil mirum: multum materiæ in ſarmentis de me reſectis perdidi. G. In eadem officina ab hinc triennium miſerrima vidi, & eorum pars magna fui. N. Raſerunt boni tõſores barbam meam, cùm imberbis adhuc ſim penitus; lauerunt caput frigida, quam ego ipſe è culina, in cuprea, & ſordida trulla efferre compellebar. E qua proteruiſſimus vnus, cùm mihi ad latus iret, ſemper faciem meam ſua manu aſpergebat, & genu impacto me protrudebat. Poſthæc pectebar tam ſubtili pectine, vt raſtrum putarem. Recordabor Polyphemi, quem huiuſcemodi pectine vſum ſcribit Ouidius. De linteo, quo ſum exterſus, quid ego memorem? quandoquidem ex lixiuio, & pectine conijci poteſt eius leuor, & mollitudo. G. Quid vis fieri? patiendum fuit: nam qui ibi ſe reſiſtendo defendit, nihilo plus agit, quàm ſi aquam tundat in mortario. N. Etiam cubitales pueri me ſubſannabant, carpebántque manibus mentum meum ſine intermiſſione: quæ vocantur participia. G. An te iratum ſimulabas? an rogabas vt miſereſcerent tui? N. Egóne vt ſimularem? non ſimulabam, verùm medullitus iraſcebar, & ex animo obſecrabam, ne putarent me pro cibo habere ſic verberari: mitiùs agerent, hominem eſſe me, non belluam. At illi nequiſſimi, quò id magis faciebã, eò me inſiſtebant probris vexare cupidiùs: dicta in me falſa, & ſcurrilia ingerebant, recentioribúſque participijs implebant. Quid credis? videbar agnus in gregem luporum deueniſſe. G. Quàm vellem affuiſſe huic comœdiæ. N. Non erat

erat comœdia, erat ecule', & taurus Phalaridis, Ah, vt dolent omnia: vſque adeò raptatus, protruſus, & contuſus ſum. Quin etiam (infandùm) pro tantis iniurijs, & ignominijs, tanquam bene meritis, neſcio quantum argenti ſoluere neceſſe habui, gratias agere, & ſacramentum conceptis verbis dicere, nō me vltorem aliquando fore. Quod niſi dixiſſem, tenere me vix poſſem, quin aliquibus in me exagitādo diligentioribus, mutuam pro beneficijs gratā referrem. Nunquam aliquid animo meo neque eſt, neque fuit ægrius. G. Quidquid perpetratū eſt, non maleuolentia, & odio, ſed leuitate, & riſus commouendi cauſſa perpetratum eſt. Ignoſce: & puta alios æqualia vel paſſos hactenus, vel paſſuros ī poſterum. N. Rem perdifficilem ſuades. Audi inſuper fallaciam admirabilem. Apponebant atramentarium torno factum, cum calamis, & charta: iubebant aliquid literarum facere. Ego vaſculum aperire cùm vellem, non poteram: epiſtomium quippe non erat inditum, quod amoueretur: ſed erat totum opus ſolidum, & vt dicebam, tornatile. Hîc proſiliens quidam, digitóſque meos bacillo contundens: prō Superi, inquit, beanus iſte nec-dum atramentarium aperire didicit. Omnes cachinnum tollere. Vt libenter homini caput commitigâſſem fuſte aliquo, aut ſaltem os pugno percurriſſem: valde profectò mihi manus pruriebant. G. Modeſtiſſimè tractatus hîc fuiſti: ha ha ha. Non mercam mihi vel talentum, vt in te hodie non inciderim. Reſtátne aliud quidpiam huius notæ? N.

Reſtat, & ſuperiore vel intolerabilius. G. Expone ſis, do tibi operam. N. Furcifer quidam, me imprudente, iniecit in ſaccum meum, quem veſti interius aſſutum, & ad femora dependentem geſto, epiſtolion velut è matre miſſum, quod coram omnibus extractum recitauit. Deus bone, quàm effuſo, & immodeſto cum riſu tam ſuo quam aliorum quotquot aderant? G. Quid eo continebatur: N. Mater lamentabatur abſentiam meam, & muliebriter, id eſt, ineptiſſimè blandiebatur, commemorans quantis, me cum doloribus peperiſſet, quàm ſtudioſè mammam dediſſet, quàm crebrò oſculata eſſet pulcherrimum infantem, quanta me denique cura eduxiſſet, & quàm ardenter me ab ineunte pueritia, velut corculum ſuum, dilexiſſet, qui ipſi fuiſſem ocellus aureus, hœdillus, agnellus, paſſerculus, & dulci melle dulcior. Tum adijciebat, ſe ſomnum capere non poſſe, & vim lachrymarum profundere in dies ſingulos propter cruciamenta, quibus me inaudiſſet oportere afflictari in depoſitione iſta. Hæc omnia irriſores illi excogitauerant, & ſcripſerant. Toto tempore nihil fuit ipſis iucundius. Vt riſu pæne corruebant? vt mihi epiſtolam obtrudebant? vt pugnos impingebant? vt magis magísque participijs me cumulabant? Quid quæris? propemodum totus effectus ſum vnum quoddam participium. Certè, plus ſatis illuſum eſt mihi. Mori me malim, quàm vt hæc patiar denuò. Laruæ, inſaniæ, & intemperiæ miſeros in me ſtimulabant. Si ſciſſem hæc futura, abijſſem vbi ſunt Academiæ,

in-

in quibus nihil iſtorum fieri perhibent. G. Do ſanè, multis in Academijs non fiunt hæc: tamen cur introducta ſint, & iam inueterauerint, poteſt afferri ratio veriſimilis. Non inficias ierim porrò, quædam omitti, alia modeſtius cõmitti poſſe. N. Si aliorum initiationi interfuero, malo meo doctus ſum, quo me pacto erga vos viciſſim geram. Vale. G. Et tu bene vale Narciſſe: atque audin' N. Quid eſt? G. Quæ exprompſiſti apud me, file apud alios. N. Memorem mones.

## ANNOTATIONES.

*AD ingenium cuiuſque, naturam, voluntatem explorandam, ad faſtum reprimendum, ingenerandámque modeſtiam hic mos deponendi excogitatus primùm videtur, quod etiam eius cærimoniæ quædam ritúſque communes omnium Academiarum (in quibus ſcilicet tenetur) ſatis indicant, ſi eos intelligas. Initium forſitan cæperit ab Athenienſis Gymnaſij conſuetudine, vbi nouitij captioſis interrogationibus vexari, irrideri, miróque tumultu, ac ſtrepitu in balneum per forum deduci ſolebant. Qua de re multa D. Gregorius Nazianzenus in laudatione D. Baſilij Magni, quem cùm Byzantio veniret Athenas, propter opinionem probitatis, & doctrinæ, quam haberet iam, tum apud omnes, hac lege ſolutum fuiſſe affirmat. Lege cap. 10. lib. 1. Academiarum Midendorpij. Inre igitur ludicra mihi ludendum fuit; ex præcepto Iſocrat. μηδὲ σπεῖ τὰ γελοῖα σπουδάζειν, μηδὲ σπεῖ σπουδαῖα γελοίοις χαίρειν. Nec in ridiculis ſeriò, neque*

*In seriis ridiculè agendum.* Erat eculeus) *Eculeus, seu equuleus stipes erat, cui velut equo imponebantur, at variè torquebantur, cruciabantur, & distendebantur: id è Prudentio apparet. Cùm enim in D. Romani martyrio scripsisset,*

*iusserat*
*Euiscerandum corpus eculo minus*
*Pendere, & uncis vinculisque crescere.*

*subijcit: iubet amoueri noxialem stipitem. Turneb. lib. 4. cap. 3. vbi & ungulæ, catasta, laminæ quid fuerint declarat. Aliud tamen genus tormenti fuisse equuleum tradit Brod. lib. 1. c. 9.* Non mercam mihi vel talentum) *Nec talentum quidem, nedum minus aliquod pretium, seu mercedem mihi velim persolui, vt hodie in te non inciderim. Quod tibi occurri hodie, & abs te ista narratione tam recreatus sum, maius est mihi omni pretio.* Quam crebrò osculata) *De osculandi generibus vide Donat. in Eunuch. & Torrent. in Aug. Sueton. cap. 49. Iam vt illa, amatio, infinitio, tactio, debitio, & similia; sic basiatio, osculatio, suauiatio leguntur.* Ocellus aureus) *Ocellos & oculos vocare consueuerunt auctores optimi eas res, quæ tantum eiusdem generis rebus, quantum in corpore humano cæteris partibus oculi antecellunt. Sic Catull. villulam suam peninsularum ocellum sic Cic. ad Attic. Cur ocellus Italiæ villulas meas non video? & in 3. de nat. Deor. Corinthum, & Carthaginem oculos oræ maritimæ vocat. Victor. lib. 9. cap. 9.*

PRO-

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM QVINTVM.

## Actio Latinitatis.

*LATINITAS accusatrix, MIXOBARBARVS reus, M. T. CICERO disceptator, siue Quæsitor.*

LATINITAS. Etsi res noua, atque ante hoc tempus ne fando quidem audita videtur, filiam ad parentis tribunal citato reo actionem intendere: quia tamen in caussa Romani sermonis tot sæculorum memoria apud vniuersas gentes summam decernendi potestatem tibi concedere, tuum iudicium exquirere, & amplecti tanquam cælestia respõsa omnes consueuerunt, visum est faciendum, carissime pater, vt ego in hac calamitosa afflictáque fortuna mea te quoque iudicem mihi deligerem, cuius integritate, prudentia, æquitate istius contumelijs atque iniurijs, quibus me onerare in dies singulos non desistit, finem impositum, veritatémque ab eodem nimium diu debilitatam, & exagitatam, vindicatum iri magna spes me tenet. M. Contra aduersariam gratiosissimam, & facundissimam litem mihi perorandam scio. Atque vt hoc scio, sic illud minimè nescio, in hac summa esse, quæ in me ne mediocria quidem inueniuntur. Veruntamen

men te. M. Tulli ſolitudini atque inopiæ meæ auxilium laturum, vti virum iuſtum condecet, qualis tu ſemper habitus es, & haberi voluiſti, tuámque virtutem, & grauitatem ſolatio mihi futuram confido. T. Quamquam nihil dedit natura dulcius, quàm ſuos cuique liberos, mihíque mei, tum propter indulgentiam meam, tum propter excellens ipſorum ingenium ſunt vita mea cariores, nihilominus fidei, & iuſtitię, quas ſępe in alijs iudicibus laudaui, nihil anteponam. Habeo in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem, inuidiam, metum, cupiditates omnes amouebo: maximi æſtimabo conſcientiam mentis meæ, quam à Dijs immortalibus accepi, quæ à me diuelli non poteſt. Quòd ſi tua fuerit ſecundùm veritatem, & æqua defenſio, litem ſecundùm te dabo, te abſoluam, hæc cauſſa cadet, hanc condemnabo: ſin minus, tu cades, neque ſine tuo magno malo. An aliquid deſideras præterea? M. Quî poſſim? T. Quid controuerſiæ inter vos extitit? L. Mixobarbarus, pater, congreſſionibus hominum quà iure quà iniurira me prohibet, & à collocutionibus excludit, ac repellit, tantúmque domi in muſæo, libris circumfuſam, vt aliquam ſellulariam mulierem manſitare vult, & tum demum diſertam atque elegantem, & accuratam eſſe, cùm ipſe mihi calamum in manum ad epiſtolam, orationem, ſeu quidpiam aliud conſcribendum dedit. T. Vt nihil obſcuritatis relinquatur, volo dilucidiùs, & vberiùs rem explanari. L. Licet. Hoc dico. Semidoctus iſte

negat

negat, & pernegat, in conuentu, ſeu in mutuis ſermonibus cogitatè, purè, ac bene latinè loquendum eſſe, idque cum gregalibus ſuis vituperabile ducit: barbarè, & inquinatè loquendi licentiam, & ipſe ſibi audaciſſimè vendicauit, & alijs etiam proiectiſſimè largitus eſt. En quantos ſibi ſpiritus, quantam arrogantiam ſumpſit? Quod ſi hodie terſiùs, limatiùs, curáque adhibita apud te diſſeruerit, callidítati eius aſſignato: nouit enim fraudulentus iſte religioſiſſimas, & maximè teretes, ac declinatas aures tuas orationibus ſordidis, fluctuãtibus, aſperis, ac ſalebroſis vehementer inimicas, & infenſas. Si quid cõponat aliquis, nõ vetat, quin ego cõſiliaria, magiſtra, & emendatrix accerſar, totámque ſcriptionem pro arbitrio moderer, & vt Lydius lapis explorem. T. Tetrum facinus de te prædicat puella. Ehodum bone vir, quid ais? expedi te hoc crimine. M. Negare nolo me iſtuc facere, quod autumauit. Aſt ego huic inſtituto caput, dux, & auctor non ſum: in aliorum veſtigijs pedem pono. T. Qui ſunt illi? M. Docti viri. T. Neceſſarium fore exiſtimo, vt mométa rationum tuarum antè in medium proferantur, quàm vlteriùs progrediatur: Latinitas. Id ſi tu ipſe per te agere vis, age: ſin autem, ipſa proferet, téque refutare inſiſtet. M. Nemo me magis quàm egomet intelligo, & ſibi quiſque eſt fideliſſimus. Non abutar autem patientia tua M. Tulli: dicam breuiter. T. Cenſeo. M. Vnum hoc te rogo, vt me benignè amicéque audias. & efficias, vt neque amor, quo filiam tuam, vtpotè ſanguinem &

genus tuum, prosequeris, mihi nocuisse, neque eiusdem eloquentia (cuius vt Gracchi Corneliam matrem, sic ipsa te patrē suum auctorem, atque magistrum habet) me dicentem impediuisse videatur: quorum hoc vereor sanè, illud pertimesco. T. Depone timorem, & loquere quàm liberrimè. Boni iudicis est semper verum in causlis sequi: id me, non aliud facturum hodie certus esto. M. Animaduerti ab eruditis quibusdam castigari eos, qui, cùm libenter latinum sermonem congredientes vsurpent, eundem nitidum, politum, floridum ac venustum adhibere pro delicijs habent: quoniam ferè contingit, vt qui accurationem, & diligentiam ad sermonem colloquiúmque conferendam putant, minùs literatè scribant: siquidem necesse est, dum illarum rerum, quæ ad splendidè loquendum valent, iucunditate rapiuntur, in altero imperfectiores maneant. Quis enim res duas pari sedulitate, similíque studio tractauerit? Proinde, & illi affirmant, & ego assentior, neminem adhuc se eruditè scribentem cognouisse, cui promptum fuerit perbene latinè, ornatéque loqui. Haud inficiamur laudi dandum elegantiùs loqui, & quasi quasdam orationis ostentare diuitias, at dum nos huic rei totos impēdimus, præclarissimas artes, quas cōsectari oportebat negligimus. Quòd si ex bene loquendo oriretur bene scribēdi facultas, permittenda sermonis diligentia atque solicitudo videretur: hoc autem non fit: de alijs enim rebus loquimur, de alijs scribimus. Loquimur de familiaribus, do-

domeſticis, nouis, quotidie naſcentibus: ſcribimus de locis communibus, de Deo, de homine, de virtute, de vitio, de Republica, de pace, de bello, aliiſque huiuſcemodi, vbi de nugis antea quantumuis commodè, apparatéque locutum eſſe, quas tandem opportunitates habebit? Addere poſſum exempla Manutiorum, Sigoniorum, Budæorum, qui, cùm omnis latinitatis eſſét ſcientiſſimi, rarò tamen, & perpaucis, & coacti latina lingua locuti perhibentur: malebat enim iſte Gallicè, illi Italicè cogitationes ſuas efferre. Qui de ſcriptionis laude non cogitant, illis omni ope conatúq; enitendum cenſemus, vt quàm politiſſimè res omnes eloquantur. Hæc vt breuiſſimè, & apertiſſimè potui ad inſtitutum meum ab iſtius calumnia tuendum, ita diſſerui. T. Vnam aurem huic dedi, filia, alteram tibi ſeruaui. Hic rationem facti ſui reddidit pro viribus: tuũ eſt dicta refellere & coarguere: meum iuſtam pronuntiare ſententiã. L. Niſi teipſum ignoras pater, niſi à temetipſo longiſſimè diſceſſiſti, non potes huius vllo modo probare ineptias. M. Obuium eſt maledicere: niſi temperas, reponam tibi par. L. Obmuteſces: infans enim es, niſi cùm ſcribis. M. Fuerímne infans in hac defenſione mea, parens tuus iudicabit: & vt ſim indiſertus, ira faciet diſertiſſimum. T. Tollantur iurgia, certetur argumentis: dic cauſſam tuam filia. L. Rudem, omníſque animaduerſionis expertem orationem in congreſſionibus adhibendum ſtatuit Mixobarbarus: ego verò exquiſitam atque diligentem. Ille idcirco hanc tuetur ſententiam, quòd ita meliùs,

liùs, & politiùs ſcribitur. Ridete quidquid eſt cachinnorum: rideret ſi viueret, & falſitatem opinionis huius audiret etiam ille, quem ſemel tantùm in vita riſiſſe ſcriſit Lucilius. An illud huic erit impedimento? immò adiumento præcipuo. Quemadmodum enim ad prælium capeſſendum paratiores ſumus, & arma tractamus longè ſcientiùs, ſi in vmbratilibus pugnis nos priùs exercuerimus; ſic prorſus à conſuetudine, & exercitatione præclaræ locutionis ad ſcripturę concinnitatem, & lautitiam, inſtructiores accedimus. Fuerunt item, & ſunt etiãnum, qui cùm in vtroque excellant, poſſintque cùm optimè loqui, tum belliſſimè ſcribere, ex illo ad hoc, & viciſſim ex hoc ad illud ſe profeciſſe, teſtificantur. Iam verò quid vnus & alter de numero literarum aliquando egerit, id, quaſi ab aliquo Deo factum ſit, tantum habere admirationis, tantum valere ad exẽplũ minimè debet: potiùs quid ab vniuerſis latinæ linguæ candidatis fieri poſſit, ac deceat conſiderandum eſt. Quòd ſi meditatus, nec indiligens ſermo nihil ad feſtiuè ſcribendum prodeſt, quæro, ſitne profuturus inquinatus, omni cura vacuus, inſulſus, & incomptus: & an ideo quiſpiam in ſcriptione niteſcat, quia ſit in quotidiana locutione barbarus, ac lutulentus? multò opinor minùs. Attende pauliſper, mi pater, inconſideratiſſimam vocem cuiuſdam de iſtorum colluuie: *Nulla prælectio mihi tanti eſt*, inquit, *vt cogitationis illi aliquid velim tribuere, id námque me à ſcopo meo auerteret. Ea ſolùm profero, quæ primùm occurrunt, quæ*

*exer-*

*exercitatio longa mihi comparauit*. Nónne hoc eſt diſciplinarum profeſſores iubere illotis manibus ſuggeſtum conſcendere? Pergit. *Et ſi loquendum eſſet cum viris ſummis, etiam in cœtu maximo, ne verbum quidem vnum præmeditarer: tam libens ineptè, quàm aptè ſententiam exprimerem*. Satis inſipienter hæc: extrema parum animo valentem, ac delirum videntur arguere. *Quòd ſi res maiorem curã poſtularet, talem rem, talem cœtum, veluti peſtem fugarem, ac ſtyli amorem continerem in pectore*. Quis ſe huic erudiendum tradat, niſi qui æquè deſipiat, num hîc è ſquilla roſam, & non potiùs è malo coruo malum ouum exſpectabimus? Cęterùm illud nequaquã negabo, prompta, & expedita bene loquendi facultate haud multos præſtare: neque vlla aut ingenij bonitate, aut memoriæ excellentia, aut ſtudiorum contentione, aut vſu fieri poſſe, vt tam docta, venuſta, limatáq; ſit extemporalis oratio, quàm quieta, negotijs carens, multáq; cum commendatione ſcriptura. Pleniora, maturiora, vberiora, elaboratiora ſunt, quæ chartis mandamus, quàm quæ profamur. Cogitatio enim quodammodo alit, format, excolit, auget ſtylum, quem quidem tu, amantiſſime pater, latinitatis ſupremus architectus non ſemel cõmendâſti. Quamobrem ſi cui vtráq; facultas contigit: tametſi non æqualiter, gaudeat in ſinu. Et ille ſibi nihilominus plaudat, qui cùm loqui perbene, ac ſcitè non poſſit, ſcribendi commoditate præſtat, communéque multorum malum ſingulari paucorum bono compenſat. Quod aſſerebas

acci-

accidere, vt qui accuratè loquerentur, parum eruditè scriberent, causſam, ego cur ita sentias nullam video: vt neque eorum, quæ deinceps in tua oratione sequuntur. Non enim necesse est, vt si in hoc sis industrius, in altero segnis euadas. Et quisnam, quæso, cùm libenter, & cum voluptate loquatur purè ac venustè, scribendo velit amplecti barbariem, scabriciem atq; sordes? aut quis ingenium nactus cùm sit ad illud, in hoc ingenio deficietur? Neque sunt istæ duę res diuersæ, latinè loqui ac scribere, sed vna: nisi quòd in scriptione plus operæ curæque consumitur, quæ etiam est sermone perfectior: quā si bene loqui impedit, quod tu inconsultè fabularis, ergo aut malè loqui adiuuabit, quo nihil stultius: aut certè loqui ad scribendum non conducet, quod etiam est ridiculum. Præterea artes laudandæ non negliguntur: quin ob ipso, dum perfectè loquendi, scribendíque affectatur gloria, quæ sine multis rebus, & artibus non comparatur, præclarè discuntur: ijdémque doctissimi, qui latinissimi semper adhuc inuenti sunt. Quod addebas, non ijsdem de rebus nos loqui & scribere: vt ita sit, quanquam ita non est omnino, saltem nullum scriptioni impedimentum sermo objiciet. Deinde interrogabo istos: tu inprimis, mi pater, Virgilius, Terentius, Plautus, an ijsdem de rebus loquamini, de quibus nos scribimus. Minimè inquiunt. Et tamen à vobis disertissimè atque politissimè nos loqui, ac scribere discimus. Manutium & alios non idcirco tacuisse arbitror, ne fierent in scribendo inopes, aridi, exsangues: sed quia suis in ciuitatibus

bus vſum latinè loquendi nullum videbant: & cùm meram, ac puram putam latinitatem expromere vellent, timebant, ne apud ſemilatinos in arrogantię ſuſpicionem caderent: aut fortè vſu latinè loquẽdi carebant, nec magis inductione animi, quàm neceſſitate faciebant, quod feciſſe prædicantur. Quòd ſi ad ſcriptionem quidquam prodeſt obmuteſcere, & elinguem fieri: tu pater, Quintilianus, alijque dicendi doctores hoc in præceptis non omiſiſſetis, nullum autem verbum aliquando inueni. Hæc ſunt, quæ aduerſus hoc impurum, & illotum ſodalitium dicenda habui. Nunc noli, pater, comperendinare: da huic triſtem, mihi ſalutarem literam. T. Inuitus facio, vt quẽquam damnem; at veritas me cogit pro Latinitate iudicium dare. Erras Mixobarbare. Quòd ſi in hoc tã pernicioſo errore perſeuerare, eum rationibus defendere, ſectam tuam inter ſtudioſos literarum propagare perrexeris, & me grauem aduerſarium atque inimicum perpetuum es habiturus, & aut vinculis, & carceri mandaberis quo ad viues: aut ad Scythas exulatũ proficiſcêre. L. Dignum factis exitium: iam ſatis eſt mihi, fiat quęſo M. Res mihi egere deliberatione videtur: poſt triduum renuntiabo quid decreuerim. T. Concedamus illi triduum. L. Concedamus. Quid me aſpectas ſtolide? quid nunc vis tibi?

## ANNOTATIONES.

NE fando quidem audita ) *In perpeſſione poſitum gerundium. Plaut. Amphit. Quæ neq; fieri poſſint, neque*

*neque fando vnquam accepit quisquam. Cicer. pro Quinctio. Non denique vlla vnquam intercessit postulatio, mitto æqua: verùm ante hoc tempus ne fando quidem audita. Et 1. de nat. Deor. Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatam ab Ægyptio. Virg. 2. Æneid. Fando aliquid si fortè tuas peruenit ad aures. Talia sunt apud eundem, cantando, vidēdo. eclog. 8. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, & Georg. 3. Carpit enim vires paulatim vritq; videndo Fœmina.* Filiam ad parentis tribunal) *Enumerantur fœminæ. 3. quæ causas egerunt, à Valerio lib. 8. cap. 3. In ijs Hortensia, Q. Hortensii filia, de qua etiam Quint. lib. 1. cap. 1. eius orationem apud Triumviros habitam legi non tantum in sexus honorem.* Quanquam nihil dedit natura) *Orat. post red. ad Quirites. Ad Att. epist. 2. lib. 7. Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi* στοργὸν *esse* φυσικὸν ἢ πρὸς τὰ τέκνα. *Et enim si hæc non est, nulla potest homini esse ad hominem naturæ adiunctio: qua sublata, vitæ societas tollitur.* Sine tuo magno malo) *Veteres cùm minarentur, aut significarent, quod quis diceret, aut faceret impunè non habiturum, malo id eius futurum aiebant, & ferè hac formula: malo tuo. Vide Iani Guilelmi Quæst. in Asin. Plauti.* Vt Gracchi, Corneliam matrem) *Cornelia Scipionis Africani maioris filia matrimonium tenuit Tib: Sempronij Gracchi, cui genuit liberos duodecim, eósque tanti fecit, vt illorum causa Ptolemæi Regis nuptias repudiaret. Cic. in Brut. Fuit Gracchus diligentiæ Corneliæ matris à puero doctus. In eodem lib. infrà. Legimus epistolas Corneliæ matris Gracchorum. Apparet*

filios

*filios non tam in gremio educatos, quàm in sermone matris. Quintil. lib. 1. cap. 1. Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus. Et Lælij filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam dicitur. Eurydice Illyria vt filios docere posset, prouecta iam ætate, disciplinis animum studiúmque applicuit. Plutarch. de lib. educand. in extremo. Aristippi quoque Socratici filia, Aristippum filium optimis artibus, ac disciplinis, & Philosophia instituit, vt eum se, & auo dignum efficeret. Themist. orat. 1.* Vnam aurē huic dedi) *Traditum est memoriæ, Alexandrum Magnum cùm fortè accusatorem audiret, manu admota, alteram aurem occlusisse. Interrogatum cur id faceret, respondisse: Quoniam hanc seruare me defensori oportet. Vtraque pars igitur in controuersiis, & litibus audienda, quantumcunque manifestum, & euidens appareat, quod altera dicit. Seneca.*

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera,*
*Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

Comperendinare) *Quid sit comperendinatio, & quid ab ampliatione distet, Turneb. lib. 1. cap. 3.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM. SEXTVM.

## Litera Pythagorę, seu biuiũ Herculis.

SOPHIA-

SOPHIA, PALATINA, ADOLESCENS *fluctuans.*

SOphia. Iam dudum te, quisquis es, & vndecunque tandem veneris, care iuuenis (certè autem ex hominum vulgo, & alicuius baiuli, aut operarij filius nō es) in hoc secessu, sub ista quercu ad biuium sedentem intuita, vultum mœstitia suffusum, & aliquam animi ægritudinem, ancipitísue cogitationis distractione, aut tædium, ac satietatem cuiuspiam negotij declarantem obseruaui. Vidi quemadmodum modò vngues roderes, modò caput scaberes, modò brachia dissipares, modò librum abijceres: quocirca tui conueniendi, consolandi, & instituendi voluntas me subijt. Ibo aduersum, inquam, & electabo quidquid est molestię. Quod est hoc intestinum malum, quod te cruciat? ne clausum tene in pectore. P. Et ego, lectissime ornatissimèque adolescēs, viam ad te flexi, vt allocutione mea prodessem tibi: quare idem te interrogo. At inprimis nôsse te interest quę, simus. A. Deas quispiam vos ambas suspicari posset: adeò augustus est vtriusque habitus, & plus quàm humana species, ac pulchritudo, vt omnibus vnæ omnes munditias, & elegantias surripuisse videamini: vox verò ipsa diuinum quiddam, ac cæleste sonat. O quænam tandem? vnde? quò gressus dirigitis? S. Tibi generis mei claritatem vno verbo pandam. Pater mihi est Deus, matre careo, quam nunquam habui: sapientiam Latini, Græci σοφίαν vocitant. A. Papæ, coniecturam ex re ipsa capio. Tu illa es, quàm patrimam, & è capite cęli colûm

colûm regis ortam poëtæ canunt. S. Nequaquam nihil mihi cum commentitijs antiquorum numinibus. Mineruam neſcio. Iouem non adoro. Ab vno illo, ſolóque rerum effectore, ac principe Deo me procreatam, & cum genere humano, quod ipſe admodum vehementérque diligit, communicatam, omni aſſeueratione tibi affirmo. Ille eſt omnis ſapiẽtię fons & origo. P. Mihi Palatina nomen eſt: ſum ptęſes ac domina eorum, qui vitam colunt aulicam, potẽtiſſimíſque Imperatoribus, ac Monarchis, opulentiſſimis regibus, nobiliſſimis dynaſtis ad nutum inſeruiunt. Ecquid te capit ſpecies mea? A. Quo magis aſpicio, hoc magis vtraque placetis: ſed egomet mihi ſumoperè diſpliceo, meiq; me valde pœnitet. S. Quamobrem? A. Quia confuſus, atq; incertus mentis ſtatuere non poſſum, quid poſthac incipiendum ſit: procederéne debeam in colendis literarum ſtudijs, an ad aliquod plebeium artificium appellere animum. P. Quid iſtuc verbi ex ore tuo profluxit? tam eximia facie, tam egregio corpore adoleſcentẽ cogitare opificium? Non diſcedam hinc, niſi te mecum abduxero, feceróque vnum è domeſticis potentiſſimi alicuius Regis, eúmque, vel à cubiculis, vel à poculis, vel ab epiſtolis. S Vel à ſtabulis, vel à tergendis calceis, vel à canibus. P. Oh, quid tu? S. Nónne hi quoque ſunt aulici? Sed tu mihi iſtum bolum hodie è faucibus, vt ſpero non eripies. Frangam ſententiam tuam, frangam impetus. O adoleſcens optimè, túne faſtidio teneris literarum? A. Maximo. P. Nec primum hunc eſſe ſcito, nec poſtre-

ſtremũ fore, niſi ſpreto, ac deſerto ignauiſſimo clientum tuorum otio in gremium ſe meum recipiat. S. Non me latet, in aulis excellentia euanuiſſe, & quaſi in nihilum occidiſſe ingenia, quæ à me rebus ampliſſimis atque honorificentiſſimis ornat potuiſſent, quibúſque ciuitatum ſalus, & incolumitas niti debuiſſet. Quid verò creauit tibi iſtuc tam delicatum faſtidium? A. Quòd neque vllam neceſſitatem, neque tam admiranda commoda, neque tam incredibiles ſuauitates ineſſe in his occupationibus atque laboribus animaduerto: quin contra moleſtias innumerabiles, & incommoda nec pauca, nec mediocria. P. Facetè, lepidè, lautè, nihil ſuprà. Si quid verum eſt, hoc eſt. S. Deprehendo manifeſtiùs, te non ita longè prouectum à primo littore, nec delatum adhuc felicibus Euris in ipſum eruditionis vaſtiſſimum altiſſimúmque pelagus: nunquam tu has coram me voces emiſiſſes. Sic autem iudico, magis bonam voluntatem ac diligentiam, quàm bonum ingenium hactenus tibi defuiſſe. A. In tua penetralia nondum me penetrâſſe confiteor: quòd ſi tamen aures patefacere mihi parumper volueris, non planè fatuum cognoſces: nec ſine iuſta cauſſa rem in deliberationem adducere, & curas animum meũ haud immeritò diuersè trahere, pergámne hoc vitæ genus agitare: an vel artem aliquam ſedentariam addiſcam, vel in militiam proficiſcar: vel etiam aulicas elegantias amplectar, quo me iſthæc aduerſaria tua pellicere videtur. P. Pelliciam profectò, téque aduerſus iſtam

diſſe-

differentem enixè adiuuabo. S. Aqulia non captat muſcas,& teſtudo nõ ſentit culices. Dicite quę fert animus. A. Cùm neceſſarium id definiatur, ſine quo res aliqua finem,& propoſitum ſuum aut nullo modò, aut non ſatis commodè aſſequatur, neutrum neceſſitatis genus in literas cadit. Finis quippe hominis eſt felicitas, quam ſi quis in artibus iſtis, quas honeſtas, ingenuas, liberales appellitant, quærendam putat, verendum eſt magnoperè, ne pro theſauro carbones effodiat. De ipſa autem felicitate opiniones trecentæ inter doctos: & adhuc ſub iudice lis eſt. P. Iſtuc verò bene. S. Multò faciliùs,& cõmodiùs auxilio doctrinæ ad beatitudinem peruenitur. P. Erit ergo quiſque hoc ſanior, formoſior, copioſior, quò doctior: ſine iſtis enim non eſt conſummata felicitas: tametſi eam in virtute potiſſimùm Peripatetici tui conſtitutam eſſe philoſophantur. S. Non ego philoſophicam potiùs, quàm Chriſtianam beatitatem intelligi volo: quàm is faciliùs conſequitur, qui Deum ardentiùs amat: amabit ardentiùs, qui clariùs cognoſcet: cognitio ſiquidem amorem parit: nemo autem cognoſcere poteſt Deum, niſi qui res ab eo cõditas intelligentia percepit. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellecta, cõſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius virtus,& diuinitas. Et quamuis nõ ita ſentirem, tua tamen argumetatio nihil efficeret, non enim quoniam aliquid ad aliud conſequendum vim, & momentum affert, idcirco illud dat, tantóq; amplius dat, quantò plus ad acquirendum prodeſt. Sine vehiculo poteſt quis

pedibus ſuis in locum remotum peruenire: faciliùs autem atque celeriùs vehiculo: non ideo totum eſt ſitum in vehiculo: commoditas tantùm illius eſt, quæ nulla erit, niſi aſcendis, niſi equos adiungis, niſi eos flagello increpas, vt procedant alacriter. A. Veruntamen, vt à genere ſummo deſcendamus, poſſum dicere quare neceſſaria fuerit calcearia, quare neceſſaria ſutrina, fabrica ferraria, architectonica, textoria, & ſimiles: quid opus ſit Grammatica, Muſica, Geometrica, cęteríſque, non video. P. Nec ego. S. Nec ego viderem ſanè, ſi veſtros haberem oculos: & vos perſpicuè videretis, ſi meos haberetis. P. Cæci ergo tibi videmur? S. Cæci: vt ille qui Platoni dicebat, videre ſe cyathum, videre mēſam; at cyathitatem, & menſeitatem non videre. P. Niſi tu fortaſſe dicas, diſciplinas iſtas liberales, vt vocas, animo eſſe neceſſarias, quem ornent atque perficiant. S. Dico. P. Hinc eſt quod docti iſti hominem illiteratum nihil niſi forma à beſtijs, & tanquam equum indomitū à domito differre clamant. S. Haud falsò. Omnes ergo qui literas neſciunt, beſtiæ: vos ſoli homines. Eſtote Dij ſi vultis. S. Nō ſoli homines ſed excellentiores homines, ſeu magis homines. Eſt enim hominum propria veri inquiſitio, & mentis agitatio, quę in rudibus permodica eſt in doctis multa, & aſſidua. Proinde perſapienter Ariſtippus: ſatius eſſe fieri mendicum quàm indoctum: quod ille tantùm eget pecunia, hic humanitate. Cui deeſt pecunia, eſt ille quidem homo: at homo non eſt (hoc eſt, hominis nomine dignus non eſt) cui deeſt eruditio.

ditio. Cur igitur, qui pecunia caret, à viatoribus petit: qui eget sapientia, neminem eius adipiscendæ causſa sollicitat? P. Qui est animal rationis, & consilij compos, is mihi homo perfectus videtur. Omnes tales sunt. S. Stultíne etiam perfecti? Si dixeris: tum iudicio tuo inter stultum, & sapientem nihil intererit. Hóccine erit purpuram iuxta purpuram dijudicare? Si negaueris, quæram cui? an quia rationis cõpos non est? imò est: an quia ratione parum vtitur? ita, dices. Perfectio igitur hominis à perfectiore vsu rationis est, qua perfectissimè vtuntur, qui sunt literarum doctrinis quàm maximè imbuti. An non perfectissimi homines qui sapientissimi? P. Esto S. Nonne eruditissimi sunt sapientissimi? P. Priùs vt confitear me cogis istis punctis interrogationis tuæ, quæ vt assentiar. Accipe reliqua velut vno cumulo. Aut priuatis aut publicis rebus sunt necessariæ literæ. Si priuatis: paterfamilias vxorem, liberos, seruos malè gubernabit, nisi linguam Græcam, & Latinam nouerit: nihil vendi, nihil emi, nihil negotij inter vicinos conferri sine Rhetorica, Dialectica, Astronomia poterit. Quod ad publica attinet, sæpe illud Platonis audiui. Tum demum beatas fore Respublicas cùm aut Philosophi eas regere incipient, aut qui regunt, philosophantur. Quare igitur ipse, vt Athenarum gubernacula suspiceret, se adduci non est passus? quare scripsit, Philosophos non accessuros ad Remp. nisi coactos? Populi mores ferre non possunt, quietem nimis amant. Non ergo commodo est Philosophia ciuitatibus, si Philosophi se à

ſtudiorum contemplatione ad negotiorum tractationem auocari nolunt. Quamdiu literæ à Romanis repudiatæ fuerũt, virtus & diſciplina militaris apud eos in honore fuit: cum primùm otium veſtrum inertiſſimum illud clariſſimum imperij domicilium, illam arcem omnium gentium occupauit, neque tam boni, neque tam fortes, & generoſi poſtea ciues extiterunt. Quæ doctrina fuit Romuli? quæ Numæ Pompilij? quæ Tarquinij Priſci? Quæ Seruij Tullij? quæ multorum Imperatorum, in quibus etiam Iuſtinianus ἀναλφάβητος, qui tamen ſapienter, moderatè, & clementer imperauerunt? Si neceſſariæ ſunt artes, omnes ne, an aliquæ? De Grãmatica vanitatis ſit affirmare. Mathematicæ otioſam habent delectationem, & obſcuritatibus refertæ ſunt. Dialecticorum ſermones ipſimet Philoſophi aranearum telis ſimiles confitentur: vtpote ſubtiles quidem, ſed inutiles. Rhetorica non minimam partem incommodorum vrbibus, & prouincijs ſæpe importauit, eſtque inſtrumentum ſeditionum, & tumultum. Iureconſulti ex æquo, & bono iudicant præcipuè: quod facere poſſemus etiam nos, qui Iureconſultorum nomen atque perſonam non gerimus. Medici non niſi coniecturis ferè nituntur. Philoſophia eſt plena incertis opinionibus. Theologia non ad Rempub. temperandam, ſed ad ſalutem animarum procurandam eſt vtilis, quam apud monachos, & ſacerdotes reperias, ab Imperatoribus fruſtra deſideres. Oſtendi non eſſe literas neceſſarias, putóque ſimul oſtenſum, parũ eſſe vtiles:

les: tum enim valde commodas iudicare licuisset, si vita humana ijs carere minimè potuisset. Quibus autem angoribus implicitus, quibus molestijs cinctus, quibus malis obrutus fueris tu, bone adolescens, dum incumberes in literas, rectius ipsemet explicabis. A. Quo pacto iucundum esse queat, à quo nihil vtilitatis speres? Lętari, & exultare gaudio fortasse potest, qui iam in doctrinarum est possessione collocatus: at cui, quæso, id ante obitum cõtigit? Cùm sapere incipimus, tum à nobis debitum natura exigit, & colligere vasa, ac de vita recedere, volentes iubet, nolentes compellit. Atque vt delectarent, non est tamen sapientis, sequi potius quod delectat, quàm quod commodat. Ego porrò non alias literarum delectationes cerno, quàm frequentem capitis dolorem, qui existit, cùm intendere cogitationem velut arcum continenter vrgemur, & in altissimo puteo Democriti latentem veritatem perscrutando indagare cogimur: crebram tussim, epiphoras, multas cruditates, insomnia, nauseam phtisin, varioſque morbos. Pro miraculo est, deditum studijs paulò vehementius, retinere bonam corporis habitudinem. Noctes, & dies requirunt libri, societates, & colloquia amicorum excludunt, patrimonia exsorbent. Hæccine possunt esse voluptati? hæccine expetenda? P. Ito iam Sophia, prædicato nectar, & ambrosiam præbere alumnis tuis. Quin è vestigio mecum vadis? A. Quónam? P. In regiam. S. Per Deum imortalem noli adolescens huic auscultare, quæ te suæ temeritatis ĩplet, & insaniæ:

noli cantionibus huius veneficæ delinitus, animum ad malas partes adducere, nondum audiuisti reſpõſum meum, quo diſturbabo huius machinas. P. Ito mecum: honores, potentiam, diuitias, voluptates tibi polliceor. A. Accendis me pollicitationibus tuis: ſed explicatiùs pollicere. P. Túne ignoras inter miniſtros Principum quanta varietas, quantum nominis, auctoritatis, loci, muneríſque diſcrimen? nónne complures honorum gradus? A. Non ignoro iſta. F. Nónne ab vno ad alium, ab inferiore ad ſuperiorem, ab infimo ad ſummum aſcẽdi ſolet? A. Etiam, ſolet. P. Prô quanta aulicorum gloria? Incedunt per vrbem, homines paſſim nudant caput, aſſurgunt, genua incuruant: Si ad mutuum ſermonem veniatur, ſi ſalutentur, ſingularis adhibetur cærimonia, manibus finguntur oſcula, delecta verba, pudoríſque ac reuerentiæ plena vſurpantur? Nónne ipſorum opem, ac gratiam mortales plurimi expoſcunt? nónne ipſos ſibi propitios inprimis facere laborant? nónne ipſorum apud ſe habere imagines, ijſque domum illuſtrare percupiunt? Poſſunt illi, & nocere, & prodeſſe multis: nec pluris propemodum refert, vtrum apud aulicos domino ſuo caros, an apud dominum ipſum in offenſa ſis. Licebit præterea tibi ex ærario Principis magnificentiſſimas ædes conſtruere: quin vltrò, nec rogatus nunc mille, nunc duo aut tria aureorum millia donabit: nunc torquem, nunc pateram, nunc inauratum enſem, nunc aliud quippiam magni pretij. Longa famulorum carterua comitatus, auro

& oſtro

& ostro conspicuus prodibis. Si vehi cupies, paratus currus te dignus: si equitare, è Turcia, aut Hispania præsto erit elegantia mira caballus. Frueris insuper quotidianis, ijsque suauissimis oculorum, aurium, odoratus, gustatus, tactionisque voluptatibus. Videbis ludos apparatissimos, spectacula sumptuosissima, hominum vtriusque sexus, & forma insignium, & vestibus non tantùm mundissimis, verùm etiam rarissimis indutorum cœtus: quos choreas identidem ducentes aspicere quàm erit iucundum? Ibi perelegantes picturæ pascent animum, morabunturque oculos belluata, & auro argentóque intexta vela, quibus parietes conuestiuntur: supellex denique omnis visetur ibi tam lauta tam copiosa, tam artificiosa, vt quidquam optari melius non possit. Ædificia ipsa è solido marmore, mirabili, & exquisito opere fontes, amœnissimi horti, præstãtes feræ, lectissimi canes: catuli etiam Melitæi, simiæ, psittaci. Infinita memorare possim præterea ibidem oculorum oblectamenta. Quid aures? Illæ verò dulcissimis musicorum cantibus assiduò recreabuntur, miscebis colloquia optatissima cum illustribus vitis, & de magnis viris, qui ad gloriam virtutis viã grassati sunt: nihil acciderit in Germania, nihil in Italia, nihil in Gallia, nihil in Hispania, nihil ĩ Persida, nihil in Turcia, nihil ĩ toto terrarum orbe, quod tibi non etiam narrabitur. Mensa conditissimis, optimisque, & diuersissimis dapibus constructa, quãtam pariet voluptatem? quod enim Principi apponetur, tibi quoque appositum iri ne dubites. Quid

vina dulciſſima, generoſiſſima, è peregrinis terris allata memorem, quæ poculis gemmatis, & criſtallinis miniſtrantur? quæ porrò in aulis vnguenta, qui flores, qui odores deſiderantur? omnia perfecta, quibus & corpora & animi reficiuntur: multóque plura reperies, quàm à me breui ſermone poſſit exponi. Quocirca dubitationem quę te habet prorſus excutè: me hac via ad quam ſedes ingredientem hilari paſſu ſequere: nunquam te ſuſcepti conſilij pœnitebit. Plures dixerunt ſalutem iſtis ignauiſſimis literis, quos ego ex ignotis, notos, ex egētibus beatos, ex infimis ſummos reddidi: tu noli ſapere nimium, & laureolam in muſtaceis quærere. A. Acres mihi ſtimulos admouiſti: parum omnino abeſt, quin te ſequar. S. Faciam ego tu idem aliter prædices. Adoleſcens, vnum rogare te volo. A. Quid vis? roga. S. Vt auſcultes, & diſcas à me, quos tibibi fumos indocta huiꝰ garrulitas vēdiderit. P. Eia fumos. S. Etiā meros fumos, & ſi quid eſt fumo inanius. Honores aulicos iactas? Heu quam illi ſæpe non virtuti, non meritis tribuuntur. In ſpeciem te multi venerabuntur: vbi præterieris, medium extēdent digitum, malè dictabunt tibi, tua vitia in ore habebunt. Quis explicabit ſolicitudines, quis ratione conſequetur metus, quibus iſti aulici noctes & dies ſuſpenduntur, cùm ſe negligi, alios efferri, aut ſibi prę ferri aſpiciunt? cùm honorem quiddam lubricum eſſe, quòd parua offenſione interpoſita amitti, & ignominia etiam multa compenſari poſſit, conſiderant? Potentiam verò diuturnam obtinere quempiam, in-

inuidorum, obtrectatorúmque insidiæ, & multorum odia non sinunt. Quisque primus esse nititur: & quò quis Principi gratior fuerit, quò apud illum plus poterit, eò à pluribus oppugnabitur, & tandem ruet: grauissimè autem ruunt, qui ex tam alto dignitatis gradu præcipitantur, & inimicis suis fiunt ludibrium, sibi dolorem, amicis dedecus fuerunt. Quàm autem indignum, & risu prosequendum, vt diuitias assequare, libertatem vendere? quò enim pluribus beneficijs te cumulauerit Princeps, eò ampliùs obseruare nutus eius, & ad omnia inseruire te ipsi oportebit: militare, nauigare, iusta, iniusta imperia exsequi: ridere si rideat, flere si fleat, laudare si quem laudet, vituperare si vituperet. Noui ego nonnullos, qui cùm maiorum virtute essent diuites satis, in aula fortunarum naufragium fecerunt: multíque cùm tot annos exegissent vitam illam, nec ad vllum honorem, nec ad opes peruenire quantascunq; potuerunt. Iam si extremum bonum situm esset in voluptate, rectè eam sibi proponerēt, qui aulam cogitant, vt dediti corporis gaudijs, per otium, luxum, somnum, & ignauiam æuum suum exigerent. Cæterùm alibi vera bona, & homine digna sunt reposita. Quàm multa nihilominùs iucunda, & admiranda non videre eos necesse est, qui latera Principum stipare coguntur? Nec tantum hauriunt in aula voluptatis oculi, quantum doloris: audiuntur autem plura quæ displiceant, quàm quæ placeant. Obscœnas voluptates omitto, quibus fruendis quò quis est beatior, tantò est

infe-

infelicior: atque in ea ipsi re quot timores, & incommoda insint, nemo facilè dixerit. Gustus, & odoratus voluptates sectari pecudum est, quas natura pabuli tantùm studiosas finxit: ac sæpe muscas potiùs, quàm istos videbis epulas regales attingere. Quoties, donec plerumque noctis processerit, exspectanda cœna? quoties prandendum, cœnandúmque simul? malè cocta, frigida, insulsa, & aliquando ante lucem ortam compellêris esitare, nisi velis nimium diu esurire. Cùm in meridie prandebis, post horam iubeberis cœnare: nihil enim propemodum certo, ac suo tempore fit in aula: hinc vomitus, calculus, intestinorum dolores, variáque morborum cruciamenta. Vinum bibes sæpe corruptum: nec, quantumuis sitiens, bibere audebis, nisi maiores cœperint, transíbítque poculum per multorum manus priusquam ad te veniat, & in fundo fex plurima hærebit: carnes edes frigidas, immundas, fœtentes, legumina semicocta, pisces paratos ante quatriduum. Tædet plura enumerare incommoda, quæ non perpendunt, qui ad pauca quædam foris magnifica, & in speciem consectanda respiciunt. Agricolam, priuatum aliquem ciuem, opificem denique aulico feliciorem arbitror. Nunc mi iuuenis, meliora capesse consilia, & deserta Palatina ad meam te voluntatem nutúmq; conforma, ad meas te rationes adiũge, ac scito, me ea expectare abs te, quę à summa virtute summóque ingenio expectanda sunt. A. Tua oratio Sophia ad veritatem visa est propensior. Quare tametsi aulam non cogito, tamen

men niſi mihi ſtudia literarum inſigniter collaudaueris, flammam in pectore meo adoleſcere incipientem confoueris, atque in immenſum adauxeris, etiam te non potero ſequi. F. O ſtultum: littori, & vndis concionata ſum: præ iracundia nequeo animum ad cogitandum inſtituere. Abi in crucem cum tua muliercula. S. I hinc quò digna es cum tuis tam lepidis concluſiunculis.

## ANNOTATIONES.

LIteræ Pythagoræ) *Curſum vitæ humanę Samius ille ſenex literæ Y comparauit, cuius baſis puericia, ſummum autem baſis, vbi videlicet duo cornua oriri incipiunt, limen ſeu initium adoleſcentia, quod quiſq; hominum cum attigerit, hæreat, ac neſciat in vtram ſe partem det, dextrámne an læuam vitæ agendæ viam teneat. Illam eſſe virtutis bonarúmq; artium, aſperam quidem, ſed exitu iucundam, & amænam: hanc luxuriæ, inertiæ, & ignauiæ, gratam, & ſuauem in ſpeciem, ſine ipſo plenam miſeriæ. Qua de re Lactant. lib. 6. cap. 3. & 4. Fertur viam carmen inter cætera Virgilianæ Appendicis, Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni, &c. Sic Prodicus Sophiſta Hercul. etiamnum puero in ſolitudine ad biuium ſedenti Virtutem, & voluptatem apparuiſſe, & vtramq; ad ſe Herculem perducere conatam finxit. Memincrunt Xenophon lib. 2. Ἀπομνημον. Quint. lib. 9. c. 2. Cic. 1. Off. Silius Italicas figmentum hoc ad Scipionem ſub lauro ſedentem, & de bello cogitantem tranſtulit. Talis deliberatio eſt Lyſitelis adoleſcentis in Trinum. Plaut.*

*Huc*

*Huc referatur somnium Luciani de Statuaria, & Pædia. Huc angusta porta, & lata via, de qua apud Matth.* Modò vngues roderes ) *Sic facere consueuerunt, qui aut de mutanda re, cuius pœnitere cœptum est, seriò multúmque cogitant: aut in aliqua attentissimâ curâ defixum habent, & immersum animum: præcipuè autem, qui maiorem ponunt in scribendo attentionem ad diligentiam. Hinc Persius negligentiam Poëtarum reprehendens: nec demorsos sapit vngues. Et Horat. de Lucilio Sat. 20. lib. 1.*

*Si foret hoc nostrum fato delatus in æuum,*
*Detereret sibi multa, recideret omne quod vltra*
*Perfectum traheretur, & in versu faciendo*
*Sæpe caput scaberet, viuos & roderet vngues.*

Quàm patrimam è capite ) *De ortu Mineruæ è capite Iouis, extat festiuus apud Lucianum dialogus. Quorum vterq; parens in viuis esset, patrimi, matrimi dicebantur. Quibus pater mortuus, matrimi: quibus mater, patrimi Catull. epigram 1. Mineruam vocauit patrimam virginem ( sic enim quidam rectè legunt pro patrona virgo ) quod matrem carens, tantùm haberet patrem.* Te non ita longè profectum ) *Vulgò dicitur. Scientiam neminem habere hostem, nisi ignorantem. Qui enim in adita disciplinarum semel introierunt, ij demum experiuntur, quàm sit verum illud Aristoteleum: radices literarum amaras esse, fructus verò dulces. Ac potest sanè quod de dialectica scripsit Gellius lib. 16. cap. 8. ad quamlibet doctrinam liberalem, atque ad chorum totum Musarum æquè referri: Huius disciplinæ studium atque cognito, inquit,*

quit, in principijs quidem terra, & aſpernabilis, inſuauisq; eſſe, & inciuilis videri ſolet: ſed vbi aliquantum proceſſeris, tum denique, & emolumentum in animo diluebit tuo, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis. Cui ſanè ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, vt pleriq; alij, tu quoq; in illis dialecticæ gyris atq; meandris tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcas. Artem Sedentariam) Sedentarij, & ſellularij opifices ſunt, textores, ſutores, ſartores, & omnes deniq;, qui ſedendo opus faciunt, eaq; artes ſellulariæ, & ſedentariæ dicuntur, ſuntq; in contemptu propemodum. Qui Platoni dicebat) Laërt. in Diogene rem his verbis exponit. Platone de Ideis diſſerente, nominante menſalitatem, & cyathitatem: equidem, ait Diogenes ô Plato, menſam, & cyathum video, menſalitatem verè, & cyathiatem non video. Rectè (inquit Plato:) quibus enim cyathus, menſaq; conſpicitur oculos habes: quo autem menſalitas, cyathitas intelligitur, animum non habes. Hæc hiſtoria melius ſe tuebuntur, qui ob rerum obſcuritatem voces coguntur in auditas producere, & illo Lucretij:

*Multa nouis verbis præſertim cùm ſit agendum*
*Propter egeſtatem linguæ, & rerum nouitatem,*

melius, inquam, ita ſeſe defendent, quàm ego, quod Cicero Lentulitas, & Appietas dixerit. Eſtote dij ſi vultis) Meſſeniorum legati, aut alius ciuitatis, legari certè, Philippo regi narrarunt, decreuiſſe Rempublicam propter rerum ab eo geſtarum gloriam, & magnitudinem in deos ipſum referre. Tum Rex ita quæſiuit:

Ha-

*Habétne vestra Respublica potestatem faciendi deos? Illi, habet, inquiunt. Et Rex: Facite ergo primùm vos ipsos deos. Non ita filius Alexander, qui Dario superato spiritus ingentes, immoderatósq; concipiens, Græcis scripsit, vt se deorum numero ducerent. Alijs igitur aliud statuentibus, Lacedæmonij decretum tale fecerunt: Quoniam Alexander deus esse vult; esto deus. Laconicè, & patrio more hominis stuporem, & vecordiam redarguerunt.* Ælianus *lib. 2. cap. 19. Idem ægrotus se in Euphratem deijcere cogitauit, vt cùm non appareret ad deos abijsse crederetur.* Rhodig. *lib. 3. cap. 5. In eodem de ijs qui, aut seipsos fecerunt deos, aut relati sunt in deos.* Est enim hominum propria) Cic. 3. Offic. *Inprimísq; hominis est propria veri inquisitio atq; inuestigatio. Itaq; cùm sumus necessarijs negotijs curísq; vacui, tum auemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionémque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad bene beatéq; viuendum necessariam ducimus. Et infrà non longè: Omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, & quæ sequuntur. Quæ sententia est etiam Aristotelis lib. 1. de Sapientia.* Quì eget sapientia nieminem) Laërt. *Percunctanti Dionysio, quamobrem Philosophi diuitum limina tererent, diuites verò philosophorum non item. Quod illi, inquit Aristippus, sciunt quibus indigeant: at hi nesciunt. Duæ sunt præclaræ sententiæ Isocratis, oratione ad Demonicum, quæ quidem referta est præceptionibus saluberrimis: eas attulisse videtur ex vsu futurum, spectant enim ad rem propositam. Audiuisse multa, præstare puta, quàm pecuniæ multum coegisse.*

Nam

*Nam hæc facilè amittitur, illa perpetuò durant. Solius enim sapientiæ possessio est immortalis. Altera continenter sequens hæc est: Ne te pigeat longam ire viam, ad eos, qui se aliquid utile docturos profitentur. Cùm enim mercatores rei familiaris augendæ gratia, tanta maria transmittant, turpe fuerit adolescentes excolendi ingenij causa nec terrestre iter velle suscipere.* Animal rationis, & consilij compos) *Cic. 1. de legib. hominem describit his verbis: Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse à supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis, & cogitationis, cùm cætera sint omnia expertia. Idem 4. de finibus. Hoc solum animal natum est pudoris, & verecundiæ particeps, appeténsq; coniunctionem hominum, ac societatem, animaduerténsq; in omnibus rebus, ne quid ab eo fieret, nisi honestè, & decorè.* Punctis interrogationis tuæ) *Fuit hic mos Stoicorum, quorum omnis cura in dialecticis consumebatur, quíq; disputationum suarum veluti laqueis alios irretiebant. In Tusc. Stoicorum more agamus, qui breuiter astringere solent argumenta. Et præfat. Paradox: Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, & ea sentit, quæ non planè probantur in vulgus: & in ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, & quod proposuit efficit.* Cum aut philosophi eas regere) *Est apud Platonem in V. de rep. loquës*

Socrates in hunc modum : ἐὰν μὴ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, &c. id est. Nisi vel Philosophi ciuitatibus imperitent, vel ij, qui nunc reges, & dynastæ appellantur, legitimè, & quod satis est philosophentur, atque in idem ciuilis facultas, & philosophia concurrant, & contra, quàm hoc tempore in vtroque sit, ingenia multa necessariò diuersa in studia distrahantur, nunquam malorum finis reperietur. Cicero epist. 1. lib. 1. ad Q. F. paucis totius sententiæ summam est complexus. Atque ille quidem princeps ingenij, & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas Respub. putauit, si aut docti, & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocássent. Vt Athenarum gubernacula) In 1. Off. Itaque eos (philosophos) ne ad Rempub. quidem accessuros putat, nisi coactos. Æquius autem erat id voluntate fieri. Vide locum. Præterea epist. 9. ad Lentulum cur ipse-met Remp. attingere noluerit, caussam quandam affert: nempe quòd cùm offendisset populum Atheniensem propè iam desipientem senectute, cúmque eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse vidisset, cùm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Ælian. lib. 3. cap. 17. plurimos philosophos recenset, qui Resp. gubernauerint, cásque instituerint, & emendauerint. Quamdiu literæ Romanis) Anno ab V. C. CCCC X. seu vt, alij numerant. DX. C. Claudio Cæci filio, & M. Tuditano Coss. Liuius Andronicus Romæ primus dedit fabulam, anno vno ante natum Ennium, qui fuit maior natu, quàm Plautus, & Naeuius. Seriò igitur Romani poëticam acceperunt. At contrà

trà Oratorem celeriter complexi sunt, nec eum primò eruditum, aptum tamen ad dicendum. Vide initium 1. Tuscul. Quin edicto prohibiti sunt docere, & vt putabant, ignauiæ corrumpere iuuentutem Rhetores. Id habes apud Gell. lib. 15. ca. 11. Meminit etiam Suetonius libello de claris Rhetor. duóq; censoria edicta subijcit. At postea, quam imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmauit, vt est in 1. de Orat. existimârunt Romani sibi quoque ad literarum, & sapientiæ laudem enitendum, qua Græcis non multum cederent, qui ipsos eousque vicissent non repugnantes. Non minimam partem incommodorum) Lege proœmium 1. de Inuent. & librorum de Orat. Colligere vasa) Locutio militaris. Vasa quippe, hoc est, impedimenta colligunt milites, & sarcinas quoties castra metaturi sunt. Allegoria quadam, & cum lepore Cic. Verrina 4. cùm Diodorum è Sicilia antè discessisse vellet significare, quàm à Verre, cuius rapiendi libidines non solùm oculis, sed etiam auribus excitabantur, scyphis, & supellectile argentea spoliaretur: conquiri, inquit, Diodorum tota prouincia iubet. Ille ex Sicilia castra iam mouerat, & vasa collegerat. Conuasare, ait Nonius, est furto omnia colligere. Hoc est in sarcinam constringere, & componere, quæ tecum asportare, & auferre velis. Terent. Phorm. Aliquid conuasâssem, atque hinc me conijcerem protinus in pedes.

# PROGYMNASMA OCTVAGESIMVM SEPTIMVM.

## Pars posterior, seu laudatio Eruditionis.

*SOPHIA, ADOLESCENS.*

SOPHIA. Gratificabor tibi quod petisti, (quid enī hac petitione tua dici potest equius?) si paucis adhuc, quæ tam inscitè ab inimica mea, támque odiosè, & putidè effusa sunt, refutauero. A. Tui audiendi mira me cupido incessit. S. Credas igitur ipsam partim falsa, partim sibilo digna, partim aliena locutam, literásque nō modò laudari, sed nec vituperari sine literis posse, de quibus illa gustâsse videtur aliquid, vt canis è Nilo. Vna scientia liberalis alteri necessaria est, vt suo munere pfectè fungatur. Habent quoddā inter se cōmune vinculum: omnes autem humano generi tantum cōducunt, quantum nullius, etiā eloquentissimi lingua declarari potest. Imperitus literarum, est ille quidem homo, & absolutus homo, quod ad naturæ humanæ partes attinet: veruntamen socialis, ciuilis, mansuetus, similibúsque laudum honestamentis excultus, ac decoratus non est. Deinde si id necessarium interpretamur, sine quo esse non possumus, omnino id quod

vo-

volumus, aut debemus (volumus autem omnes boni, humani, tractabiles ac ſapientes eſſe) ad virtutem ſanè, & doctrinarum ſtudia incumbendum eſt, ſine quarum præſidio, adminiculóque in iſtorum, quæ à me nominata iam ſunt, bonorum poſſeſſionem nemo pedem eſt aliquando poſiturus. Incommoda, quę recenſuit, iocos, & cauillationes, quibus nugata eſt, exiſtima ad homines, non ad ipſas artes pertinere. A. Non habeo dubium, nihil illam magnoperè auditione dignum diſſeruiſſe. Te autem, mater, opere maximo rogo, pro tua facultate, & copia præſtantiam, fructus, ſuauitatémque ſtudiorum explanes: abs te enim veriſſima certiſſimáque dici putabo, & animam relinquam citiùs, quàm tua caſtra deſeram. S. Nauo tibi hanc operam fili, téque iam deſperatione illa exemptum, qua initio conflictabâre, auerſúmque ab illa vitæ ratione, quam loquacula mulier inſipientiſſimè, ſuadere nitebatur, mirum in modum vehementérque gaudeo. A. Demonſtrâſti perſpicuè miſerias aulicorum hominum, & tanquam in tabella ſpectanda exhibuiſti, grauíque me huius voluntariæ ſeruitutis odio incendiſti: quamobrem me quidem certè non ineſcabit hamus ille, nec aureis iſtis compedibus vnquam aſtringar. S. In terris nihil ſanè eſt admirabile atq; magnum, præter hominem, quem nonnulli terreſtrem mortalémque Deum nominare voluerunt. At in ipſo homine nihil eximium præter animum: in quo ipſo rurſum nihil magnum præter virtutem, & ſcientiam. Porrò vnus ille mundi rex, & conſtitutor

ſcientiarum ſemina, cupiditatémque cognoſcendi mortalibus ingenerauit: quidquid autem ab illo largifluo, perennique bonorum fonte promanat, hoc iuſtum honeſtúmq; cõfiteri, mos pius, ac bonus eſt. Iam ſi non fruſtra inſeuit, adhibenda eſt cultura, qua adoleſcant illa ſemina, fructúſque pariant innumerabiles. Ecquid ita eſt fili? A. Eſt verò haud aliter, ac loqueris, mater. S. Quid verò æquè decens hominem reperiatur, quàm indagando, & quotidie aliquid cognoſcendo addiſcendóque, conceſſum à natura viuendi ſpatium decurrere? cùm enim in eo nihil ſit ratione præſtabilius atque diuinius, certè nulla erit rationis functione nobilior: illa autem eſt intelligere, quo vno mens alitur. Propria hæc, inquam, rationis eſt actio, vt natatus piſcium, volatus auium, curſus equorum, fæuitia belluarum. Vnde animorum veſtrorum origo interris nulla apparet, quoniam cæleſtis eſt. Iſtóque modo ad diuinam ſimilitudinem peruenitur: ſiquidem Deus alio modo ab hominibus non intelligitur, niſi mens ſoluta quædam, libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, omnia mouens. Hebetes autem, indociles, & intelligentia parum valentes, non magis ſecundum naturam, quàm prodigioſa corpora, & monſtra videntur naſci. Apud omnes nationes atque populos, eruditis, ac ſapientibus viris ſummus ſemper tributus eſt honos, amplifſimáque decreta præmia, philoſophis, oratoribus, poëtis, medicis, mathematicis, iuriſconſultis. A. Et quidem non immeritò. S. Suſpi-

ce

ce hunc ducem ac moderatorem temporum ſolem, aſſidua vertigine cælum obeuntem, ſuáque clariſſima luce perfundentem, & colluſtrantem omnia. A. Suſpicio. S. Nónne is omnium, quicunque oculorum ſenſu orbati non ſunt, lux eſt, per quam res ſingulas intuentur? A. Eſt ſanè. S. Sic prorſus omnibus, quibus cæleſti beneficio conceſſa eſt ratio, tanquam oculus, lumen, dux, & ornamentum eſt vir ſapientiæ compos. Atque illi demum dicendi ſunt viuere, & memoriam ſui quàm maximè longam efficere, quibus, vel in ſenectute, aſpirare ad ſapientiam licuit: reliquorum vita ſomno eſt quàm ſimillima, in quo vanæ imagines inanéſque rerum ſpecies deludere animos cõſueuerunt: nec eſt animal in terris pulchrius homine literis tincto, atque adeò infecto. Eruditorum vitam exemplar quoddam dixerim illius beatiſſimi ſtatûs, in quo aurea ætate homines erant victuri: fuiſſet quippe tum vita non aliud quàm iucundiſſima quædam ſchola, in qua de rebus diuinis, de natura rerum, de æternitate animorum, de motibus cœleſtibus, de quibuſcunque vitę officijs, de pulcherrimis demum quæſtionibus quàm frequentiſſimè diſputaretur. Duæ item res ſunt quibus nihil habet natura humana conſtantius, nihil melius, nihil clarius, nihil maius, veritas & iuſtitia: diuitiarum enim, formæ, reliquarúmque rerum gloria fragilis, caduca, & exigua eſt. Harum porrò inquiſitio, explicatióq; ſcholis eſt commendata. Et quanquam in tẽplis, aulis & foro veritatem atque iuſtitiam regnare oportet, earum tamẽ noti-

tia è scholis petitur. Splendor generis, & familiæ, bonum quoddam est à maioribus acceptum. Diuitiarum possessio, fortunæ dominationi subiecta est. Honor res instabilis. Forma haud longi temporis. Sanitas quoque facilè corrumpitur. Etiam robur senectus, & morbus auferunt. Et elephantis, tauris ac leonibus validiores, quàm homini vires concessæ sunt. Bonorum itaq; omnium sola doctrina cæleste quiddam, & immortale est, nulli periculo, casibus nullis, nulli temporum varietati obnoxium. A. Admirabilia hæc, quæque in pectus meum sensúsque intimos, quàm suauissimè instituunt. S. Quid dicam de fructibus? si in animum idoneum, tanquam in pingue, ac sua natura fertile solum, disciplinarum isti satus inciderint, non poterunt non fœcundas ac lætas efferre segetes. An nó memorabilis sapientiæ fructus hic tibi videtur, quòd Reges, & Prīcipes viris doctis amicitiæ suæ fores cupidissimè, patefecerunt semper, & singulari eos liberalitate beneuolentiáque prosecuti sunt, séque illis instituendos tradere voluerunt? Pericles, qui annis quadraginta Athenienſium Rempub. administrauit, ab Anaxagora Clazomenio fertur institutus. Timotheum Cononis filium Isocrates, Epaminondam Lysias Pythagoreus, Alexādrum Magnum Aristoteles, Agesilaum Xenophon, Dionem Plato erudierunt. Solonis collocutionibus summoperè tenebatur Crœsus, cū Dionysio Plato & Aristippus familiariter vixerunt, cum Alexandro Callisthenes, alij demùm cum alijs. Inter sapientes autem non postremas poëtæ occupant,

pant, è quibus carum fuisse constat Æschylum, & Simonidem Hieroni, Euripidem Archelao, Scipionibus, & Catoni maiori Ennium, Lælio sapienti Lucilium, Memmio Lucretium, Mæcenati, & Augusto Imperatori Virgilium, & Horatium: omitto alios, quos memorãdi magna mihi esset copia. Ac tametsi opes docti non sitiunt, fit tamen vt eas assequantur. Non vixit pauper ac tenuis Aristoteles, nõ Demosthenes, non Gorgias, non Isocrates, non Virgilius. A. Ducenta quinquaginta millia coronatorum acquisisse per amicos scribitur hic postremus. S. Et hic idem aliquãdo panes in mercedis loco accipiebat ab Augusto. A. Legi historiam. S. Censen' quidquam vtilius, quàm rectè viuere? A. Nihil. S. Atqui Philosophia omnem virtutis, officij, benéque, & innocenter viuendi disciplinam continet, omnium bene factorum, benéq; dictorum mater. Quid quæris? Eloquentia hominum fraus ad perniciem, integritas ad salutem vocatur. Iurisprudentia quid æquum, quid iniquum sit decernit. Poëtæ aut prodesse volunt, aut delectare: aut simul, & iucunda, & idonea dicere vitæ. Mathematicarum doctrinarum terra marique multis rebus, ac temporibus creber est vsus. Eruditio iuuenibus donat sobrietatem, senibus affert solatium, pauperibus conciliat opes, diuitibus eximium decus. Summatim, quidquid cernitur inter mortales humanitatis, moderationis, prudentiæ, virtutis ac sapientiæ, totum è literarum purissimis sanctissimísque fontibus profluxit. A. Sic me ad assentiendum commouet oratio tua, vt hacte-

ctenus æquè nulla. S. De voluptate literarum dicendum reſtat. A. Eam partem percupidè, exſpecto. S. Incredibile memoratu eſt, quanta ea, & quàm multiplex ſit: quam augent conuentus illi ſcholaſtici, vbi in omnium artium varietate verſati doctores conſuli, interrogari, audiríque poſſunt. Natura ſimili delectatur: at in gymnaſijs multos quiſque ſui ſimiles, hoc eſt, ijſdem artibus initiatos atque conſecratos inuenit. A ſemetipſo in rebus aduerſis ſolatiũ petere vir doctus poteſt: obliuiſcitur etiam calamitatum ſuarum, & aberrat à moleſtijs eruditis cogitationibus intentus ſemper animus. M. Tullius filia mortua per literas doctiſſimis, ſuauiſſimíſque allocutionibus dolorem ſibi ſuum leuauit. Fecit hoc idẽ in exilio Ouidius, fecit Boëtius. Quantæ autem iucunditatis putas, cum tot excellentiſſimis veteris memoriæ hominibus colloqui, & eos quaſi hoſpitio excipere? cum Homero, Platone, Ciceróne, Plutarcho, Herodoto, Thucydide, Liuio, Sallustio, Cæſare, Euclide, Virgilio, Terentio? velut in imagine ipſorum ſenſa, ingenia, ſapientiam perſpicere: ſuperioribus, & vetuſtiſſimis illis ſæculis videri interfuiſſe: totum mundum, omnémque antiquitatem animo circũferre? Si etiam agreſti parua, leuíſque notitia delectationem dat: quantoperè hominem eruditum infinitæ rerum pulcherrimarũ maximarúmque cognitiones delectabunt? Mira voluptas è fidium, tibiariũ atque vocum cantiſius hauritur: veruntamen illa continuò euaneſcit: literarum eſt ſtabilis ac permanens: quæ interdum mentẽ humanam

manam ita velut captiuam,& oppreſſam detinet, vt nec oculi,nec aures, nec guſtatus ſuum faciant officium: Atque hæ res,quas hactenus audiſti, in cauſſa fuerunt, vt tam indefeſſos aſſiduóſq; labores in cumulata eruditione ſibi pariunda multi ſuſciperent, tótque regiones tam diſtantibus locis, tam diuerſo ſub cœlo poſitas peragrarent. Plato,& Pythagoras in Ægyptum ,ille etiam in Italiam contendit, Anacharſis Scytha Athenas vnit, Apollonius ad Indos eſt profectus. Carneadi idem philoſophandi qui viuendi finis fuit. Demoſthenes Thucydidē octies ſua manu deſcripſit: de cuius vigilijs, & ſtudijs multa paſſim narrantur. Sophocles cùm propè centeſimū ætatis annum attigiſſet,ſub ipſam mortem fabulam præclariſſimam Oedipum Colonæum diuulgauit. Horum, aliorúmque exempla ſtudioſè imitaberis, & in eo, quod tam neceſſarium, tam fructoſum, iucundúmque intellexeiſti conſectando nullam neq; corporis, neque animi defatigationem contentionémue recuſabis. A. Abducas me tecum licebit, tuíſque diuiniſſimis præceptis inſtituere pergas. Nihil me iam præter vnam te poteſt recreare: in te mihi ſunt omnia; tibi immenſas,& habeo,& ago gratias, cuius prudentiſſima ſplendidiſſimáq; diſputatione mens mea colluſtrata liquidiſſimam veritatem intuetur: tibi omnia mea quàm commendatiſſima eſſe cupio: ad tuum arbitratum imperiúmque mè totum conuerto. S. Saluus es ſi iſtam animi firmitudinem obtinens. Serua tibi perpetuam patronam & auditricem me, atque hanc inuentam inueni.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

NEc aureis istis cõpedibus) *Diogenes Aristippũ philosophum in aula regia degentem aureis compedibus teneri dicebat, ne exire posset: captum videlicet delicata illa, & spleudida vita Principum. Est tamen stulti, vt ait Seneca, suis delectari compedibus, tametsi aureis. Lege prouerb. Aureæ compedes. Item de miseriis Curialium, Æneam Syluium, aliósq; complures auctores cum eodem coniunctos, de vita aulica, & priuata,* Cupiditatémque cognoscendi) *Cic. 5. de finibus. Tantus igitur innatus est in omnibus cogitationis amor, & scientiæ, vt nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmúsne vt pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus, perquirendisq; deterreantur? vt alijs narrare gestiant? vt pompa, ludis, atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eámq; rem vel famem, & sitim perferant?* Vna scientia liberalis alteri) *Quid poterunt sine Grammatica reliquæ omnes? quandoquidem illa velut ianua, & clauis est aliarum. Quid sine Dialecticis, & Rhetorica, & Iuris ciuilis prudentia, & rursum cæteræ omnes? siquidem instrumentum sciendi est. Quid sine Mathematicis Philosophia? quid sine Philosophia vel Medicina, vel Theologia? Quid sine leuioribus, seu humanioribus literis illæ interiores, & reconditæ? Quid rursum sine illis istæ? Ac putarunt quidam ob hanc caussam dictas esse Musas quasi ὁμοῦ οὖσας, quod sunt, seu esse debent simul.* Nihil sit ratione præstabilius) *Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur.*

ſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia, Deum ſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cætera illi cum animalibus ſatisq; communia ſunt. Valet? & leones. Formoſus eſt? & pauones. Velox eſt? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores: Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ? & vermes: Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem mobiliorémque luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta, & conſummata felicitatem hominis impleuit. Seneca epiſtola 76. Hunc ducem, & moderatorem temporum ſolem) *Adſcribamus locum Plinij ex capite 6. lib. 2. quo hunc principem ac moderatorem luminum reliquorum, mentem ac temperationem mundi eximiè collaudauit. Eorum (ſiderum errantium) medius ſol fertur, ampliſſima magnitudine ac poteſtate: nec temporum modò terrárúmque, ſed ſiderum etiam ipſorum, cælique rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planius mentem: hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, auférque tenebris: hic reliqua ſidera occultat: hic vices temporum, annúmque ſemper renaſcentem ex vſu natura temperat: hic cæli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani nubila animi ſerenat: hic ſuum lumen cæteris quoq; ſideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, vt principi literarum, Homero placuiſſe in vno eo vide. Arnobius lib. 1. Siderum ſol princeps, cuius omnia luce veſtiuntur atque*

anı-

*animantur, fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum. Vide multa apud Macrobium cap. 20. lib. 1. in ſom. Scip.* Dicendi ſunt viuere) *Otioſi à dormientibus, atq; adeò à mortuis perparum differunt. Qui autem verè, & vtiliter ſint occupati, atq; ideirco etiam verè vigilantes, viuentéſque, oſtendit Seneca de breuit. vitæ cap. 14. in extremo, & ſequenti.* Homine literis tincto atque adeò infecto) *Cic. 2. de Orat. Sit enim mihi tinctus literis, audeirit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit, &c. Vbi Budæus Commentar. linguæ Græcæ, arbitratur Tullium exprimere voluiſſe* βεβαπτισθαι *quod valet bene tinctus, ſeu imbutus, ita vt deleri tinctura, aut elui non poſſit. Ac de purpura propriè, de aliis omnibus quæ colorem habent, metaphora dici affirmat Suidas. Victorius lib. 10. cap. 18. aliter ſentit, Ciceronem in prōptu, ſummáque tantùm cutè aſperum, ac coloratum ſignificâſſe: id declarari verbis ſequentibus, legerit aliquid, audierit, &c. lege reliqua apud eundem.* A ſemetipſo in rebus aduerſis) *Hoc fecerunt, qui in hoc ipſo dialogo nominantur Cicero & alij. Et teſtatur id de ſe pluribus locis Cicero, ſibi literas ſuas eſſe in rebus incommodis leuamento ac ſolatio. Quod ſi auaro in aduerſa quapiam fortuna dulcis eſt pecunia, in arca recondita, ambitioſo ſuus honor, voluptario ſua Venus: cur ſapientem non delectet ſua ſapientia?* Seſe per literas) *Epiſt. 9. lib. 12. ad Atticum, ipſe me per literas conſolatus ſum, quem librum ad te mittam. In Bruto, hanc ſcientiam Varro pluribus, & illuſtrioribus literis explicauit. In eodem libro Attici, quem dicit ſibi ſolatio fuiſſe, vocat literas. Omnino vox literæ, frequenter*

*Cic.*

Cic. libros, orationes, & monumenta significat. Suauissimisque allocutionibus) *Alloqui quempiam dicebatur, qui ad eum mœrentem accedebat, verbisq; dolorem illius minuebat, vt Græcis* παραμυθῆσ & παρηγορεῖν. *Varro lib. 6. de ling. lat. Hinc allocutum ire mulieres aiunt, cùm eunt ad aliquam locutum consolandi caussa. Sic allocutio pro consolatione, vt* παραμυθία, παρηγορία. *In quam notionem cœpit hoc verbum Sueton. in Tiberio. cap. 23. Catull.*

*Quem tu, quod minimum facillimúmque est,*
*Qua solatus es allocutione?*

*Seneca Troade. Alios parẽtes alloqui in luctu decet. Tibi gratulandum est. Sic alloquium* παραμύθιον. *Horat. Illic omne malum vino cantúque leuato. Deformis ægrimoniæ Dulcib' alloquijs. Victor. lib. 8. c. 23. Muret. lib. 2. cap. 4.* In exilio Ouidius) *Sic ipsemet de se ac studio suo Trist. 4. eleg. 1. Scribit item Plutarchus in consolat. ad Apollon. de Antimacho poëta. Cui cùm mortua esset vxor Lyde, quam eximiè diligebat, elegiam, qua semet consolaretur composuit, qua Lyden nominauit, enumeratisq; heroicis calamitatibus, & infortunijs, malis alienis ægritudinem sibi minuit.* Vt nec oculi, nec aures) *Cic. 5. de finibus. Quid verò, qui ingenuis studijs atque artibus delectantur: nónne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniáque perpeti, ipsa cognitione, & scientia captos? & cum maximis curis, & laboribus compensare eam, quam ex discendo capiunt, voluptatem? Lege totam paginam: multis enim ostenditur, quomodo ab sese totos conuertat homines, & mirabiliter pascat scientiarum iucunditas.*

Plato,

Plato,& Pythagoras in Ægyptum) *De Philosophorũ peregrinationibus Cic. lib.5.de finibus in hunc modum: Cur Plato Ægyptum peragrauit, vt è Sacerdotibus barbaris numeros, & cælestia acciperet? Cur post Socratem ad Architam? Cur ad cæteros Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem Locros, vt cùm Socratem expressisset, adiungeret Pythagoream disciplinam, eáque, quæ Socrates repudiabat, addisceret? Cur ipse Pythagoras, & Ægyptum lustrauit, & Persarum magos adijt? Cur tantas regiones barbarorum pedibus obijt, tot maria transmisit? Cur eandem Democritus, &c. In eodem. Quid de Pythagora? quid de Platone, aut Democrito loquar? à quibus propter discendi cupiditatem vltimas terras videmus esse peragratas.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM OCTAVVM.

## Studia politioris Humanitatis.

*VERANNIVS, MVSÆVS Magistri.*

VERANNIVS. Frequens excussi atque ponderaui acutissimam illam, præclarissimámque, & perpaucis notam M. Tullij sententiam de doctoribus, qua nihil verius dici potuisse confirmo: vt quisque ingeniosissimus est, inquit, ita laboriosissime docet: quod enim ipse celeriter didicit, id cùm alij aridùs arripiunt, cruciatur. M. Nondum perspicio quor-

quorsū collimes. V. Atqui nihil facilius. M. Aſt ego Dauus ſum, non Oedipus. V. Ingenium ego mihi quidem ſummum non arrogo, mediocre, & infra ſummum detrahi ferrem paulò ægriùs. M. Eſto. V. Sed quanquam ingenioſiſſimus haud numerer, hoc tamen narro tibi, me docere laborioſiùs: id eſt, cùm video, quę à me dicuntur, arripi tardiùs à multis, cruciari vehementius. M. Et mihi bilem cōmouent, quos ita de ijſdem rebus coger docere in dies, velut ſi eandem incudem perpetuò continētérque tunderem. Qui etſi meo iudicio tam ſapiens minimè ſum, quàm fuit is, qui oraculo Delphico mortalium ſapientiſſimus eſt renūtiatus, at ſtultitia certè quidem carere me confido: quæ quidem conſenſu omnium philoſophorum maius eſt malum, quàm ſi omnia mala, & fortunæ & corporis ex altera parte ponantur. Ita Cic. in 3. de nat. deor. ſcripſit. V. Simili fortuna vtimur: tuorum plerique ſunt hebetes, meorum pauci ingenioſi ac dociles. Proinde ex ſententia philoſophi neſcio cuius, non iniuſtè magnam mercedem exegerimus, ab vtriſque: ab ingenioſis quidem, quòd multa diſcunt: ab obtuſis, quòd multum moleſtiarum exhibent. Veruntamen communis hæc ludimagiſtrorum calamitas: communia autem toleranter patienda ſunt. Ingeniū dare ſibi nemo poteſt: ſedulitatē, & induſtriam poteſt quilibet. Quibus de rebus ante meridiem diſputâſti in gymnaſio? M. De illuſtribus. V. Sic reor equidē. De bello Troiano (quæ eſt materia in ore noſto frequētiſſima) aut de hiſtoria, aut de poëſi fortaſſe. M. De

nullo istorum. V. Quid suspēdis me? quin rem dicis? M. Quoniam iuuentuti trado literas humaniores, & hac voce nihil contritius, cùm tamen eius ratio & subiecta vis, nec à doctoribus nonnullis intelligatur, de studijs Humanitatis de industria disserui. V Prudenter feciſti. Non multi abierunt dies, cùm idem inter meos argumentum tractaui. M. Munere sīgulari abs te ornatum me putabo, si disputationis tuæ summam quandam, ipsáq; capita recensueris. V. Faciam id ego, si tu priore loco sententiarum tuarū cōscium me feceris. M. Primò triplicem humanitatis significatum statui: post id causſas attuli tres, ob quas hæc liberalissima studia isto nomine afficerentur. V. Quid tertio loco ostendisti? quanquā id opinione præcipio. M. Quàm latè paterent, quas artiū facultates ambitu suo includerent. Postremò de iucunditate, vtilitate, dignitate eorundem, verba feci, & adolescentes ad ea toto pectore complectenda excolendáq; inflammaui. V. Debitum tenuisti ordinem, via & ratione processit oratio. Cæterum animi, & memoriæ causſa rerum propositarum summam mutuo sermone iteremus. Et sicut nautis de re nautica, de ventis ac tempestatibus, agricolis de seminibus & frugibus, militibus de bello, & armis audire, & colloqui cum voluptate mos est, ita nos de communi professione nostra, déq; suauissimis studijs, in quibus vterque iam pridem versamur, vel sæpius in colloquiū venire delectet. M. Bene iudicas. Humanitas igitur in latina lingua idem est, quod natura hominis, quódque ad hominem pertinet, eiúsque pro-

proprium eſt: hoc, inquam, totum humanitatis nomine comprehenditur. Sic eos omnem humanitatē exuiſſe dicimus, qui naturę officia contempſerunt, perinde, ac ſi homines ſe eſſe quodammodo obliti ſint. M. Tullius agens de parricidio, quod à Sexto Roſcio filio cōmiſſum accuſatores mentiebantur. Magna eſt enim vis humanitatis, inquit, multū valet cōmunio ſanguinis, reclamat huiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura. Deinde humanitas eſt, quę à Græcis φιλανθρωπία dicitur, dexteritas quædam, & beneuolentia erga omnes nobiſcum naturę ſocietate fœderatos, prorſus erga omnes homines morū facilitas, ſuauitas, lenitas, placabilitas, manſuetudo. Sic Cicero ſcripſit difficillimam eſſe ſocietatē grauitatis cum humanitate. Idē laudat neſcio quē, qui ſummam ſeueritatem cum ſumma humanitate coniunxerit. Sequitur tertia notio, qua capitur pro eruditione, & inſtitutione in bonas artes: Græci παιδείαν vocant. Cicero: Homo non hebes, neq; inexercitatus, neque communium literarum, & politioris humanitatis expers. Et alibi: Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadā inter ſe continentur. Teſtis item à Gellio adducitur. M. Varro, qui ſic vſus eſt hoc verbo, libro rerū humanarū primo. Praxiteles, qui propter artificium egregium nemini eſt paulùm modò humaniori ignotus. Humaniori, inquit, nō ita vt vulgo dicitur, facili, & tractabili, & beneuolo, tametſi rudis literarum ſit (hoc enim cum ſententia nequaquam conueniret) ſed

eruditori doctioríque, qui Praxitelem quis fuerit, & ex libris, & ex hiſtoria cognouerit. V. Perſpicuè diſertéque docuiſti, quæ huic vocabulo notiones ſubijcerentur. Mea porrò opinio eſt, ab illa prima fluxiſſe alteram, & ab hac tertiã. Quia enim ad humanitatem, id eſt, ad naturam hominis vehemẽter pertinent lenitas, manſuetudo, comitas, idcirco ea cõmuniter humanitatis nomen acceperunt. Certè homines iracundos, agreſtes, inurbanos, duros, implacabiles, vix in hominibus, ſed in belluis magis numerandos arbitror. Et quoniam, qui iſtas, de quibus ſermo à nobis ſuſceptus eſt, literas ſtudioſè colunt, comes, faciles, tractabiles, iucundi & ſuaues euadũt, propterea ipſimet eruditioni, ab effectu ſcilicet, hoc nomen impoſitum mihi videtur. M. Extra controuerſiam eſt huius elegantiſſimæ doctrinæ alumnos humanitatis laude excellere. Habet enim eam vim ac poteſtatem, vt quamuis naturam, quoduis ingenium miteſcere, molleſcere, ac manſueſcere, cogat: & vt quiſq; ab ea felicitſimus, ita eſt facillimus atque leniſſimus. Teſtimonium petere poſſumus ab Ouidio, ingenioſo ac pererudito poëta duplex. Primũ eſt

*Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,*
*Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.*

Alterum.

*Artibus ingenuis (quarum tibi maxima cura eſt)*
*Pectora molleſcunt, aſperitásq; fugit.*

Sit ergo hæc prima cauſſa, cur hæc vox ad ingenuas artes ſignificandas ſit accommodata. Secundam vide à nonnullis afferri, quòd nemo ferè, niſi placa-

placabili, & manſueta præditus natura, & ab omni motione feritatis aliena, poſſit in hanc partem ſtudiorũ placidiſſimam pulcherrimámque incumbere, & eius cupiditate incendi. V. Nec iſti rationi ſua deeſt probabilitas, humanas, ſiue humaniores appellari literas, quãdo eas ferè nõ niſi humani, id eſt, lenibus à natura, & manſuetis ingenijs ornati homines conſectantur. Vel igitur quia faciunt humanos, vel quia non patiuntur niſi humanos ideo humanitatis nomẽ ſortiuntur. M. Adiungam his tertiam ex A. Gellio, apud quem ita ſcriptum eſt: Huius enim ſcientię cura, & diſciplina ex vniuerſis animãtibus vno homini data eſt, idcirco Humanitas appellata eſt. V. Hóccine Gellius? M. Etiã. Sed, quod bona cum venia tanti ſcriptoris, liceat mihi dicere, cùm neque iſtarum, neq; aliarum artium, vt Mathematicæ, Medicinæ, Iuriſprudentiæ, Philoſophiæ, Theologiæ participes ſint aliæ animantes præter hominem, ſi quid hęc ratio valeret, eędem illę quoq;, quas recẽſui diſciplinas, Humanitatis nomen ferrẽt. V. Rectè argumentationem concludis: non placet hæc vltima cauſſa. Quibus autem finibus, quibus terminis Humanitatem circumdas, ac circumſcribis? M. Grammaticis (quo nomine duarum linguarum, Græcæ videlicet, ac Latinæ acerrimum, & admodũ latè patens ſtudium intelligo) poëticis, oratorijs, hiſtoria, ſine antiquitatis notitia, dialecticis, & morum philoſophia. Non quidem his ſolis, ſed his potiſſimùm. V. Multa hæc, imò infinita complectũtur. M. Nec ſolùm vniuerſa, ſingula: quod nõruut

optimè, qui longiùs diſcendo progreſſi ſunt. V. Perueniimus ad diſputationis tuæ quartum caput, quo iſtorum laudes celebrâſti. Si otium ſupereſt, quæſo, ſtrictim quædam repete: non enim te audiendo fatigari poſſum. Quid enim agam nunc aliud? aut in quo vtiliùs hunc diem poſſum conſumere? M. De laudibus harum literarum puto abs te orationē habitam. Quare tu mihi exponas licet, quibus argumentis earum dignitatem, ſuauitatem, vtilitatem oſtenderis: multò enim eruditiùs elegantiúſque id preſtitiſti quàm ego poſſim. V. Falſus animi es: vituperatoribus enim humanitatis reſpondi tantùm. M. Eam ipſam reſponſionem fuiſſe laudationem dico: quippe cùm ſtudia hæc noſtra maximè defendūtur, & à contemptu vindicantur, tum maximè cōmendantur. Incipe Verrani, fac promiſſa, libera fidem. V. Quoniam premis, & acriùs inſtas mihi, accipe: alieno vti nihil moror. Criminationem iſtorum in quatuor diuiſam eſſe partes, & quodammodo quatuor tela in nos iaci animaduerto. Hoc genus ſtudiorum leue, inane, ac nugatoriū ducunt: quod qui profitētur, nequaquam graues difficilésque labores ſuſcipiant. Ex eo deinde haud ita admirabiles vtilitates ad Rempublicam peruenire cēſent, cùm eius doctores interiore, & ſingulari eruditione præditi non videantur. M. Probè rem percepi, & quatuor illa, de quib⁹ dixiſti, capita accuſationis planè video. Aciem igitur tuam contrà ſic inſtruxiſti, vt munus noſtrum, & grauiſſimū, & multis difficultatibus plenū eſſe, nóſq; & cōmodare plurimùm ciuitatibus.

& par-

& partes nostras sine varijs, multisque literis tueri neutiquam posse demonstrares. V. Hæc ipsa docui Musęe. M. Potuitne ergo magis collaudari Humanitas? V. Potuit ab alio me disertiore & doctiore. Tamẽ cùm hæc studia mihi famam aliquam celebritatémque in hac vrbe peperisset, decere existimaui, vt ipsis vicissim pro virili mea aliquid splẽdoris cõciliarem. M. Iure. V. Valde ad nos deformandos mouet aduersarios, quòd nõ ita prẹmijs, & honoribus mactari cõspiciũt in hisce studijs, vt in medicina, & iure ciuili sese collocantes: quæ quidem hoc tempore sunt artes duæ quęstuosissimæ. Nullis ĩ negotijs deliberationibúsq; arduis consilium nostrum postulatur, non componimus ciuium controuersias, non agimus causas, nemini salutem damus. Proinde nos arbitrantur tantùm versari in figmẽtis poëticis, quibus auditorum nostrorum animos hilaremus: & in aliquot faciendæ ornandæque orationis præceptiunculis operam cõsumere: quærere quæ fuerit mater Hecubæ, quid cantent Sirenes, quot remiges Vlysses habuerit: Æneas à naui egrediens, vtro pede Italiam tetigerit priùs: Anacreon vinosior, an libidinosior, Homerus an Hesiodus antiquior fuerit. Hanẽ esse eruditionem nostram: quæ neque si adsit vllum emolumentum, neque si absit, vllum detrimentum communi generet: dialecticen, physicen, philosophiam moralem maximas vtilitates parere aiunt, ídque ipsum verbis docent. M. Audire gestio confutationem tuam. V. Etiamsi assentiremur hoc verbis, inquam, nihil nos nisi poëticas fabulas, &

orationis perpoliendæ præcepta tradere, non liceret tamen concludere, hanc noſtram doctrinam quiddam inane, & ad puerorum tantum modò aures, animóſq; demulcẽdos idoneum eſſe, nec vllum artibus noſtris cum Philoſophia commercium intercedere. Non ſunt enim otioſorum hominum commenta duntaxat iſtæ poëtarum fabulæ, vt vos calumniamini: quin tanquam integumenta omnem liberalibus ingenijs decoram cognitionem, ſapientiámque omnem complectuntur. Nunquámne illud Maximi Tyrij legiſtis? Quid aliud eſt poëtica, inquit, quàm philoſophia, tempore quidem vetuſta, cõpoſitione metrica, ſentẽtijs mythologica, ac fabularũ inuolucro tecta? Plato & Ariſtoteles quàm ſtudiosè Homerum legerunt? quàm ſæpe eius teſtimonijs ad res ſuas confirmandas vſi ſunt? Ipſe Plato poëtas modò ſapientiæ patres ac duces, modò Deorum interpretes, modò Deorum filios appellat. Cùm igitur poëtas interpretamur, ſementem quodammodò virtutis, atque doctrinæ facimus. Cùm autem quo pacto aptè, diſtinctè, ornatè, copiosè, planéque oratoriè loquendum ſit præcipimus, ea docemus, quæ ſemper in omni libera ciuitate, benéque inſtituta, & optimis temperata legibus Repub. plurimum valuerunt. Quis ignorat vim eloquentiæ: quantúmque ipſi à ſapientibus ſemper tributum ſit? legite quæ à Craſſo in 1. & ab Antonio in 3. de oratore grauiſſimè ſapientiſſiméque dicuntur, & à nobis eius facultatis artificium petendum intelligite. Quod ſi hæc duo tantùm tractaremus, & hoc ſolùm à nobis poſtula-

ſtularetur, tamen nec leuibus in rebus induſtriam noſtrã exerceri; nec parum nos prodeſſe hominum ſocietati iure affirmaremus. Nunc attendite pauliſper, quantum opinione veſtra aberretis, & quantoperè fallat vos ſententia. Nulla eſt ars ingenuo apta homini, cuius non aliqua cognitione imbutum eſſe oporteat eum, qui cum laude hoc munus velit adminiſtare. Alij eos volunt, & tractant ſcriptores, quorum vno aliquo genere diſputatio continetur. In libris quippe dialecticorum, phyſicorum, medicorum, iuriſconſultorum haud ferè inuenias, cuius intelligentiam non ex illis ipſis, de quibus inſcripti conſcriptíque ſunt artibus petere queas. Nobis ij ſunt explicandi libri, qui cùm à viris omni ſcientia inſtructiſſimis confecti ſint, ipſi quoque innumerabiles locos ex omni diſciplina depromptos habent. Cæteri ſi vnam illam artem tenent quam docent, aliarum ſint omnino imperiti, atque rudes, exiſtimantur tamen munus ſuum præſtare poſſe: nec medico vitio datũ eſt neſcire leges, aut iuriſperito ignorare medicinam, aut aſtrorum rationem: nos vni ſumus, quibus omnis illa artium magnarum liberaliúmque varietas non pertractanda quidem ac pernoſcenda penitus, ſed deguſtanda certè, & delibanda eſt neceſſariò. Itote nunc, nullámque eximiam in Humanitatis doctoribus ſcientiam ineſſe blaterate. Pergite iam in odium contemptúmque nos trahere, vt qui nullo commodo ſimus Reip. qui nullos labores perferamus, quíque nugas tantùm venditemus. Fateor me breuem fuiſſe. Atque hoc ideo,

ideo, quòd non desunt, qui de hoc argumento vos plura, & melius doceant. Hæc, Musæe, capita sunt defensionis meæ. M. Nisi me domum reuocarent negotia, pluribus tecum agerem: nascetur alia occasio. Vale. V. Mi Musæe tu quoque.

## ANNOTATIONES.

STudia politioris humanitatis) *Cic. vocat artes, quæ ad humanitatem pertinent. Præterea, artes, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari solet. Item politiorem humanitatem, & virum humanitate politum. Docti sæpenumero studia humanitatis, liberalia, optimarum artium studia, liberalem, ingenuam doctrinam, artes ingenuas.* Dauus sum, non Oedipus) *Ita seruus apud Terent. Andr. cùm senex obscuriùs, & quasi ænigmata loqui videretur, vt proindè opus esset aliquo Oedipo. Notum est ænigma apud Thebas à Sphinge propositum de eo quod manè quatuor pedibus incederet, meridie duobus, vesperi tribus, quod quidem Oedipus dissoluit. Plaut. Pœnulo.*

*Nam isti quidem hercle orationi Oedipo*
*Coniectore opus est qui sphingi interpres fuit.*

Summam quandam) ἀνακεφαλαίωσιν *Græcis est breuiter, summatim, rem in summa quadam repetere, capitulatim, seu per capita iterare ante dicta. In scientia numerorum, est in summam colligere, ac redigere, ἀνακεφαλαίωσις est summaria repetitio. Sic potius dicam, quàm recapitulatio, & sæpe vtar libentiùs duabus, aut tribus vocibus aut latinis, aut latinioribus, quàm vna inquinata, & veteribus inaudita: modò ob-*

*obscurus ne fiam. Nam si quid ego iudico, præstat barbarè loqui, quàm obscurè loqui. Obscuritas autem aliquando dicentis, aliquando audientis culpa contingit.* Adde. Quod ingenuas) *Cic. ad Q.F. lib. 1. epist. 1. Cuius natura talis, vt etiam sine doctrina videatur moderata esse potuisse: ea autem adhibita doctrina, est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere possit. Similis sententia extat apud Plat. in extremo tertio de Repub.* Quod non desunt) *Agminis nostri duces, & Imperatores, Victorij, Mureti, Sigonij, Amisæi, quod sciam, de studijs Humanitatis luculentissimas orationes reliquerunt, quæ calumniatoribus ora obstruere, & ad funem reducendum eos cogere poterunt. Nos è Mureto quædam saltuatim decerpsimus.*

# PROGYMNASMA OCTOGESIMVM. NONVM.

## M. Tullius Cicero.

### CHRYSOSTOMVS, GLAPHYRVS.

CHrysostomus. Nunquam tam mane, neque tam serò te conuenio, Glaphyre, quin legentem aliquid, affixúmque libro offendam: vt tibi illud Plinij penitus in animo insedisse videatur: Omne tempus perire sibi dicebat: quod studijs non impenderet. Cum autem ex te percunctor,

ctor, quid auctoris euoluas, rarò alium præter M. Tullium nominare soles, cuius modò epistolas, modò τεχνικὰ, seu præcepta oratoria, modò orationes, modò φιλοσοφήματα manu tenes. Facere neque quin te mirer. G. Cur mirare? C. Nam cùm impendio non modico bibliothecam tibi construxeris, possideásque scriptores, & eruditione præcipuos, & elegantia non contemnendos, eósque propè innumeros, quid est quod vni hnic tam fixè pertinacitérque inhæres, vt ab eo diuelli non possis? Crantor philosophus de poëtis exosculabatur Homerum & Euripidem: hic tibi vnus præ omnibus in amore ac delicijs est. G. Nicostratus pictor Zeuxidis Helenam cùm admiraretur, eum quidam interogauit, quid ita tam vehementer illam picturam suspiceret? Non interrogâsses, inquit ille, meos oculos habuisses. Nec tu me Ciceroni adeò deditum mirarere, si ea videres, quæ ego videre cœpi, si meos, inquam, oculos haberes, non me etiam ipse interrogares. Me istuc factitare, quod obijcis, fateor, atque etiam profiteor, & prę me fero: & quò magis facio, eò minuùs fecisse pœnitet: quantóque ampliùs, & diutiùs hunc suauissimum saluberrimúmque cibum comedo, tanto maior me stimulat esuries, illiúsque vehementiore desiderio exardesco, suúmque in dolore ob eam rem grauissimo, quod diuini huius, ac cælestis ingenij monumenta, à quo tot magnarum, optimarúmque artium probè præcepta fuit, & præclarissimis literis explicata doctrina, nec omnia ad nos peruenerunt, & quæ peruenerunt, nec integra

sunt,

sunt, nec adhuc satis clara, & emendata: id quod eius studiosi tantùm non quotidie experiunrur. Et quis tandem est ἐκ θεοῦ φιλολόγων, qui non vnum saltem alterúmue locum emaculet, corrigat, sanet, illustret, declaret, castiget, restituat, purget, defendat? his enim verbis, idémque valentibus multis in ista re vtuntur. C. Hæc tria, primum potissimè cum T. Liuio, Varrone, poëtis, plurimísque non spernendis scriptoribus ãtiquis, tum Latinis, tum Græcis ipsi cõmune est: quorum labores, & vigilias aut edax tempus, inuidiosáque vetustas nobis abstulit: aut barbarorum Italiam & Græciam depopulantium furor, & immanitas deperdidit. Deũ immortalem quas gazas? plus quàm Pactoli opes, plus quàm talenta Pelopis. Ac si tantis copijs fortumísque indignissimè spoliati, nihilominus tam exaggeratas adhuc eruditionum diuitias retinemus, qualis quantáque extitisset nostra felicitas, si tot librorum lectissimorum millia seruata fuissent? Veruntamen tu reliquorum auctorum vicem parum solicitus, vnius casum iacturámque inprimis dolenter pateris, & lamẽtaris, cuius amore percussus es suprà omnes. G. Equidem Ciceronis vnius, qui mihi est pro centum millibus, amore percussus sum, vt dicis. Iam si amare, ex quo amicitiæ nomen dictũ est, nihil est aliud, vt hic idem docuit 2. de Finibus nisi velle bonis aliquem affici quàm plurimis, etiamsi ad se exijs nihil redeat, nónne mihi optandum medullitus, vt extent de Repub. de consolatione, de temporibus suis, Hortensius, cæterique libri latinæ linguæ, & eloquen-

loquentiæ Romanæ parentis, omni doctrina elegantiáque refertiſſimi? vt quanquam vbique terrarũ iam pridem adeptus eſt ampliſſimam, tamen longè ampliorem adhuc laudis, & gloriæ celebritatem adipiſcatur. C. Peruellem ego quoque extarent tam præſtantis ingenij, támque ſapientis, & clari hominis opuſcula reliqua, ſed ea aut noſtram, aut poſteritatis memoriam aliquando viſuram, cùm hactenus tanto interuallo temporis prolata non ſint, deſperandum opinor. Hic ego immortales gratias habendas illi ſtatuo, qui abhinc ſeptennium Conſolationem, aureolum profectò libellum è tenebris vetuſtatis in lucem eduxit, & deſiderationem tot amiſſorum librorum, vnius inuentione, quoquo modo leniuit. G. Ha ha ha; ſimplicitatem ſpectate huius mei Chryſoſtomi. C. Ride, & deride vt lubet, me de ſententia non detrudes. G. Quid? tu illum commentariolum è Ciceronis officina proceſſiſſe? quid? tu illius ingenij extra omnem ingenij aleã poſiti, tu facundiæ literarúmque parentis fœtum eſſe credis? C. Quidni credam? ita prædicant. G. Ita prædicant? ô inſcitiam, ô imprudentiam. Quis inuenit? vbi inuentus eſt? qua occaſione? quo modo? quo anno? cur nullæ lacunæ? cur nihil vſquam imperfectum? cur nullam cariem? cur blattas ac tineas nuſquam ſenſit? vſque adeóne oleo cedrino illum perunxerant? omnia plena, integra, nihil mutilum, nihil ſitu exeſum, nulla litera fugiens, omnia expeditiſſima, quaſi tum primùm ſcriptus eſſet, cùm eſt repertus. C. Mouerunt me prin-

principiò iſta quæ opponis, & mirabar ſine vlla præfatione, ſine emendatione, ſine vlla annotatione tot añorum centurijs ſepultum proferri librum. Aſt omnem poſtea ſcrupulum Caroli Sigonij, hominis in antiquitate perſcrutanda diligentiſſimi, & eloquentiſſimi, orationes duæ mihi exemerunt, quibus eum & à Cicerone confectum, & partum ſuo parente dignum eſſe demonſtrauit. G. Errorem haud leuem in extrema ſenectute obiectum Sigonio, & Conſolationem iſtam eſſe ſuppoſititiam, ex fruſtulis per totum Ciceronem è germana illa conſolatione diſperſis contextum, imò ex I. Tuſculana magnam partem deſcriptam, inflatam nimis, & grandiloquam, ſuauitatis, & diuinæ illius dulcedinis, qua pollet in conſolando tenera molliſque natura præditus. M. Tullius, prorſus expertem, & alijs præterea vitijs laborantem, complures poſtea eruditi homines, minimè dubijs rationibus, conuicerunt. Sed ne reprimam, nec vagabor in hac opinione refutanda longiùs. Nam vt eſt apud Arnobium, aiunt ſana ſentientes, contradicere rebus ſtultis, ſtultitiæ eſſe maioris. C. Quando tu iſti libello non temerè, ſed ad probandum firmis argumentis, complexionibúsque confiſus, quod animaduerto, tanquam ementito hæredi, & impoſtori, Ciceronianæ dignitatis, nobilitatísque patrimonium negas, cur ego aſſeram? aut cur eius patrocinium ſuſcipiam, ſi eum Sigonius, (qui vir?) defendere, ſiue vt dicam rectiùs, cooptare in familiam Tullianam toto, vt aiunt, corpore neruíſque omni-

omnibus conniſus non potuit? Vnum porrò iudicium in complectendo, & in oculis atque in ſinu ſemper geſtando Tullio nequaquam reprehenderim: velim nihilominus ad meam vtilitatem eiuſdem iudicij tui amoriſque tam inflammati cauſſam ex te cognoſcere. N. Non tu mihi imperterritus, animæque prodigus miles videris. C. Quidum? G. Quia cùm vix adhuc ſigna cecinerint, relicta parmula meorum armorũ aſpectu tremefactus, te fugæ mandâſti. C. Ego non contremiſcam? ego non fugiam? primo congreſſu imperatorem meum dediſti ad necem: & paræmiam nôſti veterem: cæſo duce fugantur milites. Nec verò ſi quis mihi hanc fugam exprobrauerit, reſpõſurus ſum quod ille è prælio apud Cheronæam fugiens, qui ignominiæ cauſſa φιλάσιος eſt cognominatus, reſpondiſſe fertur: αὖθις ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Qui fugerit, rurſum ille præliabitur. Sed ad incepta redeamus. G. Multitudo, Chryſoſtome, lectitantium Ciceronem, imitaríque conantium, ipſa inſuper experiẽtia, variúſque fructus, quem mihi ex eo tot annis diligenter etiam átque etiam lecto, ac pene contrito collegiſſe videor, ipſum mihi penitus penitúſque commendauerunt, hærétque mihi in venis, in medullis. Quæ enim ſchola eſt in tota Europa, immò in Aſia, & Africa quoque, in qua quidem latinus ſermo doceatur, cuius parietes non quotidie vocibus Ciceronianis perſonent? quis magiſtrorum non mille colaphis puniendus cenſetur, ſi Cicerone careat, cùm Alcibiades tam ægrè ferendum ſibi putârit, ma-

magiſtrum illum, in cuius ludum intrauerat, carere Homero, vt manū ab eodem verberando abſtinere nequiuerit? quis autem ſcholaſticorum non vnum ſaltem atque alterum eius librū tenet in capſa ſua, ſi omnes, præ nummorum penuria, non poſſit emere? quis eſt, qui ſe ſtudioſum literarum dicere audeat Ciceronis ignarus? quis non ſibilis conſcindatur, qui ſe hunc non curare, nolle imitari, non nimis dictionem eius probare præ ſe ferat? quis tot interpretes, tot ſcholiaſtas, tot correctores, tot explicatores & illuſtratores, tot etiam admiratores, encomiaſtas, & præcones inuenit? in quo toties recudendo typographi, toties vendendo bibliopolæ, toties colligando bibliopegi occupati, & ſunt, & fuerunt, & erunt? C. Manifeſtiora ſunt hæc, quàm vt ea neget vel impudentiſſimus. In quo autem tibi tantum emolumenti peperit, ac mihi, aliiſque ſui amantibus parere poſſit, velim pro noſtra inueterata coniunctione oſtendas. G. Non dubito quin multa, & ſæpe de illius viri laudibus legeris. C. Multa equidem, & frequenter legi. G. Ea ipſa quid in eo quærere, quo pacto eius opulentiæ rem tuam augere deberes, vtcumque docendi tenuem habuerunt. C. Habuiſſent: verùm cùm ea legerem, non id cordi erat, vt in alumnis, & clientibus Tullianis numerarer. G. Quid ergo? C. Tantummodo vt liberali doctrina augerer: bonæque latinitatis inſtrumento domum meam exornarem atque inſtruerem: qui omnium propè in literis verſantium communis eſt finis. Etſi verò non pauci, ſunt qui ſe

ad exemplum Tullij effingere laborant, nõ ita multi tamen illius effigiem, virtutémque aſſequuntur. G. Hoc ideo fit, quia ſtylum eius probè cognoſcere, & de eo ſcriptore iudicium ferre non cuiuslibet: deinde rationem certam ac veram eò quò intendunt perueniendi non obſeruant: in qua præſcribenda videmus quoſdam ſtudium poſuiſſe. C. Memini me in eiuſmodi commentariolos incidere, quos duabus de cauſſis voluere ſuperſedeo. Primùm quia ferè non perſequuntur niſi exilia quædam, & minuta, atque ad ſolam elocutionem ſpectantia: perinde quaſi eloquentia, cuius perfectus ad vnguem, abſolutúſque magiſter, & dux Cicero proponitur, non etiam alijs partibus contineretur. Deinde, quia præcipiunt, quæ in ipſorum oratione, cùm aliquid ſcribere aggreſſi ſunt, non elucent: eſt enim horrida plerumque, ieiuna, diſſoluta, incompta, plena ruris. Ciceronis autem plena ſucci, plena ſuauitatis, plena cultûs, æquabiliter fluens, aptis illigata numeris, multíſque diſtincta luminibus. Quare tacitè illos iubeo in ſuum ipſorum ſinum inſpuere, & cùm ſe purpuram vendere profiteãtur, à ſemetipſis quoque ſumere, non aliunde quæritare exemplum quod mihi exhibeant. G. Mittamus horum inſtitutum in præſens. Quid mihi Cicero meus contulerit, malo ab alijs, & aliquando abs te ipſo (quando nimirum planiùs eum exploratiúſque noueris) cognoſci, quàm à me, non ſine arrogantiæ ſuſpicione, enuntiari. Alterum illud, quid nempe tibi cæteríſque ſcripta M. Tullij

vti-

vtilitatis afferre possint, spero te ex ore meo hodie intellecturum. C. Aures admoueo percupidas, méque regalibus epulis abs te acceptum iri diuino. G Verissimè. T. Liuius de Cicerone: in eius viri laudes sequendas ipso laudatore opus fore. Quod non solùm de rebus illius præclarissimè pro salute & incolumitate Reipub. gestis, toleratáque morte, verùm etiam de eximia, & omnibus sæculis prędicanda eloquentia interpretandum scias: quæ quidem, eodē ipso teste, ex plurimarum, maximarúmque rerum cognitione efflorescit, ac redundat, & est copiosè loquens sapientia, & vnum quiddam ex multis artibus, scientijs, studiísque conflatum atque collectum. Quantam istuc admirationem habet: eum qui quinto & vicesimo ætatis anno intra iudicum subsellia versari, ad causas priuatas atque publicas adire cœpit, omne reliquum vitæ suæ tempus honorum, magistratuúmque perfunctione, vrbanis seu domesticis, prouincialibúsque negotijs, longissimis creberrimísque itineribus transmisit, nihilominus ita multos, rebus, & verbis singulares edere libros potuisse? Quid tibi hæc inter tantas corporis animíque contentiones πολυγραφία, quid, inquam, aliud indicare videtur, nisi vehementissimum, incitatissimúmque studium, summum, ab omni laude felicissimum ingenium, scientiarum copiam, exercitationem maximam, memoriam pæne diuinam? C. Sæpe illi vigilatas noctes existimo, & sententias aliquod recordor, quibus incensum in literas amorem suum testatus

eſt: quę ipſi cùm delectationi in ſecundis, tum ſolatio in aduerſis, in grauiſſimis nempe illis Reipublicæ tempeſtatibus, priuatisque incommodis fuerunt. *Me, inquit in epiſtolis, à prima ætate omnis ars, & doctrina liberalis, & maximè philoſophia delectauit. Pro Archia: Quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad res ſuas obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi, & corporis conceditur temporis, quantum alij tribuunt tempeſtiuis conuiuijs, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? In primo autem de Oratore: Ac fuit tempus illud, cùm mihi quoque initium requieſcendi, & animum ad vtriuſque noſtrum præclara ſtudia referendi fore, iuſtum & probè ab omnibus conceſſum arbitrarer. Sic initio Tuſculanarum: Cum defenſionum laboribus, ſenatoriiſque muneribus: & quæ ſequuntur. At Atticum: Ego, hic duo magna σωτάγματα abſolui: nullo enim alio modo à miſeria quaſi aberrare poſſum. Ad Meſſinium, lib. 5. ad familiares: Itaque vtor eodem perfugio, quo tibi vtendum cenſeo literulis noſtris. Et ad Appium Balbum, lib. 6. Sed eſt vnum perfugium, doctrina ac literæ, quibus ſemper vſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modò habere videbantur: nunc verò etiam ſalutem.* Et ſexcentis præterea locis per illos epiſtolarum libros. G. Quæ ætatem omnem procul à Republica abundantes in-

ge-

genio, doctrina,& diligentia homines in literis habuerunt,tam multa certè mandare chartis superuicturis non potuerũt. C. Tibi istuc assentior,est enim apertissimum. G. Leges tu quidem Latinos scriptores omnes, si me audias, & leges quamdiu voles: hunc vnum imitaberis, quem vt transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi, de quo multò iustiùs quàm de Epicuro canetur:

*Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes*
*Præstinxit stellas, exortus vti æthereus sol.*

Siquidem alios vniuersos in omni dicendi genere longinquo post se interuallo reliquit.

*quid enim contendat hirundo*
*Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi*
*Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?*

Hinc copiam, & vbertatem, hinc breuitatem, hinc grauitatem, hinc suauitatem, acrimoniam, perspicuitatem, subtilitatem, mediocritatem,magnificẽtiam petas. Ad ingenia illustria limanda,perpolienda,& alenda nemo aptior: nec est quisquam, quem ille non vt rebus doctiorem, sic oratione splẽdidiorem ab se dimittat.His vnus merito gnomon quidã, & regùla in verbis deligendis statuatur, quam esse originem eloquentiæ Cęsar scripsit. Abiecta,obsoleta, dura, aspera, impropria, longiùs ducta, obscura in eo nulla. Contra autem dilucida, plena, sonantia, illustria, iucunda, magnifica, propria, vsitata, pura, numerosa omnia. Proinde si rectè ratiocinaberis, huic vni præoptabis te similem, quàm alijs superiorẽ esse. Caue autem idem facias

illis, qui quoties aliquid arrogantius ab eo dictum inueniunt, quoties ille se auidum gloriæ confitetur, miserum reprehendunt: cùm nos non mores sed linguã & doctrinam in ipso quærere potiùs, & ista collaudare imitationéque pro viribus exprimere, illa dissimulare debeamus. C. Vellem tecum sensissent, qui oppugnare imitationem Ciceronianam, vt gigantes cælum, non horruerunt. G. Non curat Hippoclides quid illi mastiges fabulentur, Zoilósq; & Andabatas nec pili facit. Cicero noster omnium doctorum suffragijs in omni sermonis virtute primas tulit: quem quidem, è Græcia Romam reuersus, cùm ingentes sibi copias ex facũdissimæ, & eruditissimæ gẽtis illius copijs collegisset, ita excoluit, ornauit, amplificauit, vt iam Græcis ipsis non adeò multùm concedamus: cum quibus ipse de dicendi gloria tam felici Marte dimicauit, vt de ijs trophæum constituerit. C. Quoniam de copijs è Græcia Romam trãsportatis mentionem iecisti, occurrit animo præclarum illud testimonium, quo Apollonius Molo, quem Romæ bis audierat priùs, & cui se Rhodi postea recoquendum dedit, cùm tota Asia peragrata cum summis se oratoribus exercuisset, cohonestâsse Ciceronem dicitur, cùm eum græcè eloquentissimè orantem audiuisset. Nam cùm cæteri omnes, qui tum aderant, obstupuissent, Ciceronémque certatim extollerent: Apollonius neque dum audire hilaris visus est, & postquam ille perorauit, diu tristis attonitóque simulis cùm sedisset, tandem aliquando: te qui-

quidem Cicero laudo, inquit & admiror: sed me Græcorum fortunæ miseret, cùm videam doctrinã & eloquentiam, quibus bonis iam solis beati eramus ad Romanos per te translatas esse. G. Fuit sanè præclara vox illa Græci doctoris, eámque postea euentus comprobauit. Quamuis igitur meritò præferendus videatur omnibus, qui domi forí sq; Rempub. pròbè administrarunt, quod illi partes aliquas iuuerunt, hic simul vniuersam conseruauit, posítq; tanto iustiùs secundus appellari Romulus, quàm Camillus, qui paruum adhuc, & angustum restituit, cùm hic tantoperè amplificatúmque imperium è faucibus fati eripuerit: tamen quod Cæsar de eo scripsisse proditur, ad gloriam illi maius est. C. Quid scripsit? G. Ciceronem omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus est ingenij Romani terminos tantum promouisse quàm imperij. Nec illa non certissima sunt, quę vir literis Græcis & Latinis iuxta atq; doctissimè eruditus, atq; in Ciceronianis scriptis multum diúque exercitatus de eo magnificè prodit. C. Quænam? G. Strictim, & ex multis pauciſſima tibi recitabo. C. Animo arrectus sum ad audiendum. G. *Ex hoc, tanquam vberrimo omnium doctrinarum atque artium fonte, siue grammaticum aliquid, siue rhetoricum, siue dialecticum, siue historicum, siue poëticum, siue geographicum, siue œconomicum, siue morale, & politicum, siue physicum, siue geometricum, siue musicum, siue astrologicum, quidquid denique ad vllam artem, libero homine dignam, pertinens requi-*

*ras, hinc tibi assiduo haurire licebit. Ab hoc discunt pueri, senes priuati, magistratus, rustici, vrbani, miseri & calamitosi beati, & fortunati, pauperes, & egentes, diuites, & abundantes, ignobiles, & obscuri, nobiles, & clari viri: ab hoc militares, & sagati, ab hoc pacis alumni, & togati, ab hoc infimi, & humiles, ab hoc viri excellentes, & principes. Denique est mortalium cuiuscunq; sit vel ætatis, vel loci, vel ordinis, vel fortunæ, vel studij, vel nationis, quin à Cicerone, & melior & doctior fieri possit.* C. Agnosco laudationem. Iure sibi illum tantis laudibus ornandum sumpsit, à quo fuit ipse tam eximiè excellentérque ornatus. Et par esse duco, vt omnes animi ingeniiq; vires, in eo deprdęicando profundāt, quibus ille tantum quantum huic profuerit, cuius verba modò recitabas. G. Num Victorij, Sigonij, Mureti, Manutij, Corradi, quos Germanos Tullij discipulos appellare possis, scribendi elegantia atque munditia, & eruditionis varietate, magistrum suum non valde commendant? C. Maximè cōmendant. Ad ea posthac exemplaria respiciam, versabóq; Ciceronem non paulò diligentiùs, & aliquam eius similitudinem in meam imaginem, vt Zeuxis, transferre annitar. G. Gaudebis fructu huius diligentię tuę magis, quàm si quis tibi regnum donauisset. Sed cùm initio Tullianos libros in 4. ordines distinxerimus, auésne audire, quo sese pacto in singulis gesserit, qualémue se prestiterit, & quantoperè in hac rerum scriptionúmq; diuersitate excelluerit? C. Nihil vtique malim: & te rogo, hoc bellum in meam gratiam milites. G. Militabitur.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

*QVi cognoscere cupit quantus in doctrina, & eloquentia vir fuerit M. Tullius, & quàm eximiè tanquam à buccinatoribus suarum laudum cantatus sit, legat Quintil. lib. 10. ca. 1. sub finem Præfa. Lamb. in eius editionem. Plin. lib. 7. cap. 30.* Quid est quod vni huic tam fixè) *Sunt qui libros quamplurimos commercantur, eósque non legunt. Ii tam docti euadent, quàm citharœdi, si multas emant citharas, quas domi ad parietem suspendant, & quotidie intueantur. Sunt qui sine delectu ac discrimine per varios scriptores vagantur, & circumcursant, credúntque multa, & varia legendo se doctos fore. Isti solliciti sunt vt multa ingerant, non etiam vt digerant, quæque legunt in suum sucum sanguinémque conuertant. Audiamus quid Seneca statuat de legendis auctorib. epist. 2. Est enim res magni momenti, & scitu necessaria studiosis, ne tempus, quod nunquam redit, malè conterant, & sese frustra macerent. Illud vide, inquit, ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, & instabile. Certis ingeniis immorari, & immutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil*

*tam*

*tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum legas. Probatos itaque ſemper lege: & ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. Idem epiſt. 45. Non refert quàm multos libros, ſed quàm bonos habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectet.* Quas Gazas) *Perſica vox gaza pecuniam regiam ſignificat. Curt. lib. 3. Gazam Perſæ ærarium vocant. Vtuntur hac voce Cic. Virg.* Amore percuſſus ſum) *Percuſſit idem valet, quod permouit, & affecit. Cic. ad Att. lib. 4. Percuſſit animum. Sic Terent. And. Percuſſit illico animum. Horat. Ode 7. lib. 1.*

*Me nec tam patiens Lacedæmon*
*Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ.*

*Quod autem quidam apud Terent. legunt perculſit, errant. Perculit enim à percello, non perculſit, latinum eſt. Atque vt amore percuſſus, ſic perculſus dicitur.* Conſolationem iſtam eſſe ſuppoſitiam) *Mitto alios, Iani Gulielmi pererudituum libellum vidimus, quo iſtam Conſolationem nec Tullij, nec Tullio ſatis dignam eſſe conuicit Carolum Sigonium, quem in infami argumento eloquentiæ ſuæ diuitias opinatur oſtendere voluiſſe. Concedit tamen eſſe hominis neque indiligentis, & philoſophiæ, ac Ciceronis ſtudioſi: ingenio autem nec ad illam comprehendendam, nec ad hunc exprimendum vel acuto ſatis, vel accomodato. lege librum. Alterius acuti, & eruditi hominis iudicium hoc eſt. Scripta frigidè, ſolutè, & vt verbo dicam, ineptè. Quis ille tam ſtultus, qui ſperauit ſe poſſe imponere*

*nobis*

*nobis falsa hac persona, sub qua latet aliquis ne superioris quidem, vt suspicor, aui? Bardi typographi, qui tam ambitiosè hæc diuulgant. Sed credo in nostrum risum, & suum quæstum. Valde me Ciceronis Pœniteat, si ille vel in medio dolore tam elumbis. Nusquam nerui, nusquam sententiarum sanguis, ne color quidem verborum, nisi cum ceruſſa, & fuco. Hactenus ille. Cicero autem eandem cosolat. suam etiam inscripserat, de luctu minuendo. ad Atticum lib. 12. epist. 21. Eodem libro epist. 22. ea sic ipsemet. Neque tamen progrediar longius, quàm mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solùm, quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam: sed in mea etiam scripta transtuli, quod certè afflicti, & fracti animi non fuit.* Vt manum ab eodem verberando) *Incussit ei pugnum satis durum, inquit, narrans hoc factum Ælianus lib. 13. c. 38. eum imperitum esse, & similes sibi pueros efficere ostendens. Plutarch. quoque in Apophtheg. Regum & Impp.* Non elucent) *In arte subtiliores, in oratione ieiuniores. Nam sæpe fit, vt qui artem sciunt, scribere nesciant, quod de Varrone, Hortensio, Galba, Horatio, Quintiliano, Seneca, Hermogene dicitur. Quin fuerunt, qui neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicerent. Cic. 1. de Orat.* Plena ruris) *Plenus ruris dicitur, qui est inurbanus, insulsus, rusticitatis plenus, vt Græci dicunt: ἀγροῦ πλέως, & Hesychius explicat ἀγροικίας πλήρης. Catul. in annales Velusij. At vos interea venite in ignem, Pleni ruris*

& in-

*& inſicetiarum. In Truculen, ancilla ſeruum, à quo, tractaretur inhumaniùs, vocat rus merum.* Oppugnare imitationem Ciceronianam) *Auſus eſt Politianus, cui reſpondit Paulus Corteſius. Scimus etiam Eraſmum dialogum euomuiſſe, quem Ciceronianum inſcripſit. In quo ea de imitatoribus Ciceronis per calumniandi libidinem mentitur, quæ illis in mentem nec venient aliquando, nec venerunt.* Auidum gloriæ confitetur) *Propter immoderatum gloriæ ſtudium non mediocriter reprehenſus ſcribitur à Quintiliano lib. 11. ca. 1. Eſt tamen rerum à ſe geſtarum, quæ ſine dubio magnæ fuerunt, quàm eloquentiæ maior in omnibus iactator. Et ingenium ſuum rarò ac modeſtè, labores ſuos, réſque geſtas ſæpius ac liberius commendat. Quod non ſine aliqua ratione fecit plerumque. Aut enim tuebatur eos, quibus erat vſus adiutoribus in opprimenda coniuratione: aut reſpondebat inuidiæ, cui tamen non fuit par, ſeruatæ patriæ pœnam paſſus exilium: vt illorum, quæ egerat in conſulatu frequens commemoratio, poſſit videri non gloriæ magis, quàm defenſioni data. Plura Quintilianus.* Ciceronem omnium triumphorum) *Plinius lib. 7. ca. 30. Idem Cæſar. vt narrat in Bruto Atticus, lib. 1. eorum, quos ad Ciceronem de ratione latinè loquendi ſcripſit, ipſum latinæ copiæ inuentorem ac principem nominauit.* Similitudinem vt Zeuxis) *Quid hic pictor nobiliſſimus fecerit Crotoniatis Helenam in templo picturus, Cic. præfat. 2. de inuent. Multa de eodem Corradus in Brutum.*

PRO-

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM.

## Epistolæ M. Tullij.

### *IIDEM.*

CHrysostomus. Nemo quisquam antiquorum, quod ego sciam, plures composuit epistolas. G. Nec tam bonas, & probatas, Chrysostome, nedum meliores. C. Tametsi non aliter esse mihi persuadeo, & omnes ita persuasos non sum nescius: nihilominus causssas huius rei abs te cognoscendi quodam studio efferor. G. Demetrio Phalereo, qui à Theophrasto disciplinam accepit, prima laus epistolæ videtur, vt sit imago nostræ mentis, nósque ipsos penitus, velut in tabella depictos ostendat, plenaque sit humanitatis, & blanditiarum. C. Sententiam, & iudicium huius Demetrij planissimè intelligo. G. Hæc laus cùm in illis, quæ familiares dicentur, tum verò in ijs, quæ ad T. Pomponium Atticum, & ad Q. Fratrem Missę sunt, satis supérq; eminet. C. Hoc summatim est laudare. G. Mane, iam laudabimus etiam speciatim. Estne illis ad Lentulum quidquam humanius? ad memmium alióque officiosius? ad plurimos, quibus in aduersis rebus consilium, & solatium impertitur, beneuolentius atque fidelius? ad Terentiam mollius? ad Tironem dulcius? quàm multa passim ad legendum inuita-

mentaę?

menta? quanta vbique teſtificatio amoris? quanta ſtudij? quanta voluntatis? Sanè conſolari eos, qui aliquod à fortuna vulnus acceperint, quod non infrequens facit, mitiſſimum ingenium, & ad commiſerationem mirificè inclinatam naturam perſpicuè declarat. C. Certum eſt, lenem, placidam, ac blandam orationem, qualis eſt illa conſolatoria, niſi è facili, manſueto, miniméque duro ac tetrico ingenio exiſtere non poſſe.

*Format enim natura priùs nos intus ad omnem*
*Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram,*
*Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit.*
*Poſt effert animi motus interprete lingua.*

Quoties porrò in hoc genus orationis apud Tullium incido, toties in florem nectaris, in medullam mollis, in Attica bellaria me ĩcidiſſe iudico, adeò excellit. G. Quid eſt, obſecro, in quo ille non excellat? Et quis ſine ipſo vnquã aut excelluit, aut potuit excellere? Cuilibet fas eſt exclamare de hoc viro, quod de ſuo Epicuro Lucretius, vnica tantũ mutata vocula.

*Te ſequor, ô latiæ gentis decus, ínque tuis nunc*
*Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.*

Sed ne longiùs ab incœpto trahamur: quando gratulatur, quàm ſincerus? quando petit, quàm verecundus? quando iocatur, quàm vrbanus? quando gratias agit, quàm nullius meriti oblitus? quando commendat quempiam, quàm ſollicitus? quando narrat, quàm apertus? quando monet, quàm ſerius? quando (vt comprehendam breui) in quouis tandẽ genere, (multa autẽ sũt genera, quæ ad duos fontes

& ca-

& capita, ad morale, & negotiale à quibuſdã reuocantur) epiſtolam contexit, quàm eiuſdem exemplar, & ideam perfectè conſequitur? C. Quid ergo præceptionib⁹ opus eſt, ſi in Ciceronis epiſtolis ſunt omnia? G. Ne orationibus quidem eius vlla defit laus oratoria, num idcirco non erit docẽda Rhetorica? ſtatuam videmus perfectam, picturã ſimiliter; quis tamen ſine magiſtri ductu, ſine præceptis, non dicã bene pingere, bene ſculpere ex ipſa modò pictura, & ſtatua, quamuis egregiè factis addiſcet, ſed vel ipſam ſtatuã picturámq; ſatis intelliget? Ars igitur hãc vim habet, vt opus facere ipſi, & ab alijs factũ iudicare poſſimus. Habes quippiam ad hæc? C. Magnoperè faueo huic aſſertioni tuæ: iam carpe viã vlteriùs. G. Delectat in eo ſcita breuitas: quanquam nihilominus ipſa longitudo lectorem retinet ac paſcit, vt ſe ad finẽ peruenisſe non ſentiat. Nec poteſt omittere argutias homo argutiſſimus, de quibus ita ipſemet epiſtol. 32. lib. 7. ſcribens ad Volumnium: Pugna, ſi me amas, niſi acuta ἀμφιβολίαι, niſi elegans ὑποβολή, niſi παράγραμμα bellum, niſi ridiculum παραπροσδοκίαν, niſi cætera: quæ ſunt à me in ſecundo libro de Oratore per Iulij perſonam diſputata de ridiculis, ἐντεχνα & arguta apparebunt, vt ſacramento contendas mea non eſſe. C. A Plutarcho & Macrobio dicta quædam referuntur, quæ cùm legerem, valde ſum recreatus. G. Quàm nos caperent illi tres libri, quos Tiro libertus ex eius facetijs confeciſſe dicitur? C. Longè ampliùs, quàm nonnullos ſordidiſſimi, & ſpurciſſimi lepõres Martini

tini cuiusdam, quibus inter epulas vtebatur, & qui compluribus libris collecti, ab eius discipulis cum voluptate leguntur. G. Ad epistolas nostras redeundum est. Desideras res obuias, minimè spinosas, è communi hominum vita sumptas? his refertæ sunt Tullianæ epistolæ. Vis rursum haud vulgares, & tritas, sed magnas, illustres, è sapientum monumentis decerptas? harum veluti messis hîc non est defutura tibi. Præclarè differit de religione erga Deos, de caritate erga patriam, de fidelitate in amicos, de maximis virtutibus, de vitijs. Humilem, seu infimũ dicendi characterem epistolis valde proprium, vt plurimùm sectatus est: interdum tamen propter rerum subiectarum pondus grauitatémque assurgit, ac verbis fulminat, quod Fabius Quintilianus fieri aliquando oportere admonuit. C. Ex tuis verbis efficitur, non solùm ad exercitationem scribendi, stylúmque expoliendum, sed ad animum quoque insignium, variarúmque rerum cognitione locupletandum perutile ac necessarium esse istas lectitare epistolas. G. Reuera & vtilissimum, & vehementer necessarium. Philosophia est illa quidem ars vitæ, medicina, & cultura animi, quæ vitia radicitus extrahit, & virtutes inserit: verum hæc ipsa commoda magnam partem ex epistolis huius admirandi scriptoris nostro ingenti bono ad nos deriuare possumus. C. Dandum est igitur summæ laudi maioribus nostris, cùm has epistolas, aliorum vel prætermissis, vel è schola exclusis relegatisque, iuuentuti explanandas, edisscendas imitandásque proposuerunt. G.

Pro-

Prouidè. Multis tamen de cauſſis in gymnaſijs Grammaticis etiam dandus eſt locus dialogis: quas ego, ſi requiſieris, aliâs opportunius explicabo. C. Sanè requiram: quando me eruditas prudentérque excogitatas rationes auditurum eſſe nihil dubito. G. Tuum fecero iudicium.

## ANNOTATIONES.

HOmo argutiſſimus) *Macrob. Saturnal. lib. 2. c. 1. ipſum, & Plautum à iocorum venuſtate commendat. Idem tamen alibi, & alij eundem, vt aliquando nimium in iocando notauerunt.* Quos Tiro libertus ex eius) *Quintil. lib. 6. cap. 3. Vtinam libertus eius Tiro, aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parciùs dictorum numero indulſiſſent, & plus iudicij in eligendis, quàm in congerendis ſtudij adhibuiſſent: minus obiectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, vt in omni eius ingenio, faciliùs quid reijci, quàm quid adijci poſſit, inueniunt. De Tirone Gellius lib. 7. cap. 3.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM PRIMVM.

## Rhetorica M. Tullij.

### IIDEM.

CHRYSOSTOMVS. Inter volumina de ratione

dicendi, quorum complura foras dedit. M. Tullius, primum ſemper locum obtinet, primum in oculos lectorum incurrit, quod ad C. Herennium inſcribitur. Túne verum ſincerúmque, an adulterinum, ſubditititiúmque partum hunc eſſe arbitrare? G. Arbitror verò adulterinum eſſe, & Ciceronis grauitate indignum. Docti ſunt illi qnatuor libri. G. Quis negat? C. Non peſſimè loquuntur latinè. G. Quis contradicit? addo etiam, quartus tam ad rem appoſita, tam elegantia figurarum exempla ſubijcit, vt admirationi potiùs, quàm reprehenſioni locum reliquerit: digni tamen qui in Tullij heredes adſciſcantur, quíque ipſius tam glorioſum nomen in fronte præferant, non ſunt: quidquid homines nonnulli tenui literatura garriant: quorum aliqui nullas, aliqui parum probabiles huius opinionis ſuæ rationes producunt. C. Cuinam ergo venditori redhibendos ſtatuemus? G. Ei videlicet, quem iam pridem conſenſu homines elegantiore doctrina perpoliti, legitimum operis illius parentem ſtatuerunt. Q. Cornificio. C. Quandoquidem commentarium hūc à Cicerone abiudicas nolo ex te ſciſcitari qualem exiſtimes, tametſi iam audiui, non vituperas certè. De Inuentione quid me ſentire poſtulas? G. Idem quod eius libri conditor Cic. C. Quid ille? G. Præfatione trium de oratore ad. Q. F. Vis enim, inquit, vt mihi ſæpe dixiſti, quoniam quædam pueris, aut adoleſcentulis nobis commentariolis noſtris ĩchoata atque rudia exciderunt, vix hac ætate digna, & hoc vſu, quem ex cauſſis, quas diximus tot, tan-

tantisque consecuti sumus, aliquid ijsdem de rebus politius à nobis, perfectiúsque proferri. C. Ergóne duo illi de inuentione ibi significantur? G. Illi ipsi. C. Sunt ergo imperfecti? G. Imperfecti: non ita tamen, quin probata præcepta, eáque multa contineant, atque ad emendandam excolendámq; linguam futuri sint frugiferi, valdéque commodi. Reliqui vniuersam facultatem oratoriam copiosè, distinctè, prudenter, & absolutè petractant. Quòd si omnia tum à Græcis, tum à Latinis euulgata eloquentiæ præcepta in vnum conferantur, non poterunt cum illo solo, qui de Oratore nomen accepit, nedum cũ omnibus simul contendere. C. Quid ego abs te audio? G. Quod verum est. C. At ipsius Ciceronis testimonio (quo quid potest esse grauius? quid credibilius?) Aristotele nemo doctior, nemo acutior, nemo in rebus, vel inueniendis, vel iudicandis acrior. Huius Græci doctoris de dicendo libri feruntur, in quos eruditissimè artem ipsam inclusit, ingeniosissimè cũcta disposuit, politissimè explicauit, à quo ipsemet Tullius, vel sumpsit multa, si fatetur, vel si negat, surripuit: vtar enim ijsdem verbis, quib⁹ ipse in Bruto vsus est, cùm de Ennio, Næuio poëtis vetustissimis loqueretur. Hunc tu saltem excipias, quæso, quod ille solet facere Platoni, cùm de philosophis est sermo. G. Non excipiam. C. Quid vetat? G. Audies: Aristoteles à forensi strepitu remotus, nullis in cauſſis vnquam iactatus, domi in otio literato, tanquam in vmbra, non in sole ac puluere viuens, ijs oculis, eáque mẽtis acie, qua res cæ-

teras à natura tectas & inuolutas, hac etiam oratoriam rationem perſpexit, eámque diligentiſſimè ſcribendo eſt perſecutus. Atqui vehementer æquũ eſt, nos illis doctoribus ſemper potiores deferre, qui quod docent, ipſo quoque vſu, à quo multa emendantur, multa adduntur, & eo quidem diuturno experti comprobauerunt. Ac ſi in cęteris artium honeſtarum diſciplinis illis magiſtris, qui vſum non mediocrem ſcientiæ ſuę addiderunt, maiorem conſueuimus honorem habere quàm ijs, qui modicum aut nullum: cur hoc in dicendi ratione non ſimiliter nobis obſeruandum putemus? C. Verbum hac de re tecum non commutabo. Quoniam autem ad hoſce dialogos delapſi ſumus, quid eſt quod tantoperè tibi cõmendandi videantur? G. Complura ſunt, quæ mihi caros, & ſuſcipiendos efficiunt. C. Quæ tandem? G. Perſona ipſa ſcribentis: compoſuit enim hos libros grandis natu, iudicio longa dicendi exercitatione perfecto, & cõfirmato. Deinde res quę tractantur, quarum dignitate nihil grauius, ſubtilitate nihil elegantius, varietate nihil iucundius, vbertate & copia nihil fructuoſius. Quàm multa ex Platone, ex Philoſophis, ex Oratoribus hauſta? quos non ille riuos ex illorum fluminibus ſuum agrum deduxit? delectat cognoſcere quid valeat vis oratoris, quid oratoria natura, quid ſtudium, quid exercitatio, quid hiſtoria, poëſis, philoſophia, ius ciuile adiuuet: quibus, id eſt, quàm amplis regionibus ſepta & circumſcripta teneatur Rhetoricæ materia, quæ docendi ratio, quæ mouendi: quomodo

fieri

fieri possit sermo facetus, ac nulla in re rudis appareat, qui sint affectus in vestibulo orationis tentandi, qui perorata caussa concitandi, ex quibus locis ad gignendam fidem argumenta sumenda, quibus quasi luminibus tota oratio illustretur. In ijs porrò, quibus disputandi partes dantur, quibúsque sermo attingitur, quanta moderatio? quanta prudentia? in proqando refellendóque admirabilis solertia, in tota disputatione summa grauitas, & cum eximia venustate coniunctus lepos: genus orationis quàm ornatissimum, & copiosissimum. Ipsemet non vulgari laude eosdem extulit, magníque fecit. Ad Lentulum: Scripsi, inquit, Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui tres libros de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorũ Aristoteleam, & Isocrateam rationem oratoriam complectuntur. Item ad Atticũ: De libris oratorijs factũ est à me diligẽter: diu multúmque in manibus fuerunt, describas licet. Et rursus ad eundem: Sunt etiam de oratore nostri tres, mihi vehementer probati. C. Præcipua semper voluptate his dialogis lectitandis affectus sum, tantóque libentius tibi, tam pleno ore eos collaudanti fidem adiungo, quòd pro ingenij mei tenuitate hæc ipsa quoquo modo me in ijs obseruâsse recordor. G. De tribus oratorijs ad necessitudinem rei dictum est satis: sequitur vt de Bruto dicamus, siue de illo, quem de claris Oratoribus inscripsit. C. Quare hũc edidit? G. Cùm tribus illis libris oratorem præceptis

inſtituiſſet, vt eum quaſi populo exhiberet, exemplis exprimere voluit: quocirca oratorum pæne ſingulorum cum Græcorum tum Latinorum initia, ætates, progreſſus, vitia virtutéſque expreſſit, eo cõſilio, vt has imitari, illa vitare poſſemus. Qui autem paulò attentiùs hunc librum legerit, omnem pene Romanam hiſtoriam cognoſcet, in quo quantum ipſe de rebus oratorijs iudicium habuerit, præclarè ante oculos ponit. C. Qua occaſione Oratorẽ perfectum ſcripſit? G. Rogatu Bruti, qui, quænam eſſet potiſſima dicendi ſpecies, præſtantiſſimúmque genus orationis, ex ipſo diſcere cupiebat. C. Illos de oratore ipſemet commendauit: vtrum hoc idem in iſto fecerit, non memini. G. Fecit? G. Epiſt. ad Leptam. lib. 6. his verbis: Oratorem meum à te tantopere probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me quidquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe: qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non recuſo, quin quantũ de illo libro, tantundem de iudicij mei fama detrahatur. Meminit eiuſdem lib. 12 epiſt. 17 ad Cornif. Sed proximè ſcripſi de optimo genere dicendi: in quo ſæpe ſuſpicatus ſum, te à iudicio noſtro, ſic ſcilicet, vt doctum hominem à non in docto paululùm diſſidere. Huic tu libro maximè velim ex animo, ſi min°, gratiæ cauſſa ſuffragere, & quæ ſequuntur. Iterũ epiſt. 22. lib. 14. Oratorem meum (ſic enim inſcripſi) Sabino tuo cõmendaui, &c. C. Bruto tamen non vſque adeò ſatisfecit, id quod Cic. ipſemet cum Attico conqueſtus

eſt,

eſt,ni fallor, epiſt.20. lib.4. G. Bruti iudicium nihil moramur, dummodo nobis ſatisfaciat. C. Quid erat igitur,in quo diſcreparent amborum iudicia? G. Elocutioni Cicero tribuebat plurimùm, Brutus autẽ rebus haud paulò plus quàm verbis. Ineſt in hoc ſyntagmate variarum doctrinarum recondita eruditio: inſunt graues magníque ponderis ſententiæ: ineſt mira orationis feſtiuitas, quæ legentium mentes alliciat, & ſine vlla ſatietate, faſtidióq; permulceat. Quod ſi M. Tullius ipſemet talis orator non fuit,qualis illic exprimitur,nullus fuit,nullus erit. C. Non adeò putârim diſſimilem huic libello illum Demetrij Phalerei de elocutione. G. Sic eſt: nam de varijs orationis generib⁹ venuſtè diſputat, quamuis quæ ſit optima dicendi forma non quærat. Dionyſius Halicarnaſſeus in commentario de componendis nominibus non paucas quæſtiones à Cicerone hoc volumine explicatas attingit. Dionyſius Longinus librum reliquit περὶ ὕψους, in quo de principatu iter oratores diſſeruit, quibúſque gradibus ad altiſſimum illud abſolutæ eloquentiæ faſtigiũ aſcenderetur oſtendit. Scripſit,& Hermogenes de formis dicendi, quas Ideas nominauit. C. Topica ſequuntur. G. Hæc Velia in Græciam nauigans,cùm libros non haberet ſecum,repetita ſolùm harũ rerum memoria confecit. Mira breuitate arctauit, quæ apud Ariſtotelem diffuſa leguntur. Quod verò ipſa præcepta exẽplis è iuris diſciplina illuſtrauit. Trebatio iureconſulto gratificatus eſt: prodeſt tamen ea ſcire etiam oratoribus. C. Habet profectò libellus

ille multas obſcuritatis latebras, & non paucis impeditam difficultatibus doctrinam. G. Reſponſum tibi puta, quod Trebatio ſcripſit ipſe: Sin tibi quædam videbuntur obſcuriora, inquit, cogitare debebis, nullam artem literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe: quanquam tu ſi attentè leges, ſi ſæpiùs, per te omnia conſequêre. C. Ordo nos ad Partiiones deduxit. G. Affirmat ipſe has è media Academia efflоruiſſe: neque ſine ea intelligi, aut tractari poſſe. Mole quidem & paginarũ numero vides quàm exiguus paruúſque ſit liber: verùm vtilitate haud ſcio an par, aut maior vnoquoque aliorum Rhetorum, etſi fuerint longiores multis Iliadibus. Pauxillum auri mallem, quàm aceruos arenarios: & ſmaragdum puſillum anteponerem minãtibus in cęlum ſcopulis. Breuiter, apertè, miro ordine quidquid ad artem eloquentiæ pertinen texponit. Seruauit Præceptum Horatianum:

*Quidquid præcipies, eſto breuis, vt citò dicta*
*Percipiant animi dociles, teneántq; fideles.*
*Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat,*

Concludam rem verbis Quintiliani. Præcipuum lumen ſicut eloquentiæ, ita præceptis quoque eius dedit vnicum apud nos ſpecimen orandi, docendíque artes oratorias M. Tullius: poſt quem tacere modeſtiſſimum foret, niſi & Rhetoricos ſuos ipſe adoleſcenti ſibi elapſos diceret: & in oratoris hæc minora, quæ plerique deſiderant, omiſiſſet: C. Quin addis vnum verbum de illo, cui de optimo genere oratorum nomen eſſe voluit? G. Cùm tanquam

quàm Asiaticus notaretur ab ijs, qui Atticorũ eloquentiam ſiccitate ac ieiunitate ſua definiebant, quo illiorum errorem principium oratorum auctoritate conuelleret, Æſchinis, & Demoſthenis nobiliſſimas, & inter ſe contrarias orationes latinitate donauit: quarum exemplo diſcerent, Attici eſſe, orationem ad id quodcunque decet accommodare, & humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè dicere: alioquin ſi ornatè, grauiter & copiosè dicere nõ eſſet Atticorum, ne Æſchines quidem, & Demoſthenes Attici fuerunt, quos grauiter ornatéque dixiſſe notiſſimum eſt. Priuſquam verò orationum argumenta exponeret, breuiter de optimo genere oratorum, & conſummata eloquentiæ forma diſſeruit, quo perfecti oratoris imago quædam ab ijs cerneretur, qui Attici, hoc eſt, excellẽtes atque optimi oratores vſurpari volebant: quàm quidem pluribus in oratore ad Brutum expreſſit. C. Nec plura deſidero de hac quidem parte librorum quæ τεχνικῶν eſt, nec ſi deſiderem, velim te vrgere: animus enim meus ad eum locum feſtinat, qui cæteris & ad diſſerẽdum magnificentior, & ad cognoſcendum iucundior eſt, nempe de orationibus: & mihi quantus fuerit orator M. Tullius declarari peropto: quanquam primorum principem eſſe credibile mihi faciunt cateruæ ita ſentientium, atque credentium. G. Fiet hoc quantum noſtra imbecillitas permiſerit: volo meam ad tuam voluntatem aggregare. Verumenimuerò hic maior rerum mihi naſcitur ordo. Maius opus moueo, vt canit Latinus vates.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

QVod ad C. Herennium) *Antiquitas putauit Ciceronem auctorem, ſed antiquitas rudis, & elegantiorum literarum ignara, atque in Cicerone nimis parum exercitata. Digladiantur adhuc hodie quidam ſuper hoc negotio. Veruntamen ſtandum eſt à pluribus. Scripſit quiddam de hoc Aldus Manutius, Pauli pater. Maioragius lib. reprehenſionum in Nizolium, & alij.* Ipſemet Tullius vel ſumpſit multa) *Ex his qui ſuperſunt libris Ariſtoteleis, Cicero multa in ſuos tranſtulit: præſertim in tertium de Oratore. Nec pauca vtique ex illo, quo ipſum dicendi artes omnium ſuperiorum expoſuiſſe confirmat 2. de Oratore. Quinetiam in 2. de Inuentione confiteri non dubitat, ſe omnium quicunque fuerant ab vltimo principio Rhetoricæ præceptionis vſque ad id tempus expoſitionis copijs, quodcũque placeret elegiſſe, ad illos ſcilicet de Inuentione libros locupletandos. Fatetur etiam epiſt. ad Lentulum 9. ſe omnium antiquorum Ariſtoteleam, & Iſocrateam dicendi rationem oratoriam tribus illis ad. Q. F. eſſe complexum. Vide Manut. explanat.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM. SECVNDVM.

## Orationes M. Tullij.

*IIDEM.*

GLAPHYRVS. Vnde conuenientiùs exordiar disputationem hanc, quàm ab ipsius confessione Tullij, non video. Nulla est, inquit, vllo in genere laus oratoria, cuius in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. Iudicauit hoc poëta, qui fuit illius æqualis, cùm disertissimum Romuli nepotum, quot sunt, quot fuerunt, quótque pòst alijs erunt in annis epigrammate nobili appellauit. Iudicauit etiam Quintilianus, qui eum cuique Græcorum fortiter posse opponi: & cùm se totum ad Græcorum imitationem contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis affirmat. C. Præclarissima laus, similem trium illorum euasisse, quos vniuersa Græcia suspexit, & omnes gentes omnibus sæculis admiratæ sunt. De Octauio Augusto Plutarchus lib. de Fortuna Romanorum: Cùm quartum, & quinquagesimum annum ætatis ageret, eum tria à Dijs precatum: Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompei, fortunam Cæsaris. Ego si quid magnum à Deo precari velim, illa tria velim, imò verò vnicum tantùm: nimirum similem esse Ciceronis vnius, qui omnes omnium oratorum laudes vnus est complexus. G. Votum maximum. Sed si lubet, audiamus quid adiungat Fabius, & quemadmodum plenis buccis virum celebret. C. Lubet. G. *Nec verò quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantùm, sed plurimas, vel potius omnes ex seipso virtutes exstulit immortalis ingenij* bea-

*beatissima vbertas. Nō enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas collegit, sed vno gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentiùs, mouere vehementiùs potest? Cui tanta vnquam iucunditas affuit? vt illa ipsa quæ extorquet, impetrare eum credas: vt cùm transuersum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omnibus quæ dicit, tanta auctoritas inest, vt dissentire pudeat: nec aduocati studium, sed testis, aut iudicis afferat fidem: cùm interim hæc omnia, quæ vix singula quisque intentissima cura consequi potest, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immeritò ab hominibus ætatis suæ regnare in iudicijs dictus est: apud posteros verò id consecutus, vt Cicero iam non hominis sed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum nobis sit exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.* C. Quoniam cum Demosthene frequenter componi solet Cicero, velim mihi vna opera comparationes illas, si plures sint, repræsentes. G. Difficile est ex tempore: conabor tamen, ne aut noluisse me, aut nescisse, aut laborem vitauisse suspicere. Duos hosce oratores Deus ab initio, veluti nummos duos, eadem materia, eodem signo percussit, cùm naturam similem ipsis indidit. Vterque honoris, & gloriæ cupientissimus, libertatis Reip. amantissimus, in periculis, & armis timidus, fortunæ dominationi multum subiectus. Vix enim duos reperias oratores qui, vt hi, ex

ob-

obſcuris & mediocrib. potẽtes,& magni euaſerint, qui regibus & tyrannis ſe obiecerint, filias vterque vnam habuerint, & ante obitum ſuum amiſerint,in patriam poſt exilium publica omnium lætitia & gratulatione reuerterint, iterum profugere coacti ſint,& in manus hoſtium inciderint, à quibus communi luce priuati, vna cum vita patriæ libertatem poſuerint,eadem propemodum ętate.Nam Demoſthenes quidem ſecundum & ſexageſimum: Cicero tertium ſupra ſexageſimum vidit. Virtutes in ambobus pleræque ſimiles: conſilium item, ordo,diuidendi, præparandi probandi ratio, omnia demùm quæ inuentioni ſubijciuntur. In elocutione diuerſitas eſt aliqua. Ille denſior, hic copioſior: ille concludit aſtrictiùs, hic latiùs pugnat: ille acumine ſemper, hic frequenter pondere: illi nihil detrahi poteſt, huic nihil addi: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus & commiſeratione (qui duo affectus plurimum valent) vincimus:cedendum verò in hoc quidem, quod ille, & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit. C. Periucunda mihi fuit hæc collatio. Quod niſi labor memoria,in parallelis Plutarchi, & neſcio quo loco apud Fabium vel eadem, vel horum ſimilia diu eſt cùm legi, quæ tu compendio quodam retuliſti, & ex vtriuſque ſententijs vnum quoddam paruúmque corpus effeciſti. G. Num aut acutiores, aut doctiores ſumus duobus illis, vt aut videre nos, quod ipſi non viderint, aut intelligere, quod ipſi non intellexerint putare debeamus? C. *Mὴ γένοιτο*. G. Cur itaque illorum

lorum iudicio verbiſque non vtamur, præſertim cùm nos per eos profeciſſe haud negemus? C. Si quis in eodem Cicerone ſimul omnia eluxiſſe aſſereret, quæ in cæteris ſeorſum emicuerunt, fortaſſe nihil erraret: id quod antè dixi. G. Nihil prorſus. Eſt in eo Lyſiæ ſubtilitas, acumen Hyperidis, Æſchinis ſonus, lenitas Lelij, grauitas Africani. C. Quid Periclis habet? G. Hunc à cæleſti quadam eloquentia Olympium cognominatum aiunt: quem Ariſtophanes fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dixit: in eiuſdem labris Suadam ſeſſitâſſe, illúmque ſic auditores permulcere ſolitum, vt aculeum in ipſorum animis relinqueret, ſcripſit Eupolis Comicus. Hæc omnia iure de Cicerone affirmaueris. C. Audio etiam T. Liuium illuſtre teſtimonium ei dediſſe. G. Fragmentum quoddam Liuianum ex amiſſis libris ad noſtram ætatem permanſit. Illic narrans caput eius præciſum atque in roſtris inter duas manus poſitum addit: Vbi ille conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium quanta nulla vnquam vox humana, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat. Quotiea ei acclamatum eſt à populo Quititum: Bene, rectè M. Tulli præclarè, non potuit melius? Simul atque pro Sex. Roſcio dixit, quæ oratio publica prima fuit, quam iuuenis habuit, annum ingreſſus ſextum, & viceſimum, adeò ſuſpici eius eloquentia cœptà eſt, vt iam tum nulla maior cauſſa non digna eius patrocinio videretur. Pericles quia Anagoram phyſicum audierat,

ideo

ideo ab ipso Tullio in percellendis animis tantum valuisse existimatur. Cur ego ipsemet, qui ad Diodorum, Philonem, Antiochum, Posidonium, viros doctissimos, clarissimósque philosophos audiendos sese applicauerat, non fuerit parem in dicendo facultatem consecutus? *Duo sunt*, ait in Orat. *quæ bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciunt, quorum alterum est quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturas, ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum quod παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur.* In superiore illo quantum præstiterit, qui nondum cognouit, exordia orationum eius percurrat, quibus nihil iucundius, moderatius, mitius, ad suauiter mouendum aptius: nihilominus in medijs quoque orationibus mirabiliter sæpe audientium mentes sibi conciliat, & ad se amandum allectat. In posteriore, quod totum est incitatum, & torrentis instar rapidissimè fertur, nec illum quisquam vnquam superauit, nec par ei vnquam fuit. Cùm Verrem propter vexatam, & expilatam Siciliam accusaret, non ausus est respondere Hortensius patronus disertissimus, cuique summam copiam facultatémque dicendi natura tribuerat. Ab eodem in senatu homo audacissimus Catilina accusatus obmutuit. In priuata causa, quam pro Ticinia dixit, cùm cœpisset Curio pater respondere, subito assedit, ac repentè totam causam oblitus, beneficijs Ticiniæ sibi memoriam ereptam

voci-

vociferatus eſt. Quod ad miſerationem attinet, qui affectus ad victoriam, atque ad iudicē planè expugnaudum ac ſubertendum valet imprimis in eo cōmouendo omnibus antecelluit: quamobrem cùm plures eandem cauſſam agerent, perorationem ipſi ſemper relinquebant. C. Legi illam pro Quintio, & illam pro Milone: vix lachrymas cohibui. Autumo tum in affectibus grauioribus, tum in miſeratione concitanda multùm profeciſſe ex Euripide, cuius ſingulos verſus ſingula teſtimonia putat. G. Non in hoc tantùm affectu concitando, in quo tragicus ille facilē præcipuus, verum etiam in tota ratione oratoria: quandoquidem eruditus, & ingenioſus magiſter eloquentiæ Fabius, eundem in dicendo, & reſpondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro diſerti, comparandum pronuntiat. C. Memini item cuiuſdam loci, vbi de ſemetipſo his verbis prædicat: Qua nos (miſeratione, videlicet) ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: vt alia in cauſſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plangore & lamentatione compleremus forum. G. Officium boni oratoris eſt docere, delectare, & permouere: quò tria genera dicendi pertinent: ſubtile ad docendum, temperatum ad delectandum, graue ad impellendum. Si quis in vno horum excelluerit, in magnis: ſi in omnibus, in maximis oratoribus numerari poterit, & potuit sēper. Vt de Græcis taceam, quis ex Latinis præter vnum Ciceronem nominari poteſt, in quo iſta perfectio fuerit? Hoc nemo

in-

in paruis ſubtilior, in modicis temperatior, in magnis grauior: non alius iudicem docuit acutiùs, delectauit iucundiùs, incitauit ardentiùs. C. Arbitror præter alias laudes orationum eius innumeras neq; hanc quidem ei deeſſe, locos, inquam, philoſophicos. G. Et hos quidem grauiſſimè, ornatiſſiméque tractatos, quod ipſe in 1. de natura Deorum teſtatur, vbi eas Philoſophorum ſententijs refertas affirmat. Quàm porro eleganter, quàm venuſtè, quàm veluti ad perpendiculum orationem conſtruit? quàm ſtudioſus, & obſeruans eſt numerorum? vt quot Antonius in ſecundo de Oratore, cùm eloquentiam laudaret, inter cętera dixit, hoc potiſſimùm de Tulliana oratione dictum accipi poſſe videatur. Quis enim cantus, inquit, moderatæ orationis pronuntiatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? Addam quæ ſequuntur, nihilominus in Ciceronem, ſi in alium quempiam, conuenientiſſima: Quid autem ſubtilius, quàm acutę crebræque ſententiæ? quid admirabilius, quàm res ſplendore illuſtratæ verborum? quid pleniùs, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Quæ ſchemata ſententiarum? quę figuræ verborum? quæ ſuauitas, quæ vehementia? Hac arma de ſceleratiſſimorum manibus excuſſa perſæpe ceciderunt: hæc Catilinam peſtem patriæ molientem oppreſſit: hæc Vatinium, & Piſonem ſempiternis maculis inuſtos, & ad omnem poſteritatis memoriam ignominia notatos reliquit: hæc P. Clodium amen-

tia, & furore exultantem domuit, & Antonij crudeliſſimis conſilijs incitatos impetus retardauit: hęc populum Romanum, victorem gentium non ſemel vicit. Neque potuiſſet illa lux orbis terrarum Roma extingui: illud pulcherrimum, & poſt homines natos ampliſſimum imperium funditus deleri, niſi priùs illud diuinum os Tullij conticuiſſet, capútque à ceruicibus auulſum fuiſſet, per quod tot ciuium capita ſeruata erant. Quid de copia memorem? quæ cùm in toto Cicerone, tum in narrationibus eſt admirabilis. Quanta varietas? quis Oceanus? quàm diſſimiliter omnia ſimilia? & rurſum quàm ſimiliter omnia ſimilia? Reliqui ſcriptores quantumuis copioſi, cum hoc vno, ſi comparentur, verborum inopes exiſtimari profectò poſſint; non fontes, non riuos: ſed flumina fundit, & flumina aurea. Vt abſoluam: ſi quis ex me quærat, quæ ſit optima Ciceronis oratio, reſpondebo quod ipſe de Demoſthene: quæ longiſſima. C. Ego idem reſpondero, quamuis, vt tu, in Cicerone nondum habitauerim: ſæpius tamen ad eum diuerti, & hoſpitio acceptus ſum perhumaniter, dimiſſúſque peramanter. G. Poſthac igitur me duce tabernaculum tibi in eo colloces. C. Faciam quæ ſuades, & faciam quàm primùm, niſi meis conſilijs mors importuna intercurrerit. Vnum nomen reſtat, hoc etiam rogo, vt diſſoluas, déque libris Philoſophicis aliquid in medium afferas. G. Reſpondebo.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

QVot sunt quot fuerunt ) *Epigramma Catulli in Ciceronem, nescio ob quod beneficium, quod videtur ab eo accepisse, agit enim gratias: hoc est:*

*Disertissime Romuli nepotum,*
*Quot sunt, quótq; fuêre Marce Tulli,*
*Quótq; post alios erunt in annos:*
*Gratias tibi maximas Catullus*
*Agit, pessimus omnium poëta,*
*Tanto pessimus omnium poëta,*
*Quanto tu optimus omnium patronus.*

*Vtitur autem idem poëta sæpius isto amplificandi modo ijsdem verbis, aut pæne ijsdem. Cic. etiam Orat. post reditum ad Quirit. Cn. Pompeius vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, & gloria princpes. Et epist. 21. lib. 11. Dij isti Segulio malè faciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Plaut. Persa: Qui sunt, qui fuerunt, quíq; futuri sunt posthac, ego solus omnibus antideo facilè, miserrimus hominum vt viuam.* Quam Aristophanes Fulgurare ) *Versiculum Aristophanis Græcum, itemque alios Eupolidis de eodem Pericle inuenies apud Plinium epist. 20. lib. 1.* Caput eius præcisum ) *Quanta constantia mortem exceperit Tullius, in illo fragmento Liuij, cuius supra facta est mentio, luculentissimè exponitur. Nimirum viuere diutius potuisset, si patriam tantoperè non dilexisset. Nunc illi mors non ignominiæ, sed honori sempiterno est. Occurrit illud ex Arnobij lib. 1.*

*Nemo vnquam innocens malè interemptus infamis eſt: nec turpitudinis alicuius commaculatus nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem. Caput abſciſſum Antonius ad ſe afferri, & in menſa apponi iuſſit, tamdiúque per diem aſpexit, donec animum expleuiſſet. Fuluia porrò Antonij vxor, cùm caput illud in manus ſumpſiſſet, primò maledictis, & diris execrationibus eſt proſecuta: deinde conſputans atque in gremio reponens, toruiſſiméque inſpectans linguam eius extraxit, & in eam ſæpius aciculam infixit, vt ad crudelitatem nihil faceret reliquum. Suidas. Crinit. lib. 1. cap. 8. Xiphilin. in Auguſt. Eandem immanitatem in caput D. Ioannis Baptiſtæ adultera mulier Herodias exercuit, Teſtis Hieronymus, apud quem ita eſt in apologia aduerſus Ruſinum. Ne magnoperè glorieris, ſi feceris quod faciunt ſcorpiones atque cantharides fecerint. Hæc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem: quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt. Cædem Tullianam multi luculentis verſibus deplorauerunt. E quibus carmen ſuum quidam ἰμφατικῶς hoc diſticho concluſit.*

*Vulnere nempe vno Ciceronem conficis, at te*
*Tullius æternis vulneribus lacerat.*

*Vide append. Virgilianam.* Sublato etiam filio paruo) *Suos paruos liberos, conſanguineos, & amicos Græci in iudicium adducebant ſecum, miſericordiæ commouendæ cauſſa, quam conſuetudinem tetigit in apologia Socratis Plato. Fuit & Romanis hic mos, vt intelligitur cùm ex hoc loco, tum ex illo in Bruto de*

*Gal-*

*Galba, cùm suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat: cuius orbitas, & fletus mirè miserabilis fuit, propter recentem memoriam clarissimi patris: isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota. Forsitan & Hebræi idem solebant. Susanna quidem venit cum parentibus, & filijs, & vniuersis cognatis suis, Dan. 13.* Quæ longissima) *Ita sentit de epist. Attici Tullius. Nain. lib. 6. ad eundem epist. 11. Quod vereris, ne ἀδόλεχος, mihi tuæ quis minus? cui vt Aristophani, Archilochi iambus, sic epistola tua longissima quæque optima videtur. De Cicerone autem ita Plinius. epist. 20. lib. 1. cuius oratio optima fertur esse quæ maxima, Addit: & hercule, vt aliæ bonæ res, ita bonus liber melior est quisque quò maior.* Respondeo) *Vt appellari dicitur debitor à creditore, cùm flagitatur vt soluat, ita cùm soluit, aut soluere se dicit, respondere dicitur. Obseruauit Manut. Cic. ad Att. lib: 16. Fit sæpe, vt ij, qui debent, non respondeant ad tempus.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM. TERTIVM.

## Philosophica M. Tullij.

### *IIDEM.*

GLaphyrus. Testatus est ipse in 1. Tusculan. hanc se perfectam philosophiam semper iudi-

câſſe, quæ de maximis quæſtionibus copiosè poſſet ornatéque dicere: & in 1. de Offic. ait: Quis enim qui nullis officij præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere? Neutra laus in eius libris deſideratur. Nam cùm ad variorum philoſophorum decreta, ad locos tenebricoſos atque difficiles, ad res abſtruſas, & magnas explicandas lucem orationis, & diſſerendi elegantiam ſibi adhibendam putauerit, tum Præceptor morum atque virtutis tantus eſt, quantus poteſt aut Seneca, aut Plutarchus, aut Ariſtoteles, aut Plato iudicari. C. Cur orator ipſe de philoſophia ſcribere voluit? Cur non, quod Ariſtoxeno Muſico præcepit, cùm enumerandis de natura animi philoſophorum ſententijs eius harmoniam reprehendit, ipſemet fecit? Hæc philoſophis, inquit, relinquat: canere ipſe doceat. Bene enim illo Græcorum prouerbio præcipitur: Quam quiſque nôrit artem, in ea ſe exerceat. G. Voluit ſuis ciuibus hac quoque in parte prodeſſe, eóſque beneficio nouo cumulare; quoniam turpe ducebat gentem illam, quæ per totum orbem victricia arma circumtuliſſet, populum, inquam, latè regem, vitam ac mores ſuos ſine Græcis magiſtris excolere, ac regere non poſſe, & ſeruire quodammodo illis, quibus iura legéſque daret. Philoſophia, inquit, iacuit, vſque ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen literarum latinarum: quæ illuſtranda, & excitanda nobis eſt, vt ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris proſimus, etiam, ſi poſſumus, otioſi. C. Stoicam philoſophiam non parum videtur admiratus,

ratus, propter grauitatem ac ſeueritatem doctrinæ fortaſſis. Principio quidem Offic. ſe ex illorum fontibus haurire ſolitum ipſemet confirmat, verbiſque eam quàm honorificentiſſimis paſſim proſequitur. G. Prorſus, vt dicis. Delectatus eſt tamen ſigulariter ratione ſcribendi Platonica, dialogo videlicet, & eius philoſophi placita quàm maximè complexus eſt, quem Deum ſuum alicubi vocauit. C. Recordor illa: Quem ego auctorem vehementer ſequor. Errare me hercule malo cùm Platone, quàm cum cęteris vera ſentire. Vt rationem nullam afferret (vide quid homini tribuam) ipſa auctoritate me frangeret. Quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis. Diuinus ille vir, quem quadam admiratione commotus, ſæpius fortaſſe laudo, quàm neceſſe eſt. Et locis alijs præterea ſexcentis. G. Quin ſi vera fateri volumus, eius ſcripta totam fermè, & veterum Academicorum, & nouorum, & Peripateticorum, & Stoicorum, & Epicureorum aliorúmque ſententiam continent. C. A quibus magiſtris hæc didicit? G. A Diodoro, & Poſidonio Stoicam, à Phædro, & Zenone Epicuream, à Philone, & Antiocho Academicam, a Cratippo, Staſea, & Piſone Peripateticam. Omnes pęne qui tum erant in philoſophia clari ac nobiles, audiuit: philoſophorum libros innumerabiles legit ex iiſque multa latinis vocibus, liberè tamen, & ſuo more expreſſit. C. De Deo quid ſenſit? G. Tot locis tam piè de Deo, támque ſacri Chriſtianorum conſen-

tanea locutus eſt, vt admirabile videatur tam liquidas eum tantæ maieſtatis, ab humanis ſenſibus remotiſſimæ intelligentias habuiſſe. Eum vnum huius mundi effectorem ſtatuit mentem ſolutam, & ab omni concretione mortali ſegregatam, omnia ſentientem, & mouentem, in omnes beneficum, & liberalem, omnibus animantibus commoda quibus vtuntur, lucem qua fruuntur, ſpiritum quem ducunt dantem, atque impertinentem, bonis præmia perſoluentem, improbos pœnis afficientem ſempiternis. Dici non poteſt, quanta in libris iſtis veterum, ac recentium hiſtoriarum cognitio, quanta optimarum exemplorum copia, quàm denique multa lectio, quàm ingens ſanctiſſimorum præceptorum multitudo. Quem iracundia obfirmatum Ciceronis oratio non flecteret? quem durum non leniret? quem adeò mœſtum non conſolaretur? Libros de officijs Plinius non modò de manibus nunquam deponendos, ſed addiſcendos etiam cenſet. Alexander Seuerus Imp. eoſdem, & de Repub. libros præcipuè legebat, & ex ijs tantùm admirabatur Tullium, vt eius imaginem in larario, ſiue ſacello domeſtico cum præſtantiſſimorum virorum ſtatuis, & imaginibus collocaret. De quibus libris, vt item de Tuſculanis, & de Finibus, veriſſimè quiſpiam Horatianas illas voces vſurpauit:

*Feruet auaritia, miſeróque cupidine pectus?*
*Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem*
*Poſſis, & magnam morbi deponere partem.*

Lau-

*Laudis amore tumes? sunt certa piacula quæ te*
*Ter purè lecto poterunt recreare libello.*
*Inuidus, iracundus, mers, vinosus, amator:*
*Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit,*
*Si modò culturæ patientem commodet aurem.*

Quotusquisque versat hæc scripta, quin contrahi appetitus, & sedari turbidas animi sui commotiones, séque in dies probiorem fieri experiatur? Queritur D. Augustinus, omnes mirari linguam Ciceronis pectus non item. Se autem fatetur etiamnum Manichæum incidisse in eius Hortensium, in quo ille laudauit, & defendit philosophiam, quam accusârat, & vituperârat Hortensius, hic planè affectum Augustini mutauit. *Et ad te ipsum Domine*, inquit, *mutauit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes; & immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam vt ad te redirem. Non ad acuendam linguam referebam illum librum: neque mihi locutionem: sed quod loquebatur persuaserat.* C. At enim de natura, in qua euoluenda versatur pars philosophiæ altera, nihil ab ipso habemus. G. Secus est ac dicis. Habemus multa passim, & totos libros de natura Deorum, quæ est res occulta admodum, explicatúq; difficilis: Platonis item librum περὶ φύσεως latinè conuertit. Quod si ipsi diutiùs per Antonij scelus, crudelitatémque ętatem propagare licuisset, plura scripturus erat. Nec idcirco tamen existimandum est, illum ea nesciuisse, quia non scripsit. Quid, quæso, scriptum reliquit Socrates? hic tamen princeps

ceps philoſophorum, & parens philoſophiæ ab omnibus, & dicitur, & habetur. Quid alij complures? quorum tamen non eſt inauditum nomen inter philoſophos. C. Temperare mihi non poſſum quin exclamem: O ineptos, & ab omni iudicio derelictos mortales: ô bardos, qui nihil niſi verborum lenocinia, niſi res leues meráſque nugas in Cicerone reperiri improbiſſimè mentiuntur. Inanis rerum eſt, qui Auguſtinum, (prô quale ingenium?) humi repentẽ, & obſcœnas audiuiſſimè conſectantem voluptates, ad vitæ integritatem, cœleſtémque ſapientiam excitare potuit? Soláne verba habet, quem Plinius lucem doctrinarum, Lactantius Firmianus modò perfectum, & ſummum philoſophum, modò Romanæ philoſophiæ principem appellat? G. Quidam doctus vir, cùm fuiſſet aliquando ſatis alienus à Cicerone, tandem ſenex in gratiam cum eo rediens, inter alia, quæ gloriosè de eo ſcribit: Quid alijs accidat, inquit, neſcio: me legentem ſic afficere ſolet M. Tullius, præſertim vbi de bene viuendo differit, vt non dubitem, quin illud pectus, vnde iſta prodierunt, aliqua diuinitas occuparit. C. At illius pectus, vnde nõ pauca ad lacerandam fidem orthodoxam prodierunt, contemptio, & arrogantia occuparunt. G. Non poteſt ſeiungi à ſapientia eloquentia. Proinde ſi eloquentiſſimum fatemur Ciceronem, ſapientiſſimum quoque ſtatuamus neceſſe eſt: ſin aliter ſapimus, nihil ſapimus, & elleboro indigemus. C. Nunquam ex vllius ſermone tantum percepi fructum, quantum hodie ex tuo. Quaſi de cælo iſthæc huius

diſpu-

disputationis occasio decidit. Summo me gaudio delibutum reddidisti.

## ANNOTATIONES.

A Diodoto) *De hoc ita in Lucullo: Diodoto quid faciam Stoico, quem à puero audiui: qui mecum viuit tot annos? qui habitat apud me? quem, & admiror, & diligo?* Vt eius imaginẽ in Larario) *Sic appellat Lampridius sacrarium illud Imp. domesticum. Sed is cùm in interiore, seu maiore larario etiam Christi Seruatoris nostri statuam inter principes diuos, & animas sanctiores haberet, in eodem habebat Apollonium Tyaneum, Abrahamum, & Orpheum, in minore Achillem, aliósq; duces clarissimos, & cũ Ciceronis simulachro etiam Virgilijs Crinitus lib. 10. cap. 5.* Feruet auaritia miseróque) *Hunc locum Horatij confert cum versibus Euripideis ex Hippolyto Muret. lib. 1. cap. 4. Quæ proximè antegressis dialogis V. disseruimus, ea nos bonam partem ex initio editionis Lambinianæ, & alibunde ex Philotullijs mutatos, arbitrio nostro disposuisse haud inficiamur.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM QVARTVM.

## Tres linguæ principes.

### ÆLIVS, MAXIMINVS.

ÆLIVS.

AELIVS. Eheu. M. Qua gratia tu sic ingemiscis? Æ. Quòd misero mihi vnum tantummodò est cor. M. Cachinno digna res. Esne apud te? cuinam vel homini, vel mutæ animanti duo corda vnquam fueruut? Æ. Nuper legi olim Calabro cuidam tria corda fuisse, nedum duo. M. Portentum narras. Æ. Immo veritatẽ profectò. M. Quis hic mortalis? Æ. Ennius, poëtarum Romanorum pater, qui primus amœno. Detulit ex Helicone perenni fronde coronam. Amicus ille. P. Scipionis, qui primus Africani cognomentum obtinuit. M. Quomodo is tria corda gessit? aut quæ tandem sunt ista corda? aut quis hoc de ipso miraculum vel memorauit, vel chartis illeuit aliquando? Æ. Ipsemet ita gloriatus perhibuit. M. Quare? Æ. Quod latinè, græcè, oscè loqueretur: à mente enim (quam cor etiam nominamus) omnis fingitur oratio. M. Papæ. Cædo quot corda habuisse rex ille credendus est, quem duabus, & viginti linguis locutum accepimus? Æ. Totidem Maximine: cur dubitas? M. Fuit igitur quàm cordiosissimus, vt nullus alius: siquidem tot linguas tenere aut tenuisse puto neminem. Sed quid hoc, quod tu tria potius tibi optas, quàm aut decem, aut quindecim, aut viginti? Æ. Quia si hebraicè, græcè, & latinè doctus essem (quanquam hasce linguas degustaui singulas) non inuitus ignorarem reliquas, Germanicã, Italicam, Hispanicam, Gallicam, Anglicam, Boemicam, Indicam, & quotquot tandem barbaræ numerantur. M. Quid? túne præter illas tres audebis omnes appellare barbaras? Æ. De Græcis exemplum

capio,

capio, qui pręter ſuam alias ad vnam omnes ita vocauerunt. M. Etiámne Romanam? Æ. Etiam. M. Facilè tibi iſtuc de aliquibus conceſſerim: nec recuſârim quin agreſtes, incultæ ac barbaræ nominentur: de Gallica, Hiſpanica, Italica vereor vt poſſim concedere: quæ diſcuntur, & in congreſſionibus, ac deliberationibus exercentur ab honoratiſſimis, nobiliſſimiſque hominibus: confirmántque illarum periti (in quo ipſis ego libens ſuffragor, pro mediocri cognitione mea) ijs eas laudibus abundare, quę quidem linguarum ſunt propriæ. Æ. Haud poſſunt ſanè hæ tres cum illis tribus in contentionem venire. Primùm, non eſt iſtarum tam veneranda canities, tam longęua vetuſtas: exiſtere ſiquidem cœperunt annos abhinc mille centum octoginta, aut circiter, quibus nimirum tempotibus Gothi, Vandali, Alani, Hunni, Gepidæ aliíque populi truces è Septemtrione egreſſi, & in florentiſſimas, nobiliſſimáſque terrarum prouincias Italiam, Hiſpaniam, Galliam infuſi, eas ab imperio Romano vi, & armis diſtraxerunt. Quin ſi quis eas corruptam latinitatẽ, nec toto genere à Romana ſeiunctas ac differentes appellare voluerit, non errauerit. Nequibant enim illæ indolatæ linguæ, illa immanium belluarum ora diſtortiſſima ad voces tam compoſitas, ad ſonos tam ſuaues & rotundos ſeſe aptare: itaque omnia pęne conciderunt, immutarunt, peruerterunt, fœdauerunt. M. De originis excellentia, & antiquitate non eſt fas ipſis tollere ſupercilium, vt illis tuis: quorum cum antiquiſſima ſit Hebręa, ſecundas tenet Gręca,

Latina

Latina tertias. Æ. Prorſus ita. Nam genus humanũ mox vt eſt à Deo fabricatum, ſermonis facultatem habuit, & quidem non alius quàm Hebræi. Ad hæc quà de ſcriptione, veterrima eſt eadem: ſiquidem Moyſes multis antè tempeſtatibus ſacram contexuit hiſtoriam, quàm Græci obſidione cingere Troiam, & oppugnare cœperunt: id quod regnante apud Iudęos Dauide contigiſſe chronographi obſeruarunt: poſt quod bellum annis CLX. floruit Homerus, fermè primus ſcriptorum Græciæ. M. Hoc propter Heſiodum dicis, quem quidam antiquiorem faciunt. Æ. Non: propter Sibyllam, & Orpheum inprimis dico, quos illo priores vixiſſe, & nonnulla literis mandâſſe indubitatum eſt. M. Varia ſunt, quæ de horum duorum ſæculis ſcribuntur. Æ. Et eiuſmodi, vt diſputationes tam curioſas legiſſe ſit tempus minimo cum fructu contriuiſſe. Haſce tres linguas in crucem actus Dei Filius Seruator noſter dedicauit: nempe vt ſanctiſſimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, Hebræam ſanctiſſimam, Græcam ſapientiſſimam, Romanam potentiſſimam. Quid enim Romanis potentius? an non illi rerum domini? quid Græcis ſapientius? an nõ illi, & inuentores, & perfectores artium ferme omnium? quid Hebræis ſanctius, Deóque ſub ſole iſto carius? Audi quid Iſaias dicat in perſona Dei. *Et tu Iſrael, ſerue meus Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei, in quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te.* & quæ deinceps leguntur in eodem cap.

cap. 41. præclara sanè. M. Iudicaui semper, & eruditis ita placuisse intelligo, titulum IESVS NAZARENVS, &c. non sine mysterio tribus illis linguis conscriptum, & supra crucem positum, atque hoc ipsum ad earundem decus pertinere: quēadmodum, & hoc pertinet, omnia illis tradita, & explicata esse, quæ cùm ad res sacrosanctas, diuinas, cælestes, ad salutem animarum nostrarum sempiternam, tum ad res humanas, ad ciuilia negotia, atque ad omnem denique scientiā spectant, eásque vagari quàm latissimè, & omnes propemodum orbis angulos vltimósque fines occupâsse, cùm cæteræ suis sese tantùm, iisque non ita āplis regionibus contineant: aut si exierint, non sint æquè cōmunes, neque in scholis doceantur, neque ad libros tam multos, vel potiùs innumerabiles conscribendos adhibeantur. Æ. Huc accedit, quod gentes alioqui vehementer diffidentes ac discrepātes inter se, harum beneficio coniunguntur, & consociantur, quæ hominem ingenuum præcipuè ornant, & cohonestant.

## ANNOTATIONES.

QVod Latine, Græce, Osce) *Gell. lib. 17. cap. 17.* Duabus & viginti) *Mithridates Ponti atque Bithyniæ Rex inclytus, qui à Cn. Pompeio bello superatus est, duarum & viginti gentium, quas sub ditione habuit linguas percalluit: earúmque omnium gentium viris haud vnquā per interpretem locutus est: sed vt quēque ab eo appellari vsus fuit, perīde lingua & oratione ipsius*

*ipſius non minus ſcitè, quàm ſi gentilis eius eſſet, locutus eſt, Gell. ibidem.* Quam cor etiam nominamus) *Cor pro animo ſæpe dixerunt veteres: quod videlicet animi ſedem in corde quidam Philoſophi conſtituerunt, aut animum cor eſſe docerent. Cic. 1. Tuſc. Alijs cor ipſum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordéſq; dicuntur: & Naſica ille prudens bis conſul Corculum. Plaut. Moſtell.*

*Recordatus multum, & diu cogitaui,*
*Argumentáque in pectus multa inſtitui*
*Ego, atque in meo corde (ſi eſt quod mihi cor)*
*Eam rem volutaui, & diu diſputaui.*

*Idem Milite. Cuique ſapiat pectus, nam cor non poteſt, quod nulla habet. Quaſi mulieres ōnes ſint excordes, & amentes: nam de muliere ibi ſermo eſt. Cic. 2. de finibus. Hoc eſt non modò cur non habere, ſed ne palatum quidem. Auſonius reprehendens Grammaticum quendam de barbariſmo.*

*Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe latinè,*
*Hic vbi cor ſcriptum, faceret cor, ſi cor haberet.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM. QVINTVM.

## Hebręa lingua.

### *IIDEM.*

AELIVS. Hebræam dici poteſt Deus ipſe inueniſſe

nisse per se, cùm reliquæ ab hominibus inuentæ,& expolitæ sint.Eadem ipse cum genere nostro,& nos cum illo: & angeli nobiscum, & nos cum angelis sępenumerò collocuti fuimus.Eadem vnigena DEI IESVS CHRISTVS,cum in terris corpoream indutus naturam degeret, conciones habuit, & directum ad cælos iter monstrauit. De Plauto notum est illud Epij Stolonis, à Quintiliano repetitum: Musas, si latinè loquantur, Plautino sermone vsuras. Quia nimirum verborum Latinorum auctor est elegantissimus, seu princeps in latina eloquentia,vt Gellius censet. Nónne magis optabimus nos ea lingua vti posse, qua Deum esse vsum cognouimus? Singulæ item literæ admirandam multis in locis vim & emphasin habent, reconditósque sensus, & diuinos significatus efficiunt. M. Frequens Iudæos colloquentes audiui: horrida omnino, ac difficilis pronunciatu mihi prę cęteris visa est hæc lingua. Æ. Non tamen horridior,neque asperior quàm vel Turcica,vel Persica,vel Æthiopica: quas nihilominus percipi, & commodè pronuntiari à nostratum regionum hominibus, cum in illis oris aliquandiu versati fuerint, ne tu quidem nescis. Nec ego satis dispicio quamobrem adeò inconcinna, & dura videri debeat oratio, quę sua sponte,scriptore id non laborante, ad aptos numeros venit.M.Ad quos numeros? quis hoc affirmat? Æ. D. Hieronymus hebraicè doctissimus. Is Isaiæ orationẽ phaleratam, & apud Prophetas creberrima carmina hexametra iambica, sapphica reperiri: imò quosdã pęne totos

versibus confectos testatur. M. Testis omni exceptione maior Hieronymus. Æ. Est insuper pudica admodum, & verecunda hæc lingua, & sine honestarum aurium offensione plerumque effert, quæ turpicula, parúmque casta sunt: quam illi laudem Græca & Latina meritò inuiderint, in quibus ad res obscœnas explicandas (in Græca præsertim) nimis copiosam vocabulorum syluam, & loquendi nimis multa genera inuenias.

## ANNOTATIONES.

MVsas Plautino sermone) *Idem Quintil. de Xenophonte lib. 10. cap. 1. Adde quod. M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem vtiles oratori putat, quanquam illum bellicum canere, huius ore Musas esse locutas existimet. In eodem cap. longè admodum infrà: Quid ego commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi? vt ipsæ finxisse sermonem Gratiæ videantur. Celebre est etiam Cic. illud de Platone in orat. perf. Iouē, si, vt aiunt Philosophi, græcè loqui velit, Platonis sermone vsurum. Non potuit certè maior hisce scriptoribus ornatissimæ dictionis, & omni numero consummatæ elegantiæ laus impertiri.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM. SEXTVM.

Græca

# Græca lingua.

## *IIDEM.*

MAximinus. Cum græca tamen neutram harum, nec vllam aliam arbitror copia, & varietate posse comparari. Æ. Hoc verissimum, falsóque ac malignè Cicero, nimius nonnunquam suorum laudator, aliorum contemptor, exclamat: O verborum inops interdum Græcia, quibus te semper abundare putas. Etiam illud minus verè: Latinam esse locupletiorem quàm Græcam. Satis copiosè, & doctè iam illi responsum est à nonnullis, quorum libri in promptu sunt. Túne Ciceroni, quem tantoperè suspicis, quem vbicunque potes dilaudare consueuisti, dicam impingis? Æ. Amicus Plato, sed amicior veritas. M. Appositè. Æ. Ea insuper inest in Græca verborum proprietas, vt cum rebus ipsis nata videantur: ea vis, vt sub aspectum quasi rem subijciant. M. Non possum hoc loco idem obijcere Græcis, quod suprà Hebræis: esse asperos in pronuntiando, & insuaues: nam quantum ego Græca legi, omnia videntur æquabiliter, placidéque ac leniter decurrere, & mira cum iucunditate ad aures affluere: rectéque Horatium dixisse puto: Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo Musa loqui. Æ. Potuisti, & hoc animaduertere, eandem latinæ linguæ matrem, & quandam velut procreatricem ac nutricem esse. Et quomodo Romana alias linguas ornat, illustrat ac perficit, ita vicissim ipsa à Græca ornatur, illustratur atque perficitur: à qua si omnem

ſapientiam,doctrinam,fructum ſeparemus,ac veluti detracta veſte nudã intueamur, eximia certè pulchritudo, & elegantia ipſius noſtros in ſe animos conuertet. Cæterùm cum illis literarum principibus,Homero,Platone,Ariſtotele,Demoſthene,Herodoto, Xenophonte,Iſocrate ſine interprete confabulari quanti eſt? Nam latinè quàm horridè, impurè,inquinatè ac ſordidè ijdem,& alij plerique loquantur, non te fugit. M.Minimè fugit:& ſoleo ſtomachari in tam illotos ac lutulẽtos interpretes, cõditionémque ſapientiſſimorum doctiſſimorúmque hominum vehementer miſerari,qui cùm in ſua lingua fundant aurea orationis flumina, in noſtra balbutiunt,indiſertíque ſunt. Nec illud nobis non moleſtiſſimũ accidit, quòd vnius eiuſdémque ſcriptoris tantùm non in ſingulos annos nouam conuerſionem accipimus:vt in tanta copia,quem interpretem prę alijs eligas, explicare ſententiam non poſſis.Verùm quid tu illis reſponderes,qui hanc linguã minùs neceſſariam eſſe affirmare non erubeſcunt? quid etiam adoleſcentibus nonnullis, quibus laborioſa videtur atque difficilis? Æ. Sic occurrerẽ iſtis poſterioribus: Itáne verò? Sit difficilis, vt vultis: an vos tantùm facilibus ſtudebitis? Et quæ, obſecro, ſunt iſta tam facilia? quę ars? quædiſciplina? ſegnibus, & ignauis nihil non difficile; induſtrijs atque impigris nihil non facile futurum aſſeuero. τῶς ἐπιμελείας πάντα δῆλα γίγνεται. Aſſidua vincit cuncta diligentia. M. Latina,inquient,multis partibus eſt facilior. Æ. Si hoc latinè indocti affertis, oratio veſtra

stra nullam meretur fidem: si docti: quæro, num hoc anno latinam didiceritis? M. Nequaquam, dicent, sed à paruis in hunc vsque diem latinis dediti fuimus. Æ. Iam constrictos, & impeditos teneo. Potéstne, rogo vos, id facile nominari, quod annis 15. aut 16. quotidiano labore vix aliquatenus consequare? quod si vos ab incunabulis Græcam discere cœpissetis, affirmare non timeo, tam laboriosa Latina vobis nunc appareret, quàm Græca apparet. M. Dimittamus pueros cum querela sua puerili: viros refuta, & eos quidem suo iudicio non indoctos. Æ. Vulpes cùm amisisset caudam, nitebatur cæteris persuadere, vt tanquam rem superuacuam, & onus minimè necessarium eam resecarent. Nesciunt isti docti Græcas literas, proinde socios quærunt, ne soli sine caudis, turpitérque deformati, & ignorantes incedant. Vtilem, & necessariam non esse fateor ad quæstum, ad otium, ad voluptates, ad opes: sed ad liberales artes percipiendas eius cognitione ne requiri dico: ídque in Theologia, Philosophia, Mathematicis, Rhetoricis, Dialecticis, Medicina, Iurisprudentia, Grammaticis possem quamuis copiosè ostendere, si cum illis agerem coram. Sed quod omnes ad Latinam mittunt, & à Græca reuocant, quis hoc ferat? Quid tandem esse existimant latinè scire? num Calepinum euoluisse? num vocabularios aliquos memoria comprehendisse? num epistolarum phrases, num copiæ, & inopiæ certas formulas: & locutiones latinogermanicas dediciſſe? Illud est latinè nôsse: primùm optimum quemque scriptorē

diurna, & nocturna manu verſauiſſe, legendo contriuiſſe, penitus, & in cute nôſſe: omnem loquendi rationem à præſtantiſſimis latinitatis auctoribus vſurpatam, non ab epitomis, & compendijs neſcio quibus traditam tenere: verborum, loquendíque generum fontes, & origines cernere: purè, ornatè, politè ex multa exercitatione tum loqui, tũ ſcribere: quæ quidem Græcis incognitis fieri nullo modo poſſunt. M. Mihi, & antè perſuaſeram, & nunc etiam magis perſuaſi, delirare, qui huic linguæ obtrectant eámq; vel vt difficilem, vel vt non adeò neceſſariã atque vtilem calumniantur. Quapropter iſtis accuſatoribus ſalute dicta, de latina commentemur.

## ANNOTATIONES.

ET mira cum iucunditate) *Tanto eſt ſermo græcus latino iucundior, vt noſtri poëtæ, quoties dulce carmen eſſe voluerunt, illorum id nominibus exornent. Quintil. lib. 12. cap. 10. Si ex inſtituto velim hanc linguam laudare, facilius mihi erit orationis principium, quàm exitum inuenire: tanta ſuppeditat à me olim ex doctiſſimorum hominum ſcriptis collecta argumentorum vis. Sed hoc tempore ſatis eſſe duxi pauca de multis promere, & adoleſcentibus, ac magiſtris plura requirendi dicendiq; occaſionem dare, & quaſi quoddam calcar admouere ad hoc ipſum. Poteram, & de alijs duabus diſſerere copioſiùs, ni melius ferè iudicâſſem, non omnia ſimul, & vno loco dicere.*

PRO-

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM SEPTIMVM.

## Latina lingua.

*IIDEM.*

AElius. In huius laudatione caput est: quod vniuersas propemodum linguarum omnium laudes in se cohibet. Dulcis est Gallica? dulcior Latina. Virilis est Hispanica? virilior Latina. Tenera quodammodo Italica? tenerior Latina. Grauissima putatur Germanica: numerosa Hebræa? hæc quoq; in Latina cumulatè reperiuntur. Et quia Græcæ partus filia est, quis negabit eam maternis dotatam laudibus? quis hæreditatem pulcherrimam, atque ampliſſimam ipsi relictam ibit inficias? M. Populum Romanum cæteras gentes non modò imperij magnitudine, verùm etiam linguæ suæ propagatione vicisse certum est. Persæ, Medi, Assyrij, Græci latè quidem suos fines protulerunt, attamen cum imperio linguam proferre non potuerunt vt Romani, qui non corporis, sed animi suauissimum quendam conditissimúmque cibum cum innumerabilibus nationibus sibi communem fecerunt. Nec summos, & ampliſſimis in Republica perfunctos honoribus viros puduit huic linguæ commentarijs explicandæ & illustrandæ operam tempúsq; tribuere. Num fuit

quisquam M. Tullio honoratior? Num C. Cæsare potentior? Num Varrone variarum artium scientia eruditior? Num quouis istorum publicis negotijs domi, foris tractandis occupatior? Nihilominus in medijs belli tumultibus, inter armorum fremitus de analogia Cæsar, de lingua latina Varro, vterque ad Ciceronem scripsit. Cicero autem Grammaticum studium in libris suis sæpe indicauit, & Grammatici officio sæpe functus est. Æ. Hæc ad veram sapientiam nos instituit: hac sãctissimæ religionis mysteria custodiuntur: hac per omnia templa Deo Opt. Max. & beatis cælitibus diu noctúque sacra carmina concinuntur: cúmque reliquæ duæ scholarum parietibus includantur, hæc etiam ad cœtus, consultationes, conuiuia, familiaréque congressus admittitur. Quò magis dignũ est miseratione, adeò superiore sæculo neglectam contemptámque iacuisse. Nemo fermè quid esset latinè loqui sciebat, quilibet verborum mõstra, & prodigia inuehebat: quod ita fieri necesse erat, cùm bonos libros ne de nomine quidem quisquam nõsset. M. O sæculum insipiens, & inficetum! Æ. Insigne etiam vulnus latinæ linguæ inflixit quorundam temeritas, qui tam multa ex ea in alias linguas conuerterunt, vt pauciſſimi deinde ad eam discendã mentes appellere voluerint. Quare quod principiò in sacris Bibliorum voluminibus euenit, vnde huius mali factum est initium, vt quisq; putaret se arcana illa capere, atq; inde noua, & horribilia opinionũ inter se pugnantium cõmenta nascerentur: hoc idem in disciplinis literarijs vsuueniet

ali-

aliquando, cùm textor aliquis, aut lanius, cetatius Aristotelem, & Platonem pro sua insciti interpretabitur. M. In Aristotelem tamen, & Platonem peccaretur tolerabiliùs. Æ. Sed absurdè vtrobique: Gratia verò habenda Victorijs, Manutijs, Sigonijs, Lambinis, Muretis, qui tanquam luciferi quidam nostra memoria exorti, quantum in ipsis fuit, sua luce barbarici, caliginem ab oculis nostris discussérunt, scribendique perfectione ad antiquorum præstantiam proximè accesserunt: quorum libri ab omnibus, & Humanitatis, & latinitatis studiosis quàm accuratissimè legendi sunt. M. Quid de me, Lydum prouocas in planiciem.

## ANNOTATIONES.

*QVANTI suam linguam fecerint Romani, multis indicijs potest cognosci. Tiberium narrat Suetonius, cap. 71. quanquam alioqui græco sermone promtum & facilem, non vsquequaque vsum, abstinuisséque maximè in senatu, adeò quidem, vt monopolium nominaturus veniam postulârit, quod sibi verbo peregrino vtendum esset. Et in quodam decreto Patrum cum ἔμβλημα recitaretur, commutandam vocem censuit, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque græcè testimonium interrogatum, nisi latinè respondere vetuit. Eadem Xiphilinus in Tiberio. Vide quid idem Sueton. de Claudio memoret cap. 16. & Cic. de Lucullo ad Atticum lib. 1. ep. 16. Valerius l. 2. cap. 2. Magistratus verò*

*prisci*

*priſci quantoperè ſuam populique Romani maieſtatem retinentes ſe geſſerit: hinc cognoſci poteſt: quòd inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Græcis vnquam niſi latinè reſponſa darent. Et quæ ſequuntur, nolo enim eſſe longior.*

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM OCTAVVM.

## Solutæ, pedeſtriſq; ſcriptionis varietas.

### CONSTANS, APOLLINARIS.

CONSTANS. Dies non ita multi effluxerunt, cùm ce in quodam conuentu literato mira⁀, nec pauca ſanè de exercitatione iactantem, eiúſque laudes plena manu in aſtra tollentem lætus ac lubens audiui: quorum ſumma quædam eſt hæc: Ab ea naturæ vitia emendari, longéque plus diligentia, aſſiduitate, labore, conſuetudine cum mediocri ingenio, quàm ſine his etiam cum ſummo effici: corrumpi enim ingeniorum bonitatem ignauia, atque ſocordia: & cùm negligens etiam facilia non conſequatur, ſtudioſo ac diligenti nihil eſſe difficile⁀. Adducebas quoque Periandri verbum ἤμελέτ πάντα δυνατά, quo ſignificatur, nihil eſſe tam arduum

duum, laborioſum atque magnum, quod cura, induſtria, contentione, ſedulitate non ſuperetur. Hac Ariſtotelem tantum philoſophum, Ciceronem, & Demoſthenem tantos oratores, Archimedem, & Euclidem tantos mathematicos, Virgilium, & Horatium tantos poëtas, Apellem, & Parrhaſium tantos pictores, Phidiam, & Polycletum tam excellentes ſtatuarios euaſiſſe. Commendabas autem nobis ſcriptionis vſum, & exercitationem præſertim, quandoquidem hoc ſæculo, & iſtis hominibus, neque in ſcholis aliud maius quæritur: neque extra ſcholam maiori glorię ducitur, quàm Latina lingua. Hanc nos puram, elegantem, propriam, & copioſam aſſecuturos, ſi quamplurimum ſcribere in animum induceremus: ſtylum enim optimum eſſe, & præſtantiſſimum huius rei effectorem, atque magiſtrum. Et cùm Cicero ipſe, fons latinitatis vberrimus, vnúſque omnium, poſt hominum memoriam, diſertiſſimus, & eloquentiſſimus libro 9. ad Pætum ſcribens de ſe dicat: Ipſa illa, ſi qua fuit in me facultas orationis, niſi me ad has exercitationes, retuliſſem, exaruiſſet: quid de nobis miſeris cogitandum eſt, aiebas, qui tãtos orationis theſauros etiam creberrimis exercitationibus vix aliqua ex parte corradamus? Ego tum illa diſputatione tua ita animatus diſceſſi, vt ſtatuerem, ſimul ac in te rurſus incidiſſem, quærere, quænam quaſi genera putares eſſe ſcriptionis, non ſolutę tantum, verum etiam ligatę, in quibus nos adoleſcentiores verſaremur, qui in vtraque orationis facultate præſtare cuperemus.

Ita

Itaque te valde pro amicitia noſtra rogo, vti me tanquam diſcipulum inſtituas, quæque ſcribenda ſint, monere ne detrectes. A. Quid tibi, quæſo, opera mea in iſtoc negotio opus eſt? lege Aphthonium, lege alios recentiores, qui iſtud argumentum doctè, integríſque voluminibus perſecuti ſunt. C. Tua volo, tuis ego contentus: ne fuge tantillum laborem cauſſa mea. A. Haud expeditum eſt tempore ſatisfacere votis tuis. Sed quoniam finem orandi, vrgendíque non videris eſſe facturus, exponam tibi quæ requiris, vel ex tempore, & breuiter. Nullum eſt periculum, ne quid tibi excidat, quod mihi non profit audiuiſſe. A. Principiò id do conſilium, vt ſcriptites epiſtolas, frequenter quidem ex præceptis, quæ à Rocho Peruſino accuratiſſimè traduntur; aliquando tamen liberas omnino, nullis quaſi vinculis præceptionum alligatas. Nec mihi non placent, qui ſine argumento ſcribunt, & hanc ſolam habent epiſtolæ ſententiam, non habeo quod ſcribam: quales ad ſe mitti epiſtolas ab Attico etiam M. Tullius voluit, & eſt hoc genus inter doctos frequentatum. Solent præterea magiſtri diligentes argumentum, ſiue rem totam epiſtolæ cuiuſpiam docti viri ſumere, Corradi, verbi gratia, Sodaleti, Manutij, Longolij, eámque dictare diſcipulis, poſtea illorum epiſtolas cum his conferentes docent eos quid agere, & quonam modo ſcribere debuiſſent, vt eſſent viris illis non diſſimiles: laudant ſi quid bene, ſi alicubi perſimiles, ſi opera, & labore haud parci fuerunt. C. Iucunda exercitationis

tionis ratio. Est enim suaue per se epistolas facere, quamuis eas nusquam sis missurus, & posterior modus Præceptorem in argumentis inueniendis non mediocriter adiuuat. Dic iam de alio genere. A. Ex Æsopo, aut ex poëtis lepidam fabellam depromas licet, eámque nunc breuissimè, ac simplicissimè, nunc copiosè, cum auctoris commendatione, cum affabulatione, cum interpositis aliorum nominibus, & colloquijs tracta. Item narratiunculas è Theatro vitæ humanę, è Valerio Maximo, & exemplorum libris nouas, antiquas, veras, commentitias, (nihil enim interest) nonnunquam petes, quas similiter aut paucis verbis, sinéque ornamentis, aut pluribus, & ornatioribus, affectibus quoque admistis exponas. C. Quàm vellem hîc mihi tuum exemplum proponeres aliquod: adolescentes enim milites cùm ducum, & imperatorum suorum strenuè facta coràm intuentur, longè perfectiùs bellicam artem, quàm solis præceptis audiendis discunt. Sed video id fieri iam minimè posse. A. Cùm poterit, & hoc, & in alijs quæ recensebo, aut conscribam ipse exempla tibi, aut conscripta iam pridem ostendam. C. Docebis me igitur quæ ipse experiundo cognouisti non vt quidam, qui cæcis volunt præire, cùm ipsi propemodum talpæ sint. A. Exercitationem amaui & complexus sum à pusillo puero, cui maximè debeo si quid sum. Non paruam insuper copiam ad scribendum suppeditabunt apophthegmata, quæ vbi breuiter comprehensa fuerint, argumentis excogitatis aut confirmari, aut refutari, aut laudari,

aut

aut vituperari poterunt. Commendentur item, aut reprehendantur auctores eorundem, similia, & dissimilia adducantur, quibus illa magis illustrentur. Idem statuendum de prouerbijs, & sententijs, siue sacris, siue profanis, quæ etiam παραφραστικῶς dilatabuntur, & tanquam communes loci tractabuntur. C. Tam multi extant sententiarum libelli in vtroque genere, auctorum, inquam, sacrorum, non sacrorum, poëtarum quoque, vt si quando est animus aliquem eorum legere, nesciam quem præ alijs legam. A. Vtilem præstitit studiosis operam Andreas Eborensis Lusitanus, hunc eme. Præterea Stobæum, sententias Ciceronis, gemmas Platonis, flores poëtarum tibi commendo: nec sperno quæ seorsum ex Seneca Neronis magistro, & Plutarcho collectæ sunt. C. Meminero horum. A. Non ad stylum modò exercendum, verùm etiam ad inuentionem, iudiciúmque, ad decori quoque discendam rationem (quod tamen est iudicij) proderit dialogos breues, & varios conficere, materia sæpe ex quauis occasione sumpta, nec non ex poëtis, historicis, oratoribus, quos vel legimus ipsi, vel explicari audimus. In hac ipsa exercitatione non modica inest delectatio, quam tum rerum, tum personarum vicissitudo conciliat. C. Modò ne iubeas me dialecticum, & rhetoricum in ijs artificium obseruare, ac nescio quæ alia, quæ nuper ex commentario quodam in dialogis obseruanda esse cognoui. A. Ille commentarius de dialogis maioribus, grauioribus, & grandioribus loquitur, quos componere de-

debent, qui ad magistrum itare, manúmque ferulæ subijcere iam desierunt. C. Amabò, quid sentis de conuersionibus? éstne vtendum ea exercitatione adolescentibus? A. Non aliter, quàm vt solent in scholis, cùm Præceptor argumentum, vel à se conscriptum, vel ex aliquo Latino Germanicum factum discipulis cõuertendum proponit. Verùm in emendatione accuratum esse conueniet, vt linguæ vtriusque idiotismi, elegantiæque ostendantur, & moneantur pueri, quid sequi, quid vitare, quid meliùs facere debuerint. Qui robustiores sunt in literis, interdum ad conuersionem aliquot paginarum aggrediantur. Laudat hoc genus Cic. 1. de Orat. & habet cùm magnas, tum non paucas vtilitates. Addam hoc appendicis loco. Componenda exempla illustrium figurarum, vt distributionis, subiectionis, frequentationis, similitudinum, comparationum. Aliquid breuiter laudandum, aut reprehendendum: eadem sententia variatis verbis ac figuris efferenda sæpiùs; eadem græcè ac latinè, metro & soluta oratione varianda. Nunc de ligata differam, si attendas. C. Attendo.

## ANNOTATIONES.

SOlutæ pedestrísque) *Tribus potissimùm modis appellatur oratorum oratio. Soluta, non quod pedibus & numeris careat, sed quod ijs tam astricta non sit, vt carmen, Prosa, seu prorsa, quasi profusa. Pedestris, græcè πεζὸς λόγος quod quasi pedicas incedat cùm car-*

*carmen quodammodo equo ferri videatur. Itaq; Horat. historias soluta oratione compositas pedestres vocanit Ode 12. lib. 2.* Post hominum memoriam) *Sic sæpe Cicero. Nec rarò, post homines natos, quæ formulæ ad amplificandum valent. Demosthenes de ementita legat. dixit:* ἀφ' ἧς γεγόνασιν ἄνθρωποι, *ex quo homines esse cœperunt. Lege Victor. c. 12. l. Quod quidam ficloquuntur, ab orbe, à mundo condito, nonest vituperandum. Pro illis autem, nostro tempore, patrum nostrorum tempore, melius dicemus, nostra, patrum, maiorum memoria. Quod Cæsar habet lib. 3. de bell Gall. Nec adhuc hominum memoria repertus est, &c. videtur id velle, quod Germani,* bey Manns gedencken.

# PROGYMNASMA NONAGESIMVM.

## NONVM.

### Poeticæ scriptionis varietas.

*IIDEM.*

APollinaris. Rem quampiam eodem genere carminis bis, ter, quater, diuersis nimirum verbis locutionibúsque, & figuris explicabis. Cernis in Catalectis Virgilianis tam iucunda mirabiliq; varietate, & tot modis auroram, quatuor anni tempora, amnem glacie cõcretum, & alia expressa elegiacs, vt nihil suprà possit esse. Quid si etiam eandem materiam tribus, quatuor carminum formis

mandes

mandes, vt hexametro, elegiaco, iambico? Virgil. in 8. Æneid. Ouid. 9. Metamorph. Ausonius, labores Herculis hexametro complexi sunt: Ouidius rursũ in epistola Deianire elegiaco, Seneca in Hercule furente iambicis eos includit. C. Contuli aliquando istos diuersorum poëtarum versiculos, & poëticę orationis diuitias sum contemplatus. Occurrit tum illud de Archia poëta, quẽ defendit Cicero. Fertur is cum Roscio principe ętatis suę histrionum certare solitus, vtrum ille eandem rem sępiùs variato gestu exprimeret, an hic mutatis verbis per carmẽ efferret. A. Magna eloquentię, & incredibilis fæcunditas, oratoribúsq; cum poëtis communis est. C. Quę adhuc exercitationũ metricarum genera laudas? A. Hoc: solutam orationem, siue dictum elegans & graue, siue historiam, siue fabulam ad carmẽ redigere, poëticáq; libertate vti, & flores, fucos, vbertatem quandam verborum atque rerum adhibere. C. Arbitror contrà etiam fieri posse, vt soluatur carmen, fiátque libera pedibus oratio. A. Potest, maxime. Deinde vnum genus carminis apud auctorem aliquem inuentum, nos mutatis numeris in aliud transferemus, hexametrum in elegiacum, & hoc in phaleucium, & istud in sapphicum: ne ignoremus tamen vniuscuiusque generis suam ac propriã ideam esse. Curabimus præterea, vt nobis versus alieni proponantur, aut ipsimet eos deligemus, quibuscum nostra Musa decertet, vt suprà in epistolis faciendum dicebamus. C. Vellem hac tempestate in scholis vigerent certamina poëtica, vt adolescentes

ſe mutuò non tantùm numero verſuum (nàm id parui duco, breui tempore ſexcentos verſus euomere: & tamen in vſu eſt pæne ſolum.) ſed acumine, lepôre, elegantia, artificio ſuperare contenderent. A. Ego & iſtuc, & alia complura optauerim: ſed pergam vlteriùs. Centonum & parodiarum ſcriptio inprimis iucunda, & frugifera eſt, nóſque apiculas imitari cogit, quæ ex diuerſis floſculis ſuccum ad mel gignendum colligunt. Quomodo centones & parodiæ fiant, cum multis exemplis quidam Gallus docuit. C. Noui librum, & legi. A. Satis erit nos ſeptem, aut octo communiora genera vſurpare, & in illis excellere: illa alia non æquè vulgata, nimium otioſis, & oſtentatoribus relinquantur. C. Quanquam mirificè capior poëtis, & legendis, & audiendis, cupióque ardentiſſimè capiti meo quoque ex Helicone coronam petere, tamen nunquam cogitationem ſuſcepi, quo pacto centum genera verſuum poſſem condere, aut verſibus etiam extemporaneis loqui, quod quidam ſe poſſe gloriati ſunt, & quidem de rebus philoſophicis, theologicis, mathematicis, ídque quocunque tandem genere quis poſtulauiſſet. Res inaudita. Quam rotundos, & venuſtos putabimus illos verſus eſſe potuiſſe? Nec idem lyricus, elegiacus, comicus, heroicus vnà ſimul eſſe deſidero: ſat erit, ſi fecero non malos heroicos, ad quod genus me natura blandiſſimè inuitat. A. Optimum eſt naturam ſequi in hoc ſtudio, quod natura probè ſola conſtat.

ANNO-

## ANNOTATIONES.

CVmroſcio principe ) *Tanta fuit huius actoris excellentia, vt qui in aliqua arte præſtaret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Cic. 1. de Orat. Eundem laudat orat. pro Quintil. Feſtus. Roſcij appellabantur in omnibus perfecti artibus, quod Roſcius quidam perfectus vnus in arte ſua, id eſt, comœdiæ iudicatus ſit. Horat. epiſt. 1. lib. 2. Quæ grauis Æſopus quæ doctus Roſcius egit. Vide & Macrob. lib. 1. cap. 14. Diſputauimus de varijs exercitationum, ſcriptionúmue generibus in duobus antegreſſis progymnaſmatis, & quæ adoleſcentum viribus æqua videbantur attulimus. Nunc robuſtioribus alium magiſtrum, doctiorem, Plinium ſcilicet Secundum dabimus, qui eos varietatem exercitationis tam oratoriæ, quàm poëticæ, admodum eruditè ac diſertè doceat epiſt. 9. lib. 7. quàm ſubſcribemus per capita diſtinctam, quo omnia dilucidiora fiant.*

## C. PLINIVS FVSCO S.

*Quæris quemadmodum in ſeceſſu, quo iamdiu fruëris, putem te ſtudere oportere.*

## EXERCITATIONES ORATORIÆ.

### I. GENVS.

VTILE *inprimis, & multi præcipiunt, vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino vertere in Græ-*

*eum: quo genere exercitationis proprietas, splendórque verborum, copia figurarum, vis explicandi: præterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur: simul quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt: intelligentia ex hoc, & iudicium acquiritur.*

## II. GENVS.

*Nihil obfuerit, quæ legeris hactenus, vt rem argumentúmque teneas, quasi æmulum scribere, lectísque conferre, ac sedulò pensitare, quid tu, quid ille commodiùs. Magna gratulatio si nonnulla: tum magnus pudor, si cuncta ille melius.*

## III. GENVS.

*Licebit interdum, & notissima legere, & certare cum electis. Audax hæc, non tamen improba, quia secreta contentio. Quanquam multos videmus huiusmodi certamina sibi multa cum laude sumpsisse, quosque subsequi satis habebant; dum non desperant, antecessisse.*

## IV. GENVS.

*Poteris, & quæ dixeris, post oblivionem retractare. multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere. Laboriosum istud, & tædio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex integro, & resumere impetum fractum omissúmque. Postremò noua velut membra perfecto corpori intexere, nec tamen priora turbare.*

## V. GENVS.

*Scio*

*Scio nunc tibi esse præcipuum studium orandi. Sed non ideo semper pugnacem hunc, & quasi bellatorium stilum suaserim. Vt enim terræ variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur. Volo interdum aliquem ex historia locum apprehendas.*

## VI. GENVS.

*Volo epistolam diligentius scribas. Nam sæpe in oratione quoque non historia modò, sed propè poëticæ descriptionis necessitas incidit, & pressus sermo purúsque in epistolis petitur.*

## EXERCITATIO POETICA, QVI DICVNTVR LVSVS.

*FAS est, & carmine remitti: non dico continuo, & longo (id enim perfici in otio non potest) sed hoc arguto, & breui, quod aptè quantaslibet occupationes curásque distinguit. Lusus vocantur, sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quàm seria consequuntur: atque adeò (cur enim te ad versus versibus non exborter?)*

*Vt laus est ceræ, mollis cedénsque sequatur*
*Si doctos digitos, iussáque fingat opus,*
*Et nunc informet Martem, castámue Mineruam,*
*Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:*
*Vtque sacri fontes non sola incendia sistunt:*
*Sæpe etiam flores, vernéque prata iuuant:*
*Sic hominum flecti ingenium, ducique per artes*
*Non rigidas docta mobilitate decet.*

*Itaque summi Oratores, summi etiam viri sic se aut*

*exercebant, aut delectabant, immo delectabant, exercebántque. Nam mirum est, vt his opusculis animus intendatur, remittatur. Recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam, vrbanitatem: omnia denique, quæ in vita, atque etiam in foro causisque versantur. Inest his quoque eadem, quæ aliis carminibus vtilitas, quod metri necessitate deuincti soluta oratione lætamur: & quod facilius esse comparatio ostendit, libentiùs scribimus.*

## EPILOGVS, ET PAVCA DE LECTIONE.

*HABES plura etiam fortasse, quàm requirebas. Vnum tamen omisi: non enim dixi quæ legenda arbitrarer: quanquam dixi, cùm dicerem quæ scribenda. Tu memineris sui cuiusque generis auctores diligenter eligere. Aiunt enim multum legendum esse, non multa. Qui sint hi, adeò notum promulgatúmque est, vt demonstratione non egeat: & alioqui tam immodicè epistolam extendi, & dum tibi, quemadmodum studere debeas suadeo, studendi tempus abstulerim. Quin ergo pugillares resumis, & aliquid ex his, vel istud ipsum, quod cœperas, scribis? Vale.*

PRO-

# PROGYMNASMA CENTESIMVM.

## Actio ſcenica.

### CONRADVS, HELISAEVS.

CONradus. Accenditur mihi animus haud mediocriter, Heliſæe, ad perſonam, in theatro agendam, ſiue id in comœdia, in tragœdia, ſiue in dialogo, (nam hoc tertium quoddam dramatis genus noſtri faciunt) non, inquam, paruæ cupido huius rei mihi creſcit in pectore, cum obſeruo ſpectatores vultus atque ora in ludionibus defigere, & non modò primarum, ſecundarum, ac tertiarum partium, ſed in ſuo genere optimum quemque auctorem intueri cõtinẽter, admiraríque maximè, & alios collatis capitibus percunctari, quinam ſit ille, aut ille adoleſcens, cuius filius, quod ei nomen. H. Aut mihi cum hac: tum alijs de cauſſis ſemper iucundum fuit obligari ſacramento huius militiæ. C. Recenſe cauſſas illas, niſi oneroſum eſt, & adde currenti calcar. H. Plerique de ſtudioſis literarum aliena miſericordia liberalitatéque indigent; qui quidem cùm ſuas partes egerint egregiè, & ita ſe populo probauerint, diuitibus ac nobilibus viris ſumptum in ſingulos annos, quo victum tolerent, facilè hac ratione, etiam

non rogantes, consequuntur. Exempla complura commemorauerim, & ex illis egoipse vnus sum, qui quoniam in comœdia, quæ inscribitur Salomon coronatus, puerum Salomonem non malè videbar egisse, illustri & opulento viro annuos aureos quinquaginta in acceptis refero. C. Pro tantilla opera tanta merces? H. Non illi operam, & laborem, sed ingenium, quod sese in huiusmodi comicis actionibus mirabiliter ostendit ac prodit, spectare solent. Videmus præterea parentes admodū desiderare, vt filij doceantur bene gestum agere, moderari manus, vultum, corpus totum, ac vocem etiam inflectere, atque vatiare, & in his omnibus posthabito pudore subrustico liberi esse, nihil metuere. Hoc nusquam commodiùs maioréque cū eorum, & aliorum voluptate fit, quàm in theatro. C. Quàm vera sunt hęc? nam quod mihi mei, hoc alijs perinde suos parentes credo facere. Quærunt sæpe: dabitúrne comœdia? quæ partes mandatæ sunt tibi? Putant, credo, etiā ad suam ipsorum gloriam pertinere, si filij placuerint. H. Et ad gymnasij quoque gloriam vehementer scito interesse: laudatur enim locus, & magister, vbi, & à quo tam præclara indole, tā apti ad res pulcherrimas adolescentes instituantur. Quin nosmetipsos, cōdiscipulos, populum, magistratus, totas ciuitates liberalissima, & honestissima voluptate cumulamus, si nos ex poëtæ sententia gerimus. C. Ac me quoque doctiorem factum sentio, tam multis egregijs sapiētérque scriptis versibus ediscēdis: & memoriam non parum exercui: siquidem trecentos

centos, quingentos aliquando, vt digitos meos, vt nomen meum recitare potui. H. Si fabula quæ, datur, latinè ornatéque composita fuerit, necesse est omnino actores cum eã ediscunt, omnes omnium personas propemodum memoria tenere (quippe quos toties, cum exercẽtur audiunt) in latinitate, & orationis virtutibus nõnihil proficere: atque ad scribendum, loquendúmq; aliquam sibi supellectilem comparare. Augetur adhæc prudentia, & cognitione τῶν ἀρμοττόντων, cum animaduertimus scilicet, in œconomia adhibitum iudicium, & cùm personæ cuiusque eum sermonem audimus, qui ad naturam, ingenium: mores illius καθ' ἕκαστα est appositus. In quo quidem officium poëtæ inprimis consumitur, qui vniuersa in singulis imitari, atq; exprimere debet. C. Cur igitur apud veteres probro dabatur histrioniam facere? H. Si cogitemus qualia priscarum comœdiarum argumenta fuerint, non mirabimur: leuia, litigiosa, nugatoria, impura: quales item versus, spurcidici, vt inquit Pluatus, & immemorabiles. Ibi lenones, meretrices, parasiti, serui callidi, adolescentes asoti. Huiusmodi personas agere honestũ hominem iure pudeat: scurram autem, circulatorẽ malè feriatum ac triobolarem non pudeat. Dramatum nostrorum longè diuersa est ratio, quæ fermè illustres, graues, notas historias, & frequenter è sacris literis petitas continẽt, quo populo & notiores sint, & placeant magis. Quàm autem tales historias, tot annis præsertim, támque distantibus locis gestas rectè deligamus, & quàm e asdẽ materias præceptis

& exem-

& exemplis antiquorum ſeu comicorum, ſeu tragicorum conuenienter tractemus, non eſt meum diſputare, doctioribus relinquo. Cum igitur res ſint honeſtæ, & ſacræ, perſonæ etiam ciuilibus honoratiores, aut ſaltem non viles atque abiectæ, tantum apud nos abeſt vt ſit ignominiæ hiſtrionem profiteri, vt ſit commendationi ac laudi potiùs. C. Illud ſupereſt, vt Roſcios atque Æſopos habeamus, qui nos in hoc artificio, ipſi artifices celebratiſſimi, inſtituant. H. Bene optas. Nulla ars ſine magiſtro diſcitur: quanquam noſter doctor non eſt poſtremus in hac palæſtra.

## ANNOTATIONES.

SI fabula quæ datur ) *Dare fabulam vſitatum eſt Terentio. Sic autem dicitur, data eſt fabula, vt data eſt cœna, datum eſt prandium: Et dari dicitur fabula cùm agitur, ſtare, cùm placet. Hæc Donat. prolog. Hecyr. Cicer. Tuſculan.* 1. *Annis enim ferè CCCCX. poſt Romam conditam Liuius fabulam dedit. Et in Bruto. Minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit. Vtimur etiam verbo docere, vt eodem libro Annis XXX. poſt, quàm eum fabulam docuiſſe, & Atticus ſcribit. In eodem libro. Ennius cùm Thyeſten fabulam docuiſſet, mortem obijt. Sic Horat. ad Piſon. Vel qui prætextas, vel qui docuêre togatas.* Apud veteres probro dabatur ) *Apud Romanos, at non apud Græcos. Itaque Æmilius Probus præfat. docens,*

*non ea-*

*non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari commemoratis aliys: in scenam verò prodire, inquit, & populo esse spectaculo, nemini in iisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur: contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur, &c. Lege Lambin. in eundem locum. Rem ergo histrionicam apud Romanos non alij fermè, quàm serui, & venalitij tractabant, erántque non ita magno in pretio, & honore, Hinc Cicer. pro Quintio de Q. Roscio: Etenim, cùm artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur; tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eò non accedat.* Ibi Lenones, Meretrices) *Quales comœdiarum veterum personæ vt plurimum essent, indicauit Terent. quoque in prolog. Heaut.*

*Ne semper seruos currens, iratus senex,*
*Edax parasitus, sycophanta autem impudens,*
*Auarus leno, assiduè agendi sint mihi.*

*Certè cùm Plautus Captiuos laudet etiam ob hoc, quod ibi non sit meretrix mala, intelligimus nullam pæne sine infamibus illis personis dari solitam. Vnde totam grauitatem, & sanctimoniam dramatum illorum æstimare licet. Addam istuc corollarij loco. Intermedia, quæ hodie vocantur in comœdijs, & tragœdijs. diuerbia scilicet, quibus spectatorum animi actoribus è theatro, post actum finitum digressis, recreantur, à veteribus dicta exodia, & actores ipsos exodiarios,*

*qua de*

*qua de re legendus Turneb. lib. 3. cap. 17. & lib. 10. cap. 27. Addam alia. Primarum partium auctores seu personas in dramatis eas dici posse, quæ plurimum versantur in dramate, seu quarum maior habetur ratio, quas potissimùm respicit fabula, & à quibus plerumq; nomen fabulæ imponitur, vt Hecuba, Orestes, Hippolytus, Andromacha Euripidis, Andria Terentij, Amphitruo Plauti. Ex hoc intelligitur, quæ sint secundarum, aut tertiarum partium. Designator is dicitur, quia loca spectatoribus designat in theatro.*

# EX HIEROCLE, ET PHILAGRIO GRAMMATICO, SCHOLASTICORVM, SIVE LITERIS STVDENTIVM ET ALIORVM RIDICULÈ dictа, & facta.

SCholasticus, siue literatus argentario lucernam faciẽdam locauit. Eo quærente, quantam vellet, respondit, quasi pro octo hominibus. *Si de pane interrogatus sic respondisset pistori, rectè respondisset.*

Scholasticus dum natare tentat, pæne summersus est. Iurauit igitur, non ingressurum de cætero aquas, nî prius bene natare didicisset.

Scholasticus quidam medicum conueniens dixit, medice, quoties de somno surgo, per dimidium horæ adhuc mihi tenebræ sunt, atque ita demum restituor. Tum medicus, serius igitur dimidio horæ expergiscere.

Cum Scholasticus equum venderet, interrogauit quispiam, num πρωτοβόλος esset (*hoc est num primos dentes emitteret, βόλος enim Aristoteli est dentitio*) & illo respondente, δευτεροβόλον esse, quæsiuit ille

ille rursum, quónam modo? Quia, inquit, semel me, semel patrem meum deiecit. *locus est in ambiguo* βόλος, *à* βάλλω, *quod cum* πρῶτος, *&* δεύτερος *iunctum, alium atque alium sensum efficit, Respondens quasi à* βάλλω *pro iacio, interrogans à* βάλλω *pro emitto* πρωτοβόλον *accepit.*

Quidam scholastico obuius factus dixit, domine Scholastice, per somnium te vidi, & compellaui. Tum Scholasticus, per deos, inquit, occupatus non attendi. *Aliter hunc iocum in suo codice legit Anonymus, & ordine inverso, vt ex eius interpretatione apparet, quam subiicio. Scholasticus amico obuiam factus, inquit, in somno te visum allocutus sum. Cui ille, da mihi veniam quod non auscultauerim.*

Scholasticus conspicatus medicum pro consuetudine venientem, cooperuit se ne videretur. Interrogatus à quodam sodali suo, cur id faceret; respondit: diu est quod non ægrotaui, & me coram illo pudet.

Scholastico, cui secta erat vena, præceperat medicus, ne loqueretur, qui famulo mandauit, vt suo loco salutantibus responderet. Deinde ipse quilibet dicebat: ne pro iniuria reputes, si pro me seruus meus te resalutat, medicus enim vetuit me loqui.

Scholasticus volens murem libros eius assiduè arrodentem comprehendere, carnes mandens in tenebris sedebat.

Scholasticus volens asinum suum docere, ne

multum

multum comederet, illi pabulum non apponebat. Moriente autem aſello præ fame, aiebat, magnam feci iacturam: quando enim didicit non multum comedere, tunc extinctus eſt.

Scholaſticus equum vendens, interrogabatur num eſſet timidus: non, per ſalutem patris mei, inquit, nam in ſtabulo ſolus ſtetit.

Scholaſticus volens videre an decorè dormiret, clauſis oculis ſpeculum intuebatur.

Scholaſtico peregrè proficiſcenti amicus dixit, quæſo mercare mihi duòs pueros, ſiue ſeruulos, vtrumque annorum quindecim. Sed ſi non inuenero, inquit ille, duos, mercabor tibi vnum, annos natum triginta.

Scholaſtici duo parricidæ indignabantur inter ſe, & quod patres illorum adhuc viuerent. Altero itaque dicente, viſne igitur vt vterque ſuum præfocet? abſit inquit alter, ne parricidæ audiamus. Sed ſi placet, tu meum, ego tuum occidam.

Scholaſticus cum putaret ſe in ſomnis clauum calcâſſe, pedem circumligauit. Sodalis autem eius cauſſa quæſita, & cognita, iure inquit, fatui vocamur, cur enim non dormimus calceati?

Scholaſticus multis diebus libro requiſito, nec inuento, cum fortè lactucam comederet conuerſus in angulum, vidit ibidem iacere librum. Poſtea amico occurrens lamentanti, vt qui veſtimentorum ornatum amiſiſſet, ne doleas

in-

inquit, ſed lactucas eme, & eas comedens in angulum conuerſus attende oculos, & veſtes inuenies.

Scolaſtico amicus peregrè abſens ſcripſit, vt ſibi libros coëmeret. Is re neglecta reuerſo inquit, miſiſti epiſtolam de libris emendis, quam non accepi.

Scholaſticus viſis ſuper arbore multis paſſeribus, ſenſim ſubiens, veſtis ſinum expandit, & arborem concuſſit quaſi decidentes excepturus.

Quidam in Scolaſticum incidens, ſeruus inquit, quem vendiſti mihi, mortuus eſt. Tum Scholaſticus, per deos, quando mecum erat, tale nihil fecit.

Scholaſtici duo à cœna ſe inuicem domum comitantes, honoris cauſſa illa nocte non dormierunt.

Scholaſticus cum haberet villam multis milliaribus diſtantem, vt eam propinquiorem faceret, ſeptem millia nummûm decreuit.

Scholaſticus ſomnum capere cupiens cum puluinum non haberet, ſeruo mandauit vti amphoram ſupponeret. Quo dicente, nimis duram eſſe, iuſſit eam plumis impleri.

Scholaſticus occurrens amico dixit, audiui te eſſe mortuum. Reſpondit amicus, atqui vides me viure. Et Scholaſticus, at qui mihi hoc narrauit, fide eſt te longè dignior.

Scholaſticus vt primùm apertum eſt balneum, ingreſſus, cum neminem intus inueniſſet, ad pediſ-

ſequum

sequum conuersus insit, nemo hîc lauat, vt video.

Scholasticus cum patre suo litigans, dixit ei, male serue, an non vides, quantum mihi nocueris? Si enim tu natus non esses, ego aui mei hæres essem.

Scholastico canis digitum momordit, tum ille, si vestem, inquit, corripuisset, lacerâsset.

Scholasticus atroci tempestate nauigans, ministris flentibus, nolite flere, inquit, nam ego vos omnes in testamento liberos scripsi.

Scholasticus inquirens, vbinam sibi monumentum, siue sepulchrum conderet, affirmantibus quibusdam hic fore commodum; sed iste locus, inquit est contagiosus.

Scholasticus ægrotans pactus est mercedem medico, si conualescceret. Cum itaque in febri vinum bibentem vxor obiurgaret, an tu, inquit, sanum me ad dandam medico mercedem cogi vis?

Ex gemellis fratribus altero defuncto Scholasticus viuo occurrens, sic eum appellat, túne, an frater tuus obijt?

Scholasticus fluuium traijcere volens, nauim equo insidens conscendit. Percunctante autem quopiam cur id faceret: festino, inquit.

Scholasticus naufragio periturus tabellas postulabat, vt testamentum conderet.

Scholasticus ad cœnam vocatus non edebat. Interrogatus à conuiuis cur non comederet, ne comedendi causa, inquit, adesse existimer.

Scholasticus ad patrem Athenis scribens, & de

progreſſu in ſtudijs glorians, adiecit, opto autem, & te inuenire cum lite, ſeu cauſſa capitali, vt me tibi oratorem oſtendam.

Scholaſtici filius pila ludebat. Lapſa igitur in puteum pila deſpiciens, & ſuum ipſius ſimulacrum videns, pilam ab eo repetebat. Deinde id apud patrem accuſabat, quod ſibi pilam non redderet. Ille in puteum ſimiliter deſpiciens, & ſuam quoque imaginem ibidem intuens, pilam repetebat: paterfamiliâs, inquiens, redde puero ſuam pilam.

Scholaſticus amicum in morbo viſens, de morbo ex eo quærebat. Quo tacente, iratus, ſpero inquit, me quqoue ægrotaturum, nec tibi reſpondebo.

Scholaſticus cum illi quidam narrâſſet, ſe heri gallinam ſaginatam cœnâſſe, ad ſaginatorem accedens, pridianam ſibi gallinam occidi petiuit.

Scholaſticus occurrentium veſtimenta honorabat: Id cum ex quopiam pater eius audiuiſſet, eúmque obiurgaret: reſpondit, à calumniatore perſuaſus es, & fortaſſis nec ab homine. Patre excipiente, ille mihi dixit. Et tu (inquit filius) ei aures das, qui nec quinquaginta drachmarum veſtem habet?

Scholaſticus equum vendebat. Accedente autem quodam, & quantum dentes prodijſſent conſiderante, quid, inquit, dentes eius conſideras: vtinam quemadmodum bene comedit, ita etiam bene ambularet.

Scholaſtici duo ambulabant. Conſpicatus alter ho-

horum gallinam nigram, frater, inquit, fortassis huius gallus est mortuus.

Scholasticus declamator, rogatus vt in mortuos funebres orationes haberet, cuidam adhuc viuo funebrem composuit. Qui cum eum idcirco in ius vocâsset; respondit demens, ne mihi prædixeritis quando morimini. Ego ex tempore dico. Vultis, vt me indecorè geram?

Scholasticus paruo amisso filio, cum cerneret multos ad exequias eius concurrere, dixit erubesco pusillum puerum in tantam turbam efferre.

Scholasticus domum proscribens, lapidem ex ea pro exemplo circumferebat.

Scholasticus audito à quibusdam barbam iam sibi venire, abiens ad portam vrbis, exspectabat ipsam. Causam dum alius quærit, & cognoscit meritò, inquit, stultus æstimaris. Vnde enim scias, an non per aliam portam veniat?

Scholasticus cum patre dorminens, noctu super lectum surgens, vuas desuper suspensas deuorabat. Cum autem illo surgente pater sub olla lumen absconditum repentè protulisset, ille erectus stans, & rhonchos trahens, dormire se simulabat.

Scholastico negotiator renuntiauit, agrum eius à flumine inundatum. Exclamans ille, vim, inquit, & iniuriam flumen nobis facit.

Scholasticus in agrum profectus, pecudes in pascua exire vidit. Quas cum, vt consueuêrant, auidè pabula carpentes aspiceret, caussam quæsiuit. Hîc œconomo per iocum respondente, salutant te

ſalutem meam: mea cauſa, inquit, vacationem ipſis da, & triduo ad paſcua ne educito.

Scholaſticus conſpecta luna percunctatus eſt patrem ſuum, an, & alijs vrbibus tales lunæ eſſent.

Scholaſticus fœnerator cum nauclero deberet, iuſſit eum ſortem recipere, & duas ancillulas, quas octennibus filijs ſuis daret vxores, vt iuſtæ menſuræ auctarium videlicet.

Scholaſticus in agro ſuo profundum cernens puteum, quærebat, num qona eſſet aqua: agricolis autem reſpondentibus bonam eſſe, nam, & parentes eius inde bibiſſe: & quàm longa, inquit, habebant colla, ſi è tam profundo bibere potuerunt?

Scholaſticus in ſcrobem lapſus, frequenter clamabat, & ſibi auxiliarios inuocabat. Vt autem nemo vociferantem audiuit, dixit ad ſemetipſum, fatuus ſum, niſi aſcendens omnes flagello, vt me audiant, & ſcalas apportent.

Scholaſticus cum patre cœnans appoſita lactuca magna, & habente thyrſos folioſos: age pater, inquit, comede tu filios, nos matrem comedemus.

Scholaſticus facetus, ſumptibus egens, libros ſuos vendebat, ſcribénsque ad patrem dicebat; gratulare nobis, iam enim libri nos alunt.

Scholaſticus, & caluus, & tonſor vna iter facientes, & in ſolitudine quadam manentes, pepigerunt, vt quatuor horas viciſſim vigilarent, & vaſa vnuſquiſque cuſtodiret. Cum autem tonſor ſorte ductus vigilare primus deberet, volens laudari, ſcholaſticum dormientem raſit. Et horis tranſactis ex-

ctis expergefecit. Tum Scholaſticus caput fricans, vt à ſomno fieri ſolet, & illud nudum inueniens, malam peſtem tonſori inquit, errans enim pro me caluum excitauit.

Scholaſticus in flumine cymbam frumento onuſtam, & grauatam videns, ſi paulum flumen increuerit, inquit, cymba ſubmergetur.

Scholaſticus ex peregrinatione reuerſus, ſocero occurrens, rogatúſque ab eo, vt condiſcipulus eius valeret: admodum bene nunc, inquit, & læto animo eſt: ſocerum quippe ſuum ſepeliuit.

Scholaſticus mortuo condiſcipulo inuiſit parentes. Lamentante autem patre, dicentéque ſuper exanimem, ad inopiam redegiſti me, matre autem, excœcâſti me, ad vtróſque ſcholaſticus, ſi hæc fecit, inquit, etiam viuum deflere oportebat.

Scholaſticus ægrotans, cum eſuriret, quoniam quartam horam horologium non edebat, non credens, illud ad ſe apportari iuſſit.

Scholaſticus cum filium funere extuliſſet, & poſtea magiſtro eius occurreret, ignoſce, inquit, quod filius in ludum non venit, eſt enim mortuus.

Scholaſtico nauigante, nauis ex tempeſtate in diſcrimen veniebat. Cùm autem vectores de oneribus ad leuandam nauem eijcerent; hortabantur eum vt idem præſtaret. Ille verò chirographum habens centum quinquaginta myriadum, quinquaginta deleuit dixitque, en, quantis nauim leuaui.

Scholaſticus vectoribus tempeſtate iactatis, & plorantibus, quid, inquit, puſillanimes eſtis? Ego

go qui dedi decem drachmas Atticas amplius periculo gubernatoris nauigo.

Scholasticus nauigans percunctabatur gubernatorem: Quota hora esset? Eo respondente, se nescire. Quæsiuit, quamdiu esset, quod nauim gubernaret? Triennium, inquit; Quomodo igitur ego (subijcit Scholasticus) qui ante semestre domum emi, cum in atrium sol descendit, horam conijcio: Tu verò tanto tempore nauim regens, ex ea quota sit hora conijcere non potes?

Scholasticus militibus, cras, inquit, longam inire viam opus erit? Hodie igitur crebriùs sedere.

Scholasticus ex peregrinatione reuertens, & cliuum ascendens, mirabatur, dicebátque, cum prius hac iter facerem, descensus erat, & quomodo tam citò in ascensum mutatus est?

Scholasticus condiscipulos ad cœnam vocauit. Qui, cum caput porci laudâssent, petissentque, vt apud eum etiam postridie cœnarent, adiens ille cocum, appone nobis inquit, de eodem porco caput alterum, nam hesternum perquàm sapuit.

Scholasticus percunctabatur patrem suum, lecythus πεντακότυλος, (quinquaginta heminarum) quantum caperet.

Scholasticus audiens de scalis quibusdam, eas habere in ascensu gradus vicenos, quæsiuit, num etiam in descensu totidem haberent.

Scholasticorum meticulosorum vnus quidam in puteo se abscondit: alter in arundineto. Submittentibus igitur galeam militibus, ad aquam hauriendam,

endam, ratus militem descendere, supplicans comprehensus est. Vt autem dixerunt milites, si tacuisset, prætervituros ipsos fuisse; qui latebat in arundineto. Me igitur, prætervite, inquit, taceo enim.

Scholastico dicebat quidam; Demea, tertius est dies, cum te in somnis vidi. Tum ille, mentiris, ait, in agro enim eram.

---

## EX SCHEDA INTERPRETIS ANONYMI PAVCARVM EX HIS FACETIARVM, XVIX. videlicet, descripta paucula, quibus codex Augustanus carebat.

I. *Scholasticus cum audiuisset eorum vltra ducentos annos viuere, vt periculum faceret, eorum emit, & aluit.*

II. *Scholasticus tempestate oborta nauigans, cum cæteri vectores obuia quæque arma, quibus enatarent, arriperent, ille vnam ex anchoris arripuit.*

III. *Scholasticus vas vinarium, quod habebat obsignauerat. Quod cum famulus subtus perforaret, vinúmque demeret, mirabatur ille, saluis signis vinum imminui. Cui alter quidam, vide, inquit, ne subtus sit ablatum. Tum, ille, inquit, non infrà, sed suprà deficit.*

IV. *Scholasticus empta domo de fenestra despiciens, prætereuntes interrogabat, an se illa deceret.*

## DE PHILOGELO, AVT *Philagrio fortaſſe.*

Auarus teſtamentum condens, ſeipſum hæredem ſcripſit.

Pauper de magnis diuitijs gloriatur, cum planè eſſet inops, fortè ægrotabat. Ad eum viſendum amicus improuiſò ingreſſus, ſuper ſtoream iacentem offendit. Ille pudore ſuffuſus, accuſare medicos, ac dicere: Iſti boni & probati huius ciuitatis medici me in ſtorea iacere iuſſerunt,

Abdera vrbs in duas partes erat diuiſa; Quidam enim verſus orientem, quidam verſus occidentem habitabant. Hoſtibus igitur improuiſò vrbem adortis orientales inter ſe ſic loquebantur. Quid turbamur, cum hoſtes per occidentales partes irruant.

Abderis aſinus latenter gymnaſium ingreſſus. oleum (*quo Palæſtritæ, luctatores corpora perungebant*) effudit. Ciues coëuntes accerſitis omnibus quotquot in vrbe erant aſinis, & vnum in locum coactis, ad ſibi in poſterum cauendum, & ad exemplum ſtatuendum, coram ipſis aſinum illum reum diſſlagellârunt.

Abderites cum ſe vellet ſuſpendere, fracto fune decidens capite grauiter offendit. Emplaſtro igitur ſibi à chirurgo impoſito, abijt, & denuò ſe ſuſpendit.

Abderites eunuchum cum muliere familiarius colloquentem cernens ab alio quæſiuit, num vxor αὐτῆς eius eſſet, Eo reſpondente eunuchum vxorem habere non poſſe. Non igitur, inquit, αὐτῆς eius eſt. *Iocus*

est. *Iocus in pronomine masculino, & simul in ambiguo. Nam eunuchus non tam est αὐτὸς quàm αὐτῆ, quia, vt quidam dixit, eunuchi sunt inter mulieres viri, inter viros mulieres. Terentius loquens de eunucho in comœdia eiusdem nominis, illum mulierem senem, &c. Et cùm videatur iocosus hic confirmare, quod alter dixit, eunuchum non esse aptum ad rem vxoriam, falsè eius, eorum naturam effeminatam, tangit.*

Abderites quendam cursorem, suspensum videns, per Deos, inquit, hic nō iam currit, sed volat.

Abderites peluim aures (ansas) non habentem, vendens, causam dixit esse, ne si se vendi audiret, aufugeret.

Abderites in somnis porculum vendebat, postulabátque pro eo denarios centum. Cum emtor numerâsset quinquaginta, ille nolens accipere, euigilauit, captúsque pœnitudine, & compressis rursum oculis, in speciem dormientis, ac iterum protensa manu dixit: Des igitur saltem quinquaginta.

Abderitæ mortuus est passer. Aliquando igitur pòst conspectostruthio camelo dixit: Si vixisset passer meus, iam tantus esset. *Struthiocamelus auis genus, a passere & camelo appellatum, quasi passer magnitudine camelum æquans, de quo plinius l. 10. c. 1. aliàs struthio.*

Abderites Rhodum profectus, ipso nomine deceptus (*à rosis factum putans*) muros olfaciebat.

Sidonius mercator vuà cum alio iter faciens, cum aluus vrgeret, paululùm hæsit, & retrò remansit. In-

ſit. Interea comes ipſo relicto proceſſit, & in cippo, quo miliaria definiuntur, inſcripſit, feſtina præueni me. Ille vt legit, ſubſcripſit & ipſe, maneamus.

Sidonio cuidam cocus ait: Mutuare mihi gladium vſque Smyrnam. Reſpondit Sidonius: Non habeo gladium, qui Smyrnam vſque pertingat.

Sidonius medicus à patiente ſuo (vt vocant) legatum poſt eius mortem mille drachmarum conſecutus, cum in funus prodiret, de exiguitate legati conquerebatur. Poſtquam igitur à filio de mortui quoque in morbum lapſo ad curationem adhibendam, ac morbum depellendum vocatus eſt, reſpondit, ſi mihi quinquaginta drachmarum millia reliqueris, ego te, vt patrem, curabo.

Homo lepidus videns Grammaticum imperitum docere, accedens ſciſcitabatur, cur non doceret citharam pulſare. Illo reſpondente, quia neſcio. Quomodo, igitur inquit, literas doces, cum neſcias?

Homo feſtiuus animaduertens citharœdum cantu fidium, & voce abſurdum, ſalutans eum, inquit, ſalue galle. Quœrente illo cauſſam, cur ſe ſic appellaret: quia, inquit, quando tu coccyzas, omnes excitantur.

Cumanus amicum quœritans, ante ædes ipſum nominatim euocabat. Alio autem dicente, ὑψηλότερον (hoc eſt, altiùs) clama, vt exaudiat, relicto eius nomine, quod nôrat, clamauit, ὑψηλότερε. *Nam ὑψηλότερον accepit, vt nomen proprium, accuſandi caſu; quaſi moneretur, vt ὑψηλότερον nominaret, quem vocabat, & quidem vero ac proprio nomine.*

Cu-

Cumanus fœneratoris domui insidians, volensque ei maiores vsuras furari, chartulas grauiores deligebat.

Cumanis vrbem cingentibus, vnus ciuium. Lollianus nomine, duo propugnacula suis sumptibus ædificauit. Hostibus postea vrbem adortis, irati Cumani conspirarunt, vt Lollianos muros nemo, præter illum solum defenderet.

Cumanus dum natatu ludit, pluuia decidente, ne compluueretur, in aqua ima se abscondit.

Cumanus fenestras emens, interrogauit, vtrum ad meridiem possent respicere.

Cumanus asino insidens, iuxta hortum vehebatur. Conspiciens igitur ramum ficulneum maturis ficubus grauidum, asino subtercurrente, hæsit. Hortulano autem quærente quid fecisset, cur penderet; ex asino, inquit, decidi.

Cumanus cernens ouem pedibus colligari, atque ita tonderi, ago, inquit, gratias domino meo, quod nunquam me ligauit, ac totondit.

Cumanus interrogatus, vbi maneret Dracontides Rhetor: solus sum, inquit. Sin autem vis, custodi interim officinam; & ego abiens ostendam, vbi habitet.

Cumanus conspecto gladiatore, multis saucio vulneribus, quærebat, vnde haberet. Responsum est, à Myrmece. Quare, inquit, humi dormit? *μήπως etiam formica est, locus in ambiguo insecti, & gladiatoris.*

Cumanus mel vendebat. Cum quidam aduenicns

ueniens id guſtâſſet, dixiſſétque, admodum bonum eſſe; ille ſi enim mus, inquit, in id cecidiſſet, non venderem.

Cumanum ægrotantem viſebat medicus. Qui eum conualuiſſet, declinabat occurrentem medicum. Quæſitus cauſam, reſpondit: cum tu dixeris me moriturum, erubeſco me adhuc viuere.

## DE MOROSIS.

Ad moroſum medicum quidam adiens, dixit: Vir erudite non poſſum recumbere, nec ſtare, nec ſedere. Tum medicus, ſolùm tibi reliquum eſt, ſuſpendi. *Græcè meliùs:* ἀν' ακτῆς ἐ δύναμαι κατεστάναι, ἀλλ' ἐδὶ καθῦδς, κρ' ἰατρὸς. εδὲν σοι λοιπὸν, ἢ ἐρεμαθῆναι.

Moroſus medicus, & vnoculus ægrotum interrogabat, vt haberet. Ille, vt vides. Et medicus, ſi habes, vt ego video, didicium tui mortuum eſt.

Moroſum quendam medicus vbi acceſſit, tacta eius vena, malè febricitas, ait: Et ægrotus ſi tu potes melius febricitare, en lectulus, recuba, & febricita.

Cùm moroſus quidam mellis amphoram emiſſet, & à neſcio quo interrogaretur, quanti emiſſet, euerſa amphora dixit, ita ſanguis meus effundatur, ſi tibi dixero.

Ad ægrotum moroſum veniens medicus, iuſſit fruſtula, ſeu offulas cum paſſere comedere. Tum moroſus, quo pacto caueam poſſum ingredi, vt cũ paſſerculo offulas eo medam.

Moroſum quærebat quiſpiam, qui ait, non ſum hic. Ridente altero ac ſubijciente, mentiris: an ego non au-

non audio vocem tuam; respondit, heus, nequam: si seruus meus dixisset, crederes illi: & ego illo fide dignior tibi non videor?

## DE INEPTIS.

Ineptus Grammaticus interrogatus, qui vocaretur mater Priami, hæsitans ait: nos eam honoris caussa dominam appellamus.

Imperitus tonsores, quibus stigmata fecisset, ijs emplastra imponebat. Reprehensus deinde ab vno: ingratè, inquit, frustra indignaris. Pro vno enim denario tonsus, quatuor denariorum emplastra abijcies.

Timidus venator, quem singulis noctibus vrsus in somnis insequebatur, conductos canes iuxta se dormire fecit.

Timidus pugil, prædium emens, indigenas interrogasiat, num formicas haberet.

*FINIS.*

INDEX-

INDEX

# RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS.

p. principium, m. medium, f. finem paginæ significat.

## A


A, Aduerbij vsus. 157. m.
A Cubiculis, Pedibus, Commentarijs, &c. 195. m. 353. m.
A manu emuus. 136. m.
A primordio ætatis, &c. 5. m.
A prandio, à cœna, &c. 258. f.
A tempore subsecare. 258. p.
Ab asino lanam petere. prou. 236. m.
Aberrare. 24. m. 387. p.
Absentia. 63. p. 246. m.
Abscondere in ventrem. 195. f.
Academia Atheniensis qualis. 297. p.
Academia vsus, & vtilitas. 325. f.
Academici honores. 329. p.
Accidere ad pedes, ritus hius quæ causa. 32. p.
Accipere aliquem. 35. p.
Accipere munerialiquid. 249. m.
Actio latinitatis. 341. m.
Actio scenica, eiusq; vtilitas. 471. p. 473. m.
Actum reddere. 153. m.
Accusationes. 67. p.
Acroama quid 278. m
Acumen Chrysippeum. 110. m.
Adeò, elegans vsus. 80. p.
Adesdum. 35. p.
Ad incitas redigere. 175. p.
Adolescentia prima, adulta. &c. 162. f.
Ad pedes seruus, ad cyathos puer, adbaculum, &c. 195. f.
Ad quem diem, pro, quo die 51. f.


Ad

*Ad Solis radios desiccare.* 154. m
*Adsum coram præsens.* 32. f.
*Aduentus serus in ludum.* 53. m.
*Ad verbum.* 123. f.
*Ad vnguem imitari.* 39. f.
*Ad vnum omnes.* 32. f.
*Aeneas Anchisen patrem ex incendio liberauit.* 144. m.
*Aera quid distent lupinis prouer.* 212. m.
*Aere alieno exire, aut æs conflare.* 119. p.
*Aenea fistula, alij scleporum dicunt.* 233. f.
*Aestatis laudatio, & descriptio.* 195. m.
*Aetas hominum comparatur quatuor partib. anni* 162. p.
*Aetas puerilis variè efferri potest latinè.* 5. m.
*Aetate ineunte, exeunte, &c.* 162. f.
*Aetatem decrepitam attigerunt viri aliqui literati.* 114. m.
*Aetatis humanæ gradus ibi, &* 162.
*Aetatis humanæ vires.* 162. f.
*Affectus quomodo Cicero mouerit & quales.* 456. p.
*Afferre se aliquò.* 15. p.
*Affinis culpæ, reprehensionis.* 248.
*Age si quid agis.* 67. p.
*Aggregare iudicium suum ad alterius sententiam.* 251. f.
*Agitare animum, animos.* 98 m.
*Agitare diem.* 52. m.
*Agitare annum.* 8. m.
*Agitur res, caput, salus, &c.* 66. p.
*Agnus.* 123. f.
*Aine tu pridem? & aine tandem.* 23. p.
*Alacritatem injicere alicui.* 207. p.
*Albo, atro calculo notare.* 213. m.
*Albus ales, pro cygno.* 142. m.
*Alcedonia, pro vacationibus.* 164. m.
*Alexander Magnus de Aristotelis libris editis conquestus.* 252. m.
*Alexandri Magni dictum.* 351. m.
*Alexandri Regis liberalitas.* 25. m. 29. p.
*Alexander Seuerus Ciceronis Officia legis impensè, & lib. de rep.* 440. m.
*Alcibiades magistro iratus calaphum infringit, & cur.* 400. f.
*Alligare se crimine.* 140. m.
*Alloquium, consolatio* 383. p.
*Aliud stans, aliud sedens.* 235. f
*Alterna requies.* 75. m.
*Amabò.* 22. f.
*Ama me.* 54. m.
*Ambitiosi Sisypho comparantur* 157. m.

*Ambulatio ante cibum, cœnam* 198. p.
*Amicus veterrimus, In amicitiam intrare alicuius.* 62. p.
*Amissus, & promissus liber.* 185. f.
*Amœna, angusta viarum, & alia huiusmodi formulæ loquendi.* 82. f. 141. m.
*Amor, & amores pro deliciæ.* 217. m.
*Amor patrius impotens in liberos.* 226. f.
*Amore percussus.* 410. m.
*Amplius horam.* 84 f.
*Anni diuisio.* 162. m. 163. m
*Anni venientes, recedentes.* 9. m.
*Annus post Christum natũ quomodo latinè efferatur.* 181. m.
*Animaduertere.* 223. m. 237. p.
*Animum effundere ad hilaritatem.* 259. f.
*Animum aduertere pro attendere.* 4. m.
*Animus reliquit me.* 181. f.
*Animus redyt.* 27. p.
*Animus intentus.* 173. m.
*Animam amittere.* 277. m.
*Animus, quis vsus verbi.* 270. m.
*Angorẽ capere ob rem aliquam.* 250. f.
*Annosa vulpes haud capitur laqueo.* 83. m.
*Anteuertere aliquẽ.* 69. m.
*Ante alios insignis specie, pulchritudine.* 82. m.
*Ante diẽ 3. Non. & similes modi loquendi.* 166. f.
*Antiquum obtines, morem, ingenium.* 87. m.
*Antiquus homo, pro bono, candido.* 213. m.
*Antiqui mores pro sinceris, candidis.* 250. m.
*Apage.* 58. m.
*Aperire se alicui.* 242. f.
*Apologus de hœdo, & lupo.* 83. p. *vide fabellam.*
*Apollonius Molo Præceptor Ciceronis.* 406. m.
*Approbare.* 146. f.
*Aqua haret.* 290. p.
*Aquam tundere in mortario.* 336. m.
*Arbitrium capere.* 239. f.
*Arbiter quis.* 244. m.
*Archetypon scitum, Prototypon, exemplar.* 41. p.
*Archidami dictum.* 266. f.
*Argumẽta in opera Rhetorica.* 317. f. &c.
*Argutus.* 417. m.

*Armaſpi qui & quales* 148. p.
*Ariſtoteles comparatur cũ Xenocrate.* 107. p.
*Ariſtotelis phyſica ſpinoſa.* 251. *m.*
*Ariſtotelis laus.* 419. *m.*
*Arma ſcholaſtica.* 99 p.
*Ars ſedentaria, ſellularia,* 367. p.
*Artificio ſordido & illiberaliſe alligare.* 128. *f.*
*Articulus temporis, hora.* 279. *f.* 201. *m.*
*Artes inter ſe cõmune vinculum habent.* 387. *f.*
*Artis præcepta neceſſaria.* 415. *m.*
*Armorum nomine quid intelligatur.* 102. p
*Aſcenſus.* 139. *m.*
*Aſſellos iungere equis, celerioribus.* 137 *m.*
*Aſinorum votum.* 112. p.
*Aſinus.* 153. *f.*
*Aſpergere aliquid moleſtiarum.* 10. p.
*Aſpergere aquam, pro conſolari.* 26. *f.*
*Aſſidere alicui.* 58. p.
*Aſſiduitatis laus.* 289. *m.*
*Aſſignare culpam alicui.* 154. *f.*
*Aſtutia puerilis.* 203. *m.*
*Aſymbolos.* 84. *f.*
*Atramenti Epitheta.* 38. *m.*
*Atramenti genera* 103. *f.*
*Attica bellaria.* 414. *m.*
*Attingere rem primoribus labris.* 154. *m.*
*Auctor tibi ſum* 18. *f.*
*Auctor in aliqua arte clarus.* 63. *m.*
*Auctores quomodo legendi.* 407. *f.*
*Aucupium.* 58. *f.*
*Audacia pro virtute.* 207. *f.*
*Audire quã legere præſtat.* 250. *m.*
*Audire pro vocari, nominari.* 307. *f.*
*Auditiones.* 249. *m.*
*Auditor.* ibid.
*Auerruncare.* 259. p.
*Auerruncus Deus.* 261. p.
*Auerſionibus ſtomachi laborare.* 105. p.
*Auferre quidpiam ab aliquo pro impetrare.* 78. p.
*D Auguſtinus de Cic.* 414. *f*
*Aula gymnaſij, ſeu Academiæ deſcriptio.* 298. *f.*
*Aulica vita.* 395. *f.*
*Aureæ compedes.* 380. p.
*Aures vnde dictæ.* 281. *m.*
*Aures tundere.* 113. *m.*
*Auricula infimæ mollior.* 281. *m.*
*Auritũ facere ſe, pro attendere.* 313. *m.*

*Auſtrum percellere.* 33. p.
*Auxiliũ, & conſilium* 187. f.
*Axioma quid.* 333. p.

B.

*Baccalaureus vnde.* 330. m.
*Baro.* 193. f.
*Baſilicæ edictiones quæ.* 268 m.
*Beanus qui.* 330. m.
*Beare aliquem dicto.* 230. f.
*Beatorũ fortunatæ inſulæ.* 96. m.
*Beatitas quomodo acquiratur.* 355. p.
*Bellerophontis literæ.* 232. p.
*Bellè valere.* 249. m.
*Benè manè.* 192. p.
*Benè narras, vbi quid proſperè accidit.* 89. f.
*Benè precandi formulæ veterum.* m.
*Beneficium debere.* 22. f.
*Beneficentia in alios officium.* 196. m.
*Bibliopegus.* 191. p.
*Bibliothecæ deſcriptio.* 290. 291. m.
*Bilem ciere.* 108. f.
*Bile intumeſcere, iraſci.* 242. p.
*Biuium Herculis.* 352. p.
*Blandiri oculis aliquid dicitur.* 145. m.
*Bombarda.* 234. m.
*Bombardarum globuli, glãdes, pilæ plumbeæ.* ibidem. p.
*Bonum factum.* 52. f.
*Brachio leui aliquid agere.* 61. f.
*Brauium.* 207. p.
*Breuitas laudatur.* 424. m.

C.

*Caballus.* 396.
*Cadere.* 34. m.
*Cadere ſermones.* 297. f. 208. p.
*Calites, cæleſtium nomina* 193. m.
*Calum albeſcit, luceſcit.* 9. m.
*Nitet diffuſo lumine.* 159. m.
*Calum pro aere.* 199. m.
*Cœna terreſtris.* 92. p.
*Cenare.* 107. m.
*Cæſaris teſtimonium de Cicer* 407. m.
*C. Furij Creſini induſtria.* 255. f.

*Calami preparatio.* 37. f.
*Calefacere limina ludi.* 207. m.
*Calepino, Nizolio, Dictionariis, Thesauris, Phrasiũ libris quomodo vtendũ.* 189 p.
*Calliditas.* 83. m.
*Canere receptui.* 261. f.
*Canes custodes dominorum & gregis.* 124. p.
*Canes nobiles qui.* 225.
*Canicula.* 158 p.
*Canis sauit in lapidem, prouer.* 81. f.
*Canto opus est.* 27. p.
*Cantus Musicus.* 279. m.
*Capessere spem, opem, consilium.* 154. f.
*Capita conferre.* 24. f.
*Capiti tuo sit.* 276. m.
*Captus somno, mente, &c.* 23. f.
*Caput quassare.* 26. f.
*Caput pro homine.* 36. m.
*Caput à ceruicibus amputare.* 87. f.
*Caries.* 398. f.
*Carmina sunt lętum opus.* 102. f.
*Carminum quanta vis.* 171. m.
*Catechesis Christiana.* 247. p.
*Catones qui dicantur.* 114. p.
*Catonis vtriusque grauitas* 114. p.
*Catulli Epigramma in Cicer.* 435. p.
*Cedere palmam.* 245. m.
*Certamen certare.* 36. f.
*Certiorem facere, pro reddere.* 116. f.
*Certum est, pro constat.* 22. m.
*Certum pro deliberatum.* 160. p.
*Cessare.* 9. f.
*Cessatio.* ibid.
*Charta, eiusdemq. epitheta.* 37. f.
*Charta in membranam cõsuta.* 190. p.
*Chartarum genera.* 100. f.
*Chirurgus.* 146. p.
*Chorda oberrare eadem.* 94. m.
*Chrysippus acutiss. Dialecticus.* 110. m.
*Cimilia quæ dicuntur.* 208. f.
*Cibus eorum qui cupidi literarum.* 107. m.
*Cibum è flamma petere.* 123. m.
*Cicada.* 153. f.
*Cicero versandus, & imitandus.*

tandus. 401. p.
Ciceronis alumnus, & cliens. 402. m.
Cic. eloquentia commendatur. 404. m.
Cic. amor in literas. ibid.
Cic. imitandus in quo. 407.
Cicero ex Gracis eruditionem collegit. ibid.
Ciceronis præceptor Apollonius Molo. 408. m.
Cicer. multa ex Aristotele. 426. m.
Ciceronis mors. 435. f.
Cic. comparatur cũ Demosthene, & alijs. 428. m.
Cicer. philosophia laudatur 437. f.
Cicer. de Deo quid senserit. 439. f.
Cicero vindicatur ab imperitis. 442 m.
Ciuilium nomina functionum. 191. f.
Cynici vnde dicti. 265. m.
Cygni in morte canunt. 281. f.
Chilonis de conuiuijs dictum 105. f.
Clauam Herculi extorquere. 224. m.
Cleanthis de cibo dictum, 107. m.
Cleanthes irrisus ab ingeniosis. 137. m.
Clementia quid sit. 184. f.
Colligere vasa quid. 371. m.
Colloquium in schola. 97. m.
Colluuies. 222. p.
Comburere diem. 260. m.
Commendandi formulæ. 456. p.
Commercari libros. 409. p.
Commodare alicui, variata locutio. 313. p.
Commodare, pro mutuum dare. 373. p.
Compacto ad aliquem venire. 87. p.
Comparatio nominum verborumq; cõiugatio. 177. f.
Compatior. 204. f.
Cõperendinare quid 351. m.
Componere se ad aliorum exemplar. 119 m.
Conceptis verbis iurare. 328. m.
Cõcertatio scriptionis. 241. m
Concertationum scholasticarum formulæ. 239. p.
Conclaue. 113. p. 319. m.
Conditionem latam renunciare. 209 p.
Condolet caput. 32. f.
Condonare erratum. 34. f.
Congiarum quid. 71. m.
Congressio. 563. m.

*Coniectare OEdipo opus est* 394. *m.*
*Conscisere flagitium.* 68. *f.*
*Conscribere corium alicui.* 37. *p.*
*Cõsolatio Ciceronis.* 410 *m.*
*Conterere diem.* 168. *f.*
*Continens biduũ, &c.* 112 *p*
*Contradicere.* 399 *f.*
*Cõtumelias intorquere.* 68. *m.*
*Conualescere, confirmare se.* 63. *p.*
*Conuitium iacere in aliquem.* 58. *p.*
*Conuitio aliquem consectari.* 63. *p.*
*Conuiua.* 105. *f.*
*Copia ludendi.* 83. *p.*
*Cor pro animo.* 448 *p.*
*Cornelij Cethegi eloquentia* 110. *m.*
*Corpus cor, δίμας & σῶμα.* 277. *f.*
*Corycai vnde dicti.* 222. *f.*
*Creator.* 193. *p*
*Crena calami qua.* 40. *p.*
*Cribrum carnificinũ, homo flagris laceratus.* 31. *m.*
*Crimen fabricari.* 24. *m.*
*Critici qui vocati.* 156. *f.*
*Crusta, crustula, crustulari us, crustarius.* 16. *m.*
*Cubitu surgere.* 33. *f.*
*Culpam contrahere.* 97. *f.*
*Cum hasta, cum scuto, prouer.* 34. *m.*
*Cupiditas discendi.* 114. *m.*
*proficiendi.* 319. *p.*
*Curatio vulneris.* 145. *m.*
*Cursuram incipere.* 210. *f.*
*Custodire rem carã.* 146. *m.*

## D.

*Dare iudicium.* 241. *m.*
*Dare aliquid gratia, familiaritati.* 240. *p.* 222. *f.*
*Dare mutuum.* 172. *m.*
*Dare pœnas.* 35. *f.*
*Dare vacuas aures alicui.* 234. *f.*
*Dare verba seni difficile.* 234. *m.*
*Dare vt endum aliquid, pro commodare.* 172. *m.*
*Dat bis, qui citò dat.* 174. *m.*
*Dauus.* 394. *m.*
*De suo se alere.* 152. *m.*
*Deductio pueri ad magistrum.* 1. *m.*
*Dædala tellus.* 159. *f.*
*Deformis.* 253. *m.*
*Deglutire voces.* 235. *m.*
*Dei mater, Deipara.* 183. *p.*
*Delitiæ, pro re iucunda.* 217. *m.*
*Delphicum templum celebratissimum.* 138. *m.*
*De meliore nota commendare.* 200. *m.* 207. *m.*

*Demetrij Phalerei.* 413.f.
*Demosthenis vigilia.* 136. p.
*Demosthenes se subterraneis locis condebat.* 160.m.
*Demosthenes cum Cic. comparatur.* 429. m.
*Depositio, Deponere.* 334.f.
*Depositionis mos vnde profluxit.* 337. m.
*Desperatio.* 244. f.
*Despondere.* 295. m.
*Deus tardus ad pœnas.* 26.m
*Deus laneis pedibus incedit.* ibid.
*Deus auerrucet.* 261. m.
*Deus scientiarum fons.* 375
*Diana montibus innerrat.* 167. m.
*Dicere salutem vltimam.* 209. p.
*Dicta alterna.* 182. f.
*Dicta qua proprio nomine appellantur.* 183. p.
*Dies ortus.* 10. p. 195. m.
*Dies.* 114. m. 136. m.
*Dies remissionis.* 114. m.
*Difficultas nulla est à me.* 115. m.
*Digitum tollere, quid apud veteres.* 278. m.
*Digitorum nomina.* 40. f.
*Dignitatis ciuilis, Ecclesiasticæ nomina.* 193 p.
*Diligentiæ laus.* 291. m.
*Dimissio improuisa.* 50. p.
*Diogenis apophtegma.* 369. f
*Diogenis dictum de formosis mulieribus sed vulgatis.* 84. m.
*Thesaurus quis propriè dicatur.* 207. f.
*Discendi cupid.* 3. m.
*Discendum diutissimè.* 6. m.
*Disceptare.* 207. p.
*Disputatur, Disputatio.* 241 p.
*Dij.* 125. m.
*Diues promissis.* 111. m.
*Diuina virgula.* 40. p.
*Diuis bene iuuantibus, & id genus locutiones.* 10. p.
*Diuitiæ.* 408. m.
*Diuus Cassianus à pueris enecatur.* 82. m.
*Diuus Augustinus.* 227. m.
*Docti noti regibus & principibus.* 378. f.
*Doctor literarum, pro Magistro Grammat.* 4. f.
*Doctori turpe est, cum culpa redarguit ipsum.* 243.
*Doctrina finis, fructus.* 388. p. 377. f.
*Doctrina ornat animum.* 359. m.
*Doctrina medium ad fœlicitatem.* 358. f.
*Doctrinæ constantia.* 377. m
*Doleo.* 205. m.

*Dolor occupat ſinciput* 32. *m*
*Dormitantium habitus.* 53. *m.*
*Dormitator.* 205. *m.*
*Dormire variè effertur* 300 *m.*
*Drama.* 471. *p.*
*Dramata noſtra vt à veteribus diſtinguantur.* 473. *m*
*Ducere claſſem.* 220. *p.*
*familiam.* 17. *m.*
*Ductare aliquem dolis, decipere.*

## E

*Ebriorũ facies ebrioſa.* 182. *m.*
*E conſpectu aliquem fugare.* 152 *f*
*Eccleſiaſtes pro concionatore.* 193. *m.*
*Ecphraſis pura ac dilucida narratio.* 130. *p.*
*Eculeus quid.* 343. *m.*
*Educatio puerilis.* 7. *m* 14. *m*
*Educationis exempla.* 353. *f*
*Effingere aliquem moribus, verbis.* 134. *f.*
*Efflictim amare, vehementer.* 162. *m.*
*Efflictim deperire aliquem.* 294. *m.*
*Effloreſcit vtilitas.* 199. *p.*
*Effundere animum ſe ad hilaritatem.* 259. *f.*
*Elementorum conformatio & conficiendorum ratio.* 41. *p.*
*Elinguare aliquem munuſculis.* 32. *m.*
*Eloquentiæ vis.* 379. *m.*
*Eloquentia Cicer.* 402. *vid. Cic.*
*E malo corno malum ouum, prouerb.* 350. *p.*
*Emblemata & parerga frõtium, libri.* 146. *m.*
*Emẽdatio ſcriptionis.* 115. *f* 122. *p.*
*Emittere in lucem libros.* 170. *m.*
*En vnquam.* 154. *f.*
*Endymionis ſomnus.* 56. *p.*
*Ennij ſomnium.* 14. *m.*
*Ennius poetarum Roman. princeps.* 443.
*Ennius tria corda geſſit, hoc eſt, tribus lingis locutus eſt ibi.*
*Eodem redire.* 184. *f.*
*Ephorus Iſocratis diſcipulus calcaribus indigebat.* 136. *m*
*Epaminondas inſtitutus à Liſide.* 379. *m.*
*Epigrammata Catulli in Cicer.* 432. *p.*
*Epiſtolæ M. Tullij.* 413. *p.*
*Epiſtolæ laus, & epiſtolarum genera.* 413. 414. *m.*
*Epiſtolarũ vtilitas.* 415. *m.*

*Epiſtola ad duo genera re-*
*uocatur.* 451. *m.*
*Epularis accubatio ſermone*
*commendatur velut con-*
*dimento.* 105. *p.*
*Errorẽ eripere alicui.* 242 *f.*
*Eruditionis vtilitas.* 379 *m*
*Eruditionis voluptas.* *ibid.*
*Eruditio liberat à moleſtijs.*
379. *m.*
*Eſſe vnà, pro ſimul edere.*
187. *f.*
*Eſſe in numero aliquo, id eſt,*
*honore.* 253. *f.*
*Eſt quando id facis.* 87 *p.*
*Eſt annus, cũ hoc feci.* 89. *m*
*Eſt mihi benè, malè.* 140. *m.*
*Eſto.* 160. *m.*
*Eſquilla roſa, prouer.* 160 *m*
*Euangelia, pramia lata nũ-*
*ciantis.* 143. *m.*
*Euellere opinionem alicui.*
242. *f.*
*Euntes in ludum.* 18. *m.*
*Euolare de corporum vin-*
*culis.* 272. *f.*
*Euomere in aliquem, quic-*
*quid agrè fuit alicui.* 180
*m.*
*Eurydices ſtudium in di-*
*ſcendo.* 353. *f.*
*Examen.* 246. *f.*
*Exarare corium.* 201. *m.*
*Exardere iracundia.* 69. *f.*
*Exarmare aliquem.* 174. *f.*
*Ex aſſe heredem ſcribere.*
297. *f.*
*Ex bono & æquo diſceptare*
*controuerſiam.* 240. *f.*
*Excandeſcere.* 60. *f.*
*Excellere ingenio.* 405. *f.*
*Excuſatio abſentiæ.* 32. *p.*
*Excuſatio.* 233. *m.* 235. *f.*
*Excutere veternum, rubo-*
*rem, excutere aliquem.*
*Excutere aliam quercum,*
*prouerb.* 174 *f.*
*Exemplum vnius corrum-*
*pit multos.* 235. *f.*
*Exemplum in aliquem fa-*
*cere, edere.* 65. *m.* 69. *f.*
*Exemplum in aliquo prode-*
*re, ſtatuere.* 65. *f.*
*Exemplum ratio eſt vindi-*
*ctæ.* *ibid.*
*Ex ephœbis excedere.* 302.
303. *f.*
*Exercitationes oratoriæ.*
464. *f.*
*Exercitationes literariæ.*
190. *m.* 257. *f.* 161. *m.*
*Exhibere alicui moleſtiam,*
*epiſtolam.* 194. *f.*
*Exigere reddenda.* 179. *m.*
*Eximere ſe periculo alicuius*
*rei.* 64. *p.*
*Exire de poteſtate mentis.*
334 *f.*
*Exire ære alieno.* 149. *m.*
*Exire ſeruitio.* 150. *m.*

*Ex musca elephantem.* 72.p.
*Exonerare se metu.* 21.m.
*Expediẽdi verbi vsus.* 19m.
*Expedire virgas in alicuius pellem.* 110.m.
*Fustes, flagella in asinos pigros.* 225.m.
*Expedire impedita* 189.f.
*Explicando quis ordo seruandus.* 181.m.
*Exprobrare alicui malefi-cium.* 24.m.
*Expuere miseriam ex animo.* 167.m.
*Expurgatio.* 63.m.
*Ex quo.* 72.m.
*Extendere tempus.* 215.m.
*Extingui quis verbi vsus.* 276.f.
*Extorquere aliquid alicui de manibus.* 224.m.
*Extra noxiam esse.* 187.p.
*Extra eos, pro præter.* 31.m.
*Exuere pudorem subrusti-cum.* 134.f.
*Exuere metum.* 207.f.

# F

*Fabella de lupo, & asino.* 84.f.
*de oue & cane.* 124.f.
*de formicis & cicadis* 154m
*de asino & olitore.* 302.m.
*Faber ararius.* 184.f.
*Fabula de vulpe.* 453.m.
*Fabulam dare spectatoribus.* 474.m.
*Facere aliquam rem.* 97.p.
*Facere Deo vota.* 87.m.
*Facere copiam alicuius rei.* 97.f.
*Faciamus esse, fac potuisse & similia.* 206.f.
*Facinus magnum non fit sine periculo.* 93.m.
*Factum muto, nolo, cupio, volo, quid.* 283.m.
*Facultatum petendarũ formulæ.* 265.p.
*Facultas ludendi.* 78.m.
*Fallit me animi.* 146.f.
*Fallaciam intendere.* 464.p.
*Falsiloquus.* 237.f.
*Familiam ducere.* 16.m.
*Familiaritas mutua.* 167.m
*Fenestram aperire ad socordiam.* 155.p.
*Feras transuerberare venabulo.* 167.f.
*Feræ induunt se plagas.* ibid.
*Feriæ literariæ.* 34.p.
*Ferulam volæ impingere.* 109.m.
*Festina lentè.* 74.p.
*Ficus & ficul⁹ fructus.* 16.m
*Fidem interponere suam.* 174.m.
*Figuræ verborum & sentẽtiarum apud Cic.* 434.m.
*Filius albæ gallinæ, carus.* 24.f.

*Filiorum erga parentes amor.* 247. *m.*
*Filiorum bona indoles & mores qui ſint.* 218. *f.*
*Filum orationis.* 128. *m.*
*Fingere alia ōnia quid* 95. *m*
*Flagitium conſciſcere.* 69. *m*
*Flagitiū admittere.* 229. *m.*
*Flere quid propriè.* 28 *m.*
*Flos dicitur in re aliqua præſtantiſſimum.* 194. *m.*
*Flos equitum, nobilitatis, puerorum.* ibid.
*Flos nectaris, orationis quod dam Tullij genus.* 415. *f.*
*Fontes.* 160. *m.*
*Fons bonorum Deus.* 375. *f.*
*Formicæ ſuabilis ineſt, prouerb.* 24. *m.*
*Formicarum prudentia.* 154. *f.*
*Formę elegantis deſcriptio.* 355. *f.*
*Formulæ petendarum facultatum.* 264. *m.*
*Salutandi & valedicendi in congreſſibus & literis.* 314 *m.*
*Foras promittere.* 105. *m.*
*Fortunarum naufragium facere.* 365. *m.*
*à fortuna vulnus accipere* 415. *p.*
*Fortunis ſuis deſperare.* 250 *p.*
*Foruli qui.* 102. *m.*
*Fœminis non licuit Romæ vinum bibere.* 183. *m.*
*Fœtet heſterno mero.* 183. *m*
*Frater geminus.* 16. *m.*
*Fraudem dare.* 59. *m.*
*Fraudi mihi res eſt, pro damno.* ibid.
*Frequentare ſcholas.* 152. *f.*
*Frequentare eidem quod iterare.* 100. *f.*
*Frons pro impudentia.* 34 *m*
*Frugi, frugalis.* 182. *f.*
*Fructum diſcipuli.* 55. *f.*
*Fruſtra eſſe, falli, errare, decipi.* 139. *p.*
*Fruſtra operam conterere.* 153. *m.*
*Fruſtratio petiti atramenti.* 174. *f.*
*Fucum alicui facere.* 212. *f.*
*Fugit meratio, cum aliud diximus, aliud voluimus.* 143 *p.*
*Fumos venditare.* 364. *f.*

## G

*Gallorum periphraſis, vigilantia.* 56. *m.*
*Garrulus, garrire.* 237. *f.*
*Gaza.* 397. *m.*
*Geminum, pro ſimile.* 6. *f.*
*Geſtare aliquem in ſinu.* 259 *p.*
*Geſtire quid ſit.* 141. *m*
*Glandes, globuli qui è bombarda*

*harda emittuntur* 234. *m.*
*Gloriari.* 239. *p.*
*Gloria auidior Cic.* 412. *m.*
*Gloriolæ iactura ad desperationem abuti.* 244. *m.*
*Gossypium quid.* 175. *m.*
*Gracchus educat°, & doctus à matre Cornelia.* 350. *f.*
*Grammaticis.* 131. *m.*
*Grassatores.* 124. *f.*
*Gratia, grata, ingrata, tarda.* 175. *m.*
*Gratiã delicti facere.* 22. *m.*
*Gratiam inire apud aliquẽ.* 41. *m.*
*Gratiam extorquere.* 51. *m.*
*Gratias agere.* 73. *f.*
*Gratiarum horti.* 116. *p.*
*Gratias referre.* 321. *f.*
*Gratificari.* 199. *p.*
*Gratus.* 60. *m.*
*Græcæ linguæ difficultas* 285 *m.*
*Græcæ linguæ necessitas.* 289. *f.*
*Grex commilitonum.* 140. *f*
*Gryphes infesti sunt equis.* 147. *f.*
*in Riphæis montibus quales.* *ibid.*
*mira arte aurum è cuniculis eruunt.* *ibid.*
*Gustatu aliquid experiri.* 184. *m.*
*Gustatus oblectamẽta.* 364. *m.*
*Gustasti vt canis è Nilo.* 374 *m.*
*Gymnasium flagitiorũ.* 65. *f.*
*Gymnasia vndedicantur.* 9. *m.*
*Gymnasij prefectus.* 149 *m.*
*Gymnasij descriptio.* 299. *f.*

# H

*Habeo statutum.* 184. *m.*
*Habeo, non habeo pro more.* 192. *f.*
*Habere se malè.* 64. *p.*
*Halcedones, seu Halcyones. quales aues.* 164. *f.*
*Harpagare.* 202. *f.*
*Harpocratis silẽtium.* 29. *p.*
*Hebes.* 376. *f.*
*Hebræa lingua.* 458. *m.*
*Hercules beluam contudit Lerna.* 146. *m.*
*Herculis ærumnæ.* 158. *f.*
*Hæret aqua.* 209. *p.*
*Heroës. Heroïna.* 196. *f.*
*Historia delectant.* 191 *m.*
*Histrioniã facere apud veteres probro dabatur.* 473. *m.*
*Hodie.* 155. *m.*
*Homo bulla.* 45. *p.*
*Homo strigis exercitus.* 58. *f.*
*Homo indoctus.* 374. *m.*
*Homo argutissimus.* 417 *m.*

*Hora producta.* 214. *m.*
*Hominis propria.* 370. *m.*
*Hominis stupidi epith.* 281. *m.*
*Hominis descriptio.* 371. *p.*
*Homulus, homuncio.* 211. *p.*
*Humanarum literarum duces.* 396. *m.*
*Humanitatis officiū.* 187 *m*
*Humanitatis studia.* 395. *m.*
*Humanitatis significatio triplex.* 387. *m.*
*Honorarium.* 215. *f.*
*Honores Academici.* 331. *p.*
*Honos alit artes.* *ibid.*
*Honores aulici.* 362. *f.*
*Honoratus locus.* 240. *m.*
*Honor merces virtutis* 332 *f*
*Horatij oblectationes.* 170 *m*
*Hyems senescens, prouecta.* 163. *m.*

## I.

*Iam inde ab adolescentulo.* 129. *p.*
*Icari & Dadali fabula.* 311. *m.*
*Ictus piscator sapit, prouerb.* 26. *m.*
*Idola rerum pro imagine seu specie rerum.* 160. *m.*
*Ientare.* 192. *m.*
*Ignem non extingui igni, prouerb.* 80 *m.*
*Iliade lōgiores prouer.* 199. *p.*
*Illudere in aliquem.* 104. *m.*
*Imbrem in cribro portare, prouerb.* 255. *f.*
*Imitari.* 413. *p.*
*Imitationem Cic. cur pauci assequantur.* 443. *p.*
*Imitatio magistri.* 105. *m.*
*Imitandum in Cicer. quid sit.* 403. *m.*
*Impendio magno rem construere.* 396. *f.*
*Imperij amplificandi cupiditas in Alexand.* 79. *m.*
*Imperiū dote vēdere* 305. *f.*
*Implicari, impediri cassibus* 231. *f.*
*Imponere alicui.* 32. *f.*
*Imponere alicui munus, necessitatem, prouinciam.* 117. *m.*
*Imponere plagas.* 223. *m.*
*Importun⁹ flagitator.* 70. *m*
*In album referre.* 2. *m.*
*In cinere scribere, prouerb.* 70. *f.*
*In āgusto mihi res est.* 240 *f*
*In audire quid.* 31. *f.*
*In caput & perniciem tuam sit.* 230. *f.*
*Incita pro egestate.* 175. *m.*
*Incitamentum.* 154. *m.*
*Inclinat annus ad finem.* 199. *m.*
*In conuentu hominum quomodo loquendum.* 346. *m.*

*Incumbere toto pectore in aliquid.* 233 *m.*
*Incutere alicui pugnam.* 410. *m.*
*In Dialecticis, in Rhetoricis, sic veteres loquebantur.* 297. *m.*
*Indoctus.* 374. *m.*
*Indulgentia vacationum.* 112. *m.*
*Indulgentia.* 210. *f.*
*Industria discendi.* 253. *m.*
*Inedia præsens medicamentum.* 62. *f.*
*Inescare.* 375. *m.*
*Inest formicæ suabilis, prouerb.* 24. *f.*
*Inflammare.* 207. *m.*
*Infiniti modi vsus cum accusatiuo.* 36. *p.*
*Ingenium segnitia tepescit.* 183. *m.*
*Ingenioſi laboriosè docent.* 386. *m.*
*Ingenio potiores partes dantur.* 254. *f.*
*Ingerere verbera.* 110 *m.*
*In illis sum, pro inter illos.* 119. *m.*
*In medullis esse.* 220 *m.*
*In mente insculpere, in tabulis mentis inscribere.* 79 *f.*
*In pistrino molere.* 155. *m.*
*In portu nauigare.* 182. *f.*
*In primis, in postremis numerare.* 259. *m.*
*In præsens, præsenti, præsentia.* 202. *m.*
*In rem præsentem venire.* 273. *f.*
*Insanus.* 336. *f.*
*Inscitia.* 233. *m.*
*Insculpere in mente.* 79. *f.*
*Insidijs aliquem excipere.* 124. *f.*
*In sinu, complexu aliquem habere. In amoribus esse.* 216. *m*
*In sinu gestare.* 219 *m.*
*Instaurare vires.* 12. *m.*
*Institutum suum seruare.* 228. *f.*
*Instructus à libris, pecunia.* 313. *m.*
*Instrumentum musicum.* 196. *f.*
*In sua causa nemo est incorruptus arbiter.* 109 *m.*
*Insuere chartas in membranam.* 190. *m.*
*Insuendi libros, quæ ratio & modus.* 190. *m.*
*Insulæ beatorum quæ.* 96. *f.*
*Intempesta nox.* 212. *p.*
*Intendere fallaciam.* 64. *p.*
*Intumescere bile.* 242. *p.*
*Interponere se in aliquam contentionem.* 241. *f.*
*Interrogationes variæ* 183 *f*
*Interuallum est horæ & semis.* 258. *m.*

*Intimis sensibus dolere.* 239 *m.*
*Intra labra, & dentes iacuit.* 306. *m.*
*Intra carceres est reuocãda oratio.* 335. *m.*
*Intrare in amicitiam alicuius.* 25. *p.*
*Inuado res est, id est, in potu.* 139. *m.*
*In vento, aqua, cinere, scribere.* 80. *p.*
*Inuentor Hebraeæ linguæ.* 451. *p.*
*Inuidia, inuidere.* 209. *f.*
*Inuitationes hortorũ.* 252. *m.*
*Inuocatus.* 192. *m.*
*Inurbanus.* 412. *m.*
*Iratus nemo multare debet.* 228 *m.*
*Ira mediocritatem seruare non potest.* *ibid.*
*Irretiri negotio.* 230. *m.*
*Irrisio.* 338 *f.*
*Irrogare alicui pœnam.* 225 *m.*
*Isocratis domus habita officina eloquentiæ.* 137 *m*
*plurimos habuit discipulos.* *ibid.*
*10. minis docebat, id est, 100 aureis.* *ibid.*
*in Theopompo calcaribus vtebatur.* 237. *f.*
*Isocrates Attica Sirẽ.* 285.
*Iudices inferorum qui sunt.* 103 *m.*
*Iudicij extremi dies.* 97 *m.*
*Iudicium hominum falsum in rebus.* 191. *m.*
*Iudicis integritas.* 335. *p.*
*Iulus Æneam secutus non æquis passibus.* 146. *m.*
*Iungere equis asellos.* 138. *m.*
*Iurare cõceptis verbis quid.* 238. *m.*
*Iurisprudentiæ vis.* 378. *f.*
*Iuuenes cur ita dicantur, & quamdiu.* 162. *f.*
*Iuuentus effusa, & prodiga.* 22. *p.*
*Iuuenum curuanda ceruix.* 227. *f.*
*Iuxta vtilissimum, & iucũdiss.* 105. *m.*

## L

*Labor vires delassat.* 112. *m*
*Laboriosus quis.* 288. *m.*
*Lacedæmoniorum disciplina.* 231. *f.*
*Laconum breuitas.* 158. *f.*
*Lamentari quid, & quorum sit.* 82. *m.*
*Lampas clara Reip. accensa est.* 219. *m.*
*Lanei pedes, id est, tardi.* 29. *m.*
*Lararium.* 443. *m*

*Latina lingua vſus laudatur.* 349 *m.*
*Latinè loqui.* 346. *p.* 243. *m.*
*Latinitatis auctores optimi.* 116. *f.*
*Laudare coram in os.* 186. *f.*
*Laudare plenis buccis, pleno ore.* 427. *f.* 421. *f.*
*Laudatio eruditionis.* 373. *f.*
*Laudatione aliquem proſequi.* 236. *f.*
*Laudationis formula.* 427. *p*
*Laureolã in muſtaceis quærere, prouerb.* 264. *f.*
*Laurus quibus debeatur.* 334. *m.*
*Lectio puerorum qualis eſſe debeat.* 16. *m.*
*Lectio ſoliarita veluti ſomnus quidam.* 250. *m.*
*Lenitas ſedat iracundiam,* 84. *m.*
*Leui brachio, molli brachio rem agere, prouerb.* 59. *f.*
*Leonem promittis, murem oſtendis, prouerb.* 270. *f.*
*Lesbium vinum.* 253. *f.*
*Liberi pro vnico filio aut filia.* 220. *m.*
*Liberos ſuſcipere.* 129. *p.*
*Libidinoſi omnium turpiſſimi.* 89. *m.*
*Libri pulchri deſcriptio.* 146. *p.*
*Libri partium nõmina.* 100. *p.*
*Libri impij peſtes animorum.* 136. *f.*
*Libri frõtes, volumen, cornua, vmbilicus.* 148. *m.*
*Libri frons pumicata.* 149. *f*
*Libri de Orat. Cicer. quando ſcripti.* 420. *f.*
*Libri Ciceronis de Inuent.* 419. *m.*
*Librorum loculamẽta, receptacula.* 293. *m.*
*Librorũ mundities.* 325. *m.*
*Libros corrigere, variè effertur.* 397. *p.*
*Licentiam dare pro moderata & honeſta poteſtate.* 77. *f.*
*Licentiatus vnde dicatur.* 334. *m.*
*Lingua mentem anteuertit.* 51. *m.*
*Linguarum trium principũ antiquitas.* 444. *m.*
*Earum encomium.* ibid.
*Literarum vtilitas.* 15. *f.*
*Literarũ candidati amant receſſus.* 169. *f.*
*Litterarum formatio.* 173. *p.*
*Littera Bellerophõtis.* 232. *m*
*Littera Pythagoræ.* 365. *m.*
*Litteras quando Romani amplexi.* 372. *f.*
*Litterarũ faſtidium explicatur.* 356. *f.* 357. *m.*
*Literrarum incõmoda.* 361. *m.*

*Litteræ in rebus aduersis leuamentum.* 383. p.
*Litteris tinctus, infectus.* 383. m.
*Littori concionari, prouerb.* 367. m.
*Litigium.* 209. m.
*Loca deserta amarunt Philosophi.* 169. f.
*Longinqua res.* 237. m.
*Loquendum meditatè.* 349. p
*Loris cooperire aliquẽ.* 78. f.
*Lubentibus omnibus.* 73. m.
*Lucellum.* 24. f.
*Lucianus statuarius.* 130. f.
*Lucilius semel in vita risit.* 358. f.
*Lucerna Aristophanis* 92. f.
*Lucernam olet.* ibid.
*Lucifer agmina stellarum cogit.* 194. m.
*Ludere nucibus, id est, pueriliter agere.* 250. f.
*Ludendi potestas recusata.* 194. m.
*Ludi.* 21. p.
*Ludimagister qualis cum discipulis esse debeat, defensus.* 225. m.
*Ludos aliquẽ facere* .80. m.
*Ludus Grãmaticus* .149. f.
*Ludus ex pacto concessus.* 83. m.
*Luere commissum.* 235. f.
*Lydi° lapis, prouerb* 346. m.
*Lydum prouocare in planitiem, prouerb.* 457. m.

## M.

*Macte, vnde hæc vox emanârit.* 119. f.
*Macenas.* 152 f.
*Madiduſne an ſiccus.* 143. m
*Magiſtri Grammat. Doctores appellantur.* 4. f.
*Magiſter in puniendo qualis debeat eſſe.* 223. f.
*Magiſter vnde dicatur.* 334. f.
*Magiſtrorũ ſceptra.* 229. f.
*Magnificè ſe circumſpicere.* 25. f.
*Maledictio.* 239. f.
*Maleficium in ſe admittere.* 262. m.
*Malo tuo, vetus locutio.* 353. m.
*Manus curita dicta.* 42. f.
*Manus pro figura litterarum.* ibid.
*Mathematica.* 379. p.
*Matrimi.* 368. f.
*Maturrimè.* 195. m.
*Medicus.* 252. p.
*Medicina.* 200. m.
*Meditari.* 169. f.
*Medium digitum oſtendere.* 338. f.
*Medulla.* 110. f.
*Medulla mellis.* 415. f.
*Memoria me fugit.* 62. p.
*Memoria.* 220. p. 134. m.

*Memoria Themistoclis* 236 f
*Mendacio qui confidit, in caducum parietem inclinat.* 231. f.
*Mens pro voluntate & ratione.* 173. m.
*Mensa sine arte beatum facit.* 108. p.
*Mensium ratio apud veteres.* 164. f.
*Mentiri periphrasis.* 311. f.
*Merenda vnde dicta.* 303. p.
*Meretrices à Diogene mulso lethalibus succis temperato comparantur.* 85. m.
*Mero fœtet hesterno.* 183.
*Metempsychosis Pythagoræ.* 141. f.
*Metus.* 22. m. 90. f.
*Militis fuga.* 402. m.
*Miliciadis trophæa.* 279. p.
*Minerual Magistrorum merces.* 11. m.
*Mine.* 232. f.
*Minerua non minus quàm Diana montibus inerrat.* 168. m.
*Minerua ortus.* ibid.
*Ministrare accumbentibus.* 212. m.
*Mithridates.* 22. *linguas per calluit.* 447. f.
*Mittere sanguinem.* 51. m.
*Moderatio vitæ philosophorum.* 107. m.
*Modi infiniti vsus cum Accusatiuo.* 36. m.
*Molar m apud veteres vsus non erat.* 155. m.
*Molestiam alicui aspergere* 104. f.
*Momus Deus.* 182. m.
*Montes Phœbo & Musis dedicati.* 168. m.
*Mori variè effertur.* 278. m.
*Mori ante ipsã mortẽ.* 92. p.
*M. T. Cicero.* 396. f.
*Mortem obire vnde deducta locutio.* 276. m. 277. m.
*Mortuo concionari.* 236 p.
*Mos cuique suus est.* 284. m.
*Mulier meritoria est inferis proxima.* 86. m.
*Muliebris lamẽtatio.* 341. f.
*Mulsa loqui.* 52. f.
*Munditia librorum.* 325. f.
*Muscas præteruolantes horres.* 88. f.
*Musæ mansuetiores.* 156. p.
*Musa vnde dicta.* 382. p.
*Musa Plautina.* 450. m.
*Musica comparatur cum literis.* 380.
*Musica laudatio.* 282. p.
*Musicè canere.* 154. m.
*Musici instrumenti nomina.* 196. m.
*Mussare quid sit.* 82. m.
*Mutare factum, pœnitere.* 282 m.

*Mutuari* 125.p.
*Mutuatio calami.* 172.f.

N

*Nare sine cortice.* 126.m.
*Narras benè, malè, vbi quid triste, vel prosperè accidit* 89.m.
*Narras somnia.* 223.m.
*Natale solum.* 161.m.
*Natalis dies.* 52 f.
*Natalitia dare.* 46.f.
*Natalia Domini.* 64.f.
*Nati pro vno tantùm vsurpatur.* 221.m.
*Natura sibi quisque est amicus.* 98.f.
*Naturæ repugnare, est cum Dijs bellum gerere* 89.p.
*Naufragij periphrasis* 125.p
*Nec latum pedem discedere.* 104.m.
*Necessitudo, necessitas.* 21.m
*Nefastus dies.* 307.f.
*Negotiũ dedere alicui.* 55.m
*Nihil attraxit funis tuus, prouerb.* 206.f.
*Nimium quantum, pro vehementer.* 5.f.
*Nimia omnia nimiũ negotiũ hominibus exhibẽt* 112.f.
*Nimium miris modis mira prodigia.* 153.f.
*Niti contra torrentem, frustra.* 152.m.
*Nomenclator.* 149.f.
*Nomẽclatura.* 194.f. 196.p.
*Nomen tuum cum æternitate coniunges.* 255.f.
*Nomina mensium.* 164.m.
*Nomina dissoluere.* 116.p.
*Nominis proprij indicandi ratio.* 7.f.
*Nomine negligentis, pro causa.* 119.m.
*Non æquum dicis.* 32.m.
*Non, eleganter geminatur.* ibidem. p.
*Non nostrum inter vos tãtas componere lites.* 245.p.
*Non in omni pulchro capite ineſt cerebrum, prouerbium.* 259.f.
*Noſce teipſum.* 139.f.
*Noſtrates Scriptores, Homines.* 119.m.
*Notare punctis.* 239.p.
*Nouiſſimus.* 47.f. 203.m.
*Nouum cum vocibus inauditum, inuſitatum, admirabile coniungitur.* 90.f.
*Nox tranſacta.* 87.m.
*Nox mater eſt cõſilij.* 65.m.
*Noxa quis vocis vſus* 187.m
*Numerare aliquid in bonis.* 140.f.
*Numerare aliquem in amicum.* 222.p. 242.m.
*Numeroſa Oratio Ciceronis* 434.m
*Nutricũ officia ergà infãtes* 226.m.

# O.


Oberrare chorda eadem. 94. m.
Obire scholam. 31. m.
Obligari sacramento militare. 471. f.
Obriepsit mihi hoc imprudẽti. 174. m.
Obsecrandi, & obtestandi formulæ. 15. p. 32. m. 235. f. 125. m.
Obsequi. 64. m.
Obseruator. 162. p.
Obserere pugnis aliquẽ. 71. m.
Obsidet corpus pallor, & macies. 112. m.
Obsonare famem. 197. f.
Obstringere aliquem beneficio. 181. m.
Obtemperare variè effertur 396. f.
Obtrectatores laniys comparantur. 188. m.
Obuium est mihi hoc facere. 262. m.
Occasionẽ opprimere. 79. m.
Occissimus sum. 155. p.
Oculi dolere quibus dicantur. 29. p.
Oculissimus homo, pro, valdè, caro, Plaut. 217. p.
Occultare se ab hominum conspectu. 169. m.
Oculm adiycere. 239. m.
Oculus, ocellus. 340 f.
Odium Vatinianũ. 266. m.
Odorari vafriciem alicuius. 213. m.
Odoratus oblectamẽta. 364. m.
Oedipus. 295. m.
Offendere valetudinẽ. 136m
Officina disciplinarũ. 151. m.
Olet lucernã, hircum. 90. m.
Olet rosas. 222. f.
Olet rus. 243. m.
Oleum perdere. 42. m.
Olei plusquam vini consumere. 90. m.
Oleum flamma esse. 212. m.
Oleum cedrinum. 398. f.
Olim pro futuro. 112. m.
Olympionicæ. 80. p.
Omnia quibus tribuantur. 7. m.
Ominari meliora. 254. m.
Omnes sibi melitus esse malunt quàm alteri. 95. f.
Omne punctum ferre 70. m.
Onerare aliquem pugnis, maledictis, latitia, mendacijs. 71. p.
Opere maximo rogare 374. f
Dare operam. 60. m.
Opificium sordidum. 233. m.
Opinione sua deijci, seu deijcere aliquem. 239. f.
Opinione præcipere. 387. f.

*Oracula canere.* 269. p.
*Ora pagina.* 325.
*Oratio horridula, ieiuna, plena ruris.* 403. p.
*Orationis copia, ſuauitas, &c.* 405. m.
*Oratio lenis ac placida.* 413. m.
*Orationes Cicer. laudantur à Quintiliano.* 426. f.
*Oratio pro Sextio laudatur.* 429. f.
*Oratio optima Cic. quæ longiſſima.* 433. p.
*Oratio triplex, ſoluta, proſa, pedeſtris.* 461. f.
*Orpheus cantu flumina, & ventos moratus.* 171. p.
*Orthographia.* 47. p.
*Ortus diei.* 10. p.
*Os obſtruere alicui.* 228 f.
*Os pro impudentia.* 35. m.
*Otioſi mortuis ſimiles.* 383. m.
*Otium continuatis occupationibus interponendum.* 80. m.
*Otium non debet eſſe otioſum.* 165. m.
*Otium oblectare ſuum re aliqua.* 259. m.
*Ouidius in exilio ſeipſum conſolatus.* 384 f.
*Ouum an extiterit ante gallinam.* 214. m.

## P.

*Padagogi.* 304. f.
*Palæmon arbiter certaturis conſtitutus.* 244. f.
*Palæmō Grammaticus quis fuerit.* ibid.
*Palimpſeſtus.* 178. f.
*Palma cur in certaminibus ſignum victoriæ.* 245. m.
*Palmæ natura.* ibid.
*Palpum alicui obtrudere.* 212. f.
*Paraphraſis quid.* 130. m.
*Parca.* 280 p.
*Parentum in liberos amor nimius.* 223. & 226. f.
*Parentes filios caſtigare debent.* 227. m.
*Quo modo.* 228. m.
*Paria reponere.* 97. m.
*Paruiſſimus.* 39. f.
*Patriæ amor, ēncomiū* 166 f
*Patria nos omnium maximè delectat.* 166. m.
*Peccata diſcipulorum in Gymnaſio quæ.* 57. f.
*Peccatum peccare.* 62. m.
*Pugnam pugnare, &c.* ibid.
*Pecunia ſcholaſticis neceſſaria.* 101. f.
*Pegaſus qualis equus.* 263. m.
*Pegaſides Muſæ.* ibid.
*Penelopes tela.* 75. m.
*Pētiſſimè excutenire in proſpice-*

ſpicere. 210. f.
Penna quæ aptiſſima ad ſcribendum. 38. m.
Penna præparatio. ibid.
Penſum diurnum. 257. f.
Percutere tergum fuſtibus. 154. p.
Peregrinationes ob eruditionem ſuſceptæ. 380. m.
Pericles ab Anaxag. inſtitutus. 378 m.
Perſonam tetricam inducere, deponere. 108. f.
Per tranſennam agere, inſpicere. 59 m.
Petitio luſus. 74. m.
Philoſophia. 378 f.
Philoſophiæ deſcriptio 416. f
Philoſophia quæ ſit perfecta 437. m.
Phœbus cum Muſis. 168. f.
Phryges ſerò ſapiunt. 162. f.
Phrontiſteria quæ, & vnde dicta. 19. m.
Piaculum perpetrare. 87. p.
Piger. 113. m.
Piſcis taciturnus. 261. m.
Piſtrinum, pro loco bonorũ pleno. 156. p.
Platonis in victu temperantia. 107. m.
Plato Xenocratẽ cum Ariſtotele confert. 138. f.
Plato de Ideis. 369. m.
Einſdem peregrinatio. 385. f
Platonis Timæo nihil tenebricoſius. 155. p.
Platonicis numeris nihil obſcurius. 159. m.
Plinij epiſtolæ quales. 167. m
Plus æquo. 232. f.
Plus nimio. 225. m.
Pluteorũ genera quæ 100. m
Poeta. 113. m. 132. f. 143 m.
Poetæ in ſylvas ſecedunt. 168. f.
Poetica facultas. 378. f.
Poeticæ ſcriptionis varietas. 463. m.
Ponamus ita eſſe, dicim⁹ in reb⁹ controuerſis. 206. m.
Porcum ſacrificare. 177. m.
Portenta vnde dicta. 27. m.
Poſt hominum genus natũ. 202. m.
Poſt hominum memoriam. 465. f.
Praxiteles. 389 m.
Præceptor honeſta imperat. 221. f.
Præceptores. 306. p.
Præcepta artis ſunt neceſſaria. 415. m.
Prædictiones malorũ 153. p
Premia.
Præſidiarius. 25 f.
Præſtare culpã, fidem. 96. p.
Præſtigiæ. 212. m.
Præceptoris laus. 251. f.
Pueros caſtigare debet 217. f

*Quo modo.* 228 *m.*
*precari numẽ cæleſte.* 219. *f*
*Premit aduerſarius.* 69. *m.*
*Princeps pro primus.* 27. *m.*
*Principia ſunt perrumpẽda.* 199. *m.*
*Principũ corruptores.* 84 *m.*
*Principum gratia vna.* 365. *m.*
*Principum vitæ.* 381. *m.*
*Profiteri nomen ſuũ.* 109. *m.*
*Progymnaſmata vnde dicantur.* 4. *m.*
*Pro mea parte, pro virili, pro viribus.* 245. *m.*
*Promiſſis manere, ſtare, ſatisfacere.* 200. *m.*
*Promiſſa ſeruare, ſoluere,* 200. *m.*
*Promouere ad diſcendum ictibus.* 218. *f*
*Promus.* 269. *f.*
*Pro more habeo aliquid facere.* 192. *m.*
*Pronunciatum.* 336. *p.*
*Prorogare, producere tempus.* 214 *f.*
*Proſequi aliquem, pro comitari.* 79. *p.*
*Prouinciam alicui imponere.* 221. *m.*
*Peytaneum locus Athenis.* 308. *m.*
*Puer, pueri pro quibus ſumantur.* 75. *p.*
*Pueri muneribus ad diſcendum inuitandi.* 17. *m.*
*Puerilis natura adumbrata.* 88. *m.*
*Pueri vnde dicantur.* 162. *f.*
*Romæ iis vinum interdictũ.* 183. *f.*
*Multãdi verberibus* 223. *m.*
*Cur cædantur.* 229. *m.*
*Pueritia nimis ad delicta propẽſa & lubrica.* 225. *m.*
*Pueri ad diſciplinas quomodo adducendi.* 226. *m.*
*Pugnare variè effertur.* 270. *p.*
*Pugnis onerare, contundere, pectere.* 70. *m.*
*Pulſare campanam, nolam.* 203. *m.*
*Punctis omnium.* 69. *p.*
*Pulueres ſcripturarij* 184 *m*
*Puniendorum peccatorum ratio.* 66. *m.*
*Putamina ouorum.* 184 *m.*
*Pythagoræ metempſichoſis.* 142. *m.*
*Pythagoræ literæ.* 378. *p.*
*Pythagoræ peregrinatio.* 385. *f.*

## Q.

*Quaqua, qualis, qualis.* 96. *f.*
*Quadrimus.* 202. *m.*
*Querimonia.* 214. *f.*
*Quæſitores.* 246. *f.*
*Quæſtionem inter maleficos exer-*

exercere. 150.m.
Quæstuosum opificiũ. 154.p.
Quàm vellem. 158.f.
Quam quisque norit artem in ea se exerceat. 438.p.
Quando pro Quandoquidem. 125.p. 222.f.
Quanquam cum indicandi modo. 316.m.
Quantum est, qui viuũt hominum, pro, quàm multi, seu quotquot. 53.p.
Quotquot ipsos dies: & huiusmodi formulæ loquendi. 89.f.
Qui cum, pro quo cũ. 108.p.
Qui? interrogantis & respondentis vocula eadem repetita. 35.m.
Qui tandem. 188.f.
Quid illi, aut illo factum est, & huiusmodi loquendi formulæ. 61.p.
Quid habes dicere. 31.m.
Quid quod. 250.m.
Quid ita verò. ibid.
Quintilis mẽsis quis. 193.m
Quintilianus Orationes Ciceronis laudat. 427.f.
Quisque sibi est carus. 96.f
Quod, quis vsus huius particulæ. 130.m. 123.p.
Quod bonum, faustum, &c. 7.m.
Quod quis intriuit, hoc illi exedendum est. 151.m.
Quod ad me attinet, barbari, Quantum ad me attinet. 243.m.

## R.

Rami vbertate Baccarum incuruescunt. 160.m.
Ratio. 376.f.
Ratio me fugit, vnde loquẽdi forma sit orta. 143.f.
Rationem subducere. 212.p.
Rationem ducere alicuius. 51.f.
Recipio tibi, me id præstaturum. 191.p.
Recipere se ad libros. 74.f.
Recipere alicuius causam. 129.f.
Recipere se ad frugẽ. 184.m
Recitationes Prælectionum 234.m.
Recreare animum, corpus, 259.f.
Reddere sententiam sententia, verbũ verbo. 127.m.
Reddere latinè de Germanico. 126.m.
Redire & reuerti differunt. 252.m.
Regis oculo nihil magis saginat equum. 220.p.
Rhetorica Cic. 409.p.
Relaxatio. 161.p.
Religiosissimè Deum coler. precibus. 219.m.

*Relinquere aliquem post se longo interuallo.* 405. f.
*Rem acu tangere.* 140. p.
*Remissiones crebras odisse* 112. m.
*Renuntiare conditionem.* 209 p.
*Repulsam passi.* 148. m.
*Repetitiones lectionũ.* 236. f.
*Res mihi in angusto est.* 240. f.
*Res est in vado, in portu nauigat.* 138. m.
*Res cadit vt volum°.* 145. p.
*Res est in acie nouacula.* 185. m.
*Rescire quid propriè significet.* 136. m.
*Respondere.* 437. m.
*Responsio perfacilis, per expedita.* 182. m.
*Respondere votis alicuius cumulatissimè.* 219. f.
*Respub. præmio & pœna continetur.* 158. m.
*Ridere.* 346. p.
*Riphæi montes.* 147. m.
*Rimarum plenus.* 169 p.
*Roscius in sua arte.* 467. p.
*Ruborem incutere alicui.* 239. f.
*Rus olet.* 243. m.
*Rustici hominis epitheta.* 411. f.

S.

*Sacchari species.* 360. m.
*Sacramentũ conceptis verbis dicere.* 238. m.
*Sacramento cõtendere* 415. f.
*Sacrificandus porcus tibi.* 177. m.
*Saltatio Pyrrhica qualis sit* 234. p.
*Saltem. Barbari, ad minus.* 37. p.
*Salutandi formulæ in congressionibus, & litteris.* 12. & seq.
*Salutem dicere.* 158. p.
*Sanctitudo.* 21. m.
*Sapientia non est inclusa tenenda.* 133. f.
*Sapientia à Numine efflagitanda.* 133. f.
*Sapiẽtiæ possessio immortalis.* 169. p.
*Sapientum septem nomina.* 115. m.
*Sapientiæ fructus.* 377. m.
*Saxum voluere.* 157. m.
*Scholæ etymon, & nomen.* 19. f.
*Scholastica arma.* 102. p.
*Sceptrũ Præceptoris, virga* 229. m.
*Scelus quodnam propriè dicatur.* 229. m.
*Scientia vna liberalis alteri commodat.* 380. m.
*Scriptio.* 348. m.

*Scriptionis cõcertatio.* 241. *m.*
*Secundo patre populo, eiusq; vocis vsus.* 36. *p.*
*Secũdum natalem Domini, id est post.* 63. *f.*
*Seipso eruditiorẽ fieri* 152. *p.*
*Senece studia.* 321. *p.* 411. *f.*
*Senectus placida ac lenis.* 114. *m.*
*Senes vnde dicti.* 162. *m.*
*Seni verba dare difficilè.* 235 *m.*
*Senum duo vitia, tenacitas & auaritia.* 21. *p.*
*Sensuum quinque oblectamenta.* 363. *f.* & 364. *p.*
*Sermo castus, incorruptus, natiuus, minimè infuscatus.* 117. *p.*
*Sermo festiuus in conuiuijs.* 105. *p.*
*Sermo in congressibus* 344 *p.*
*Sermo mitis lenis trã.* 414. *m*
*Sermonem miscere.* 68. *p.*
*Sermones serere.* 58. *m.*
*Sermones cadere.* 198. *p.*
*Seruator pro saluatore.* 118. *m.*
*Sextilis mensis.* 163. *m.*
*Sexcenta vtilitates, pro numero ingenti.* 164. *f.*
*Sicus, id est, sobrius.* 143. *m.*
*Sigonij Consolatio confutatur.* 399. *p.*
*Silentiũ, & attentio.* 57 *m.*
*Silentio edisce re.* 67. *f.*
*Similitudo tedium generat.* 118. *p*
*Simplicitas & lenitudo Magistri.* 211. *m.*
*Sirenum scopuli.* 281. *f.*
*Sisyphi saxum.* 157. *m.*
*Sisypho ambitiosi comparãtur.* 157. *f.*
*Socrates oraculo Delphico sapientissimus mortalium.* 385. *m.*
*Socratis Apoph.* 307. *m.*
*Sol dux, & moderator temporum.* 381. *m.*
*Solemne suum tenere.* 8. *p.*
*Solis conuersio.* 375. *m.*
*Solitudo studiorum.* 167. *m.*
*Solutæ pedestrisq; scriptionis varietas.* 463. *f.*
*Somni mancipium.* 53. *m.*
*Somnus in Gymnasio.* 205. *p*
*Somnum excutere.* 55. *m.*
*Somnia fallunt ac terrent.* 87. *m.*
*Somnum inire.* 88. *f.*
*Sono tenuissimo loqui.* 58 *m.*
*Sophocles apis Attica.* 281 *f*
*Sophocles Oedipus.* 379. *m.*
*Sospitator Christus.* 181. *m.*
*Spes, & metus ob certamen scholasticum.* 207. *p.*
*Sponsionem facere.* 56. *p.*
*Studia politioris Humanitatis*

tatis. 374. p.
Studium in syluis ac nemoribus. 167. p.
Suggestio 61. p.

## T.

Tabulæ. 130. f.
Tabulata. 144. f.
Talentum nõ mereã. 340. m
Tangere aliquem, verbo, virgis. 14. m.
Tardè ludum petentes. 21. f.
Telam retexere. 76. p.
Temeraria suspicio. 201. p.
Tempore nihil pretiosius. 135. m.
Temporius ũde deducatur. 179. p.
Tempus anni quibus literis scribatur. 119. m.
Tempus antecapere. 51. m.
Tempus otio transmittere. 154. m.
Teneo te manifestum mendacij. 34. m.
Tene errare? & huiusmodi formulæ loquendi elegantes. 36. m.
Tentare alicuius progressus vel periclitari. 140. p.
Testudineus gradus. 210 f.
Testudo à Ioue propter tarditatem punita. 211. p.
Testudo non sentit culices. 355. p.
Themistoclis memoria 238 f
Eiusdem Apophthegma. ibidem.
Theodosii Iunioris studium. 91. m.
Theopompus Isocratis discipulus. 136. m.
Theorius Balbus quo cibo vtebatur, & exercitio. 198. p.
Thracũ consuetudo. 213. m.
Thucydidis vigiliæ. 379. m.
Timothe⁹ Cononis filius cur dormiens pictus. 113 m.
Timotheus ab Isocrate institutus. 376. f.
Tisiphone. 36. m.
Titus Imper. expressit nummis dictum, Festina lentè 47. m.
Tomentum. 174. f.
Topica Ciceronis. 423. f.
Trabalibus clauis aliquid figere. 75. m.
Tragœdia in nugis. 146. m.
Trahere molestiam ex aliquare. 242. p.
Transennæ quæ dicantur. 59. p.
Transire vitã silẽtio. 226. p.
Tres linguæ prĩcipes. 443. f.
Tristitiæ signa. 352. p.
Triumuirum mun⁹. 156. m.
Tunica intima. 55. f.
Tutela. 303. m.
Typographion. 50. f.

## V.


*Vacationum feriæ.* 159.*m.*
*Vacillare dicuntur versus, litera, memoria.* 20. *m.*
*Vadũ pro securitate.* 138.*m.*
*Valedicendi formulæ.* 315. *& seq.*
*Vale quomodo varietur.* 119. *m.*
*Vatini⁹ quis fuerit.* 265.*m.*
*Vatinij odium.* *ibid.*
*Venationis instrumenta.* 167. *m.*
*Venationes instituere.* 79.*m*
*Veneris sandalia.* 282.*f.*
*Veniam dare delicti, ignoscere.* 76.*m.*
*Venti nuncij crediti fuerũt ad Deos.* 81.*p.*
*Venti mea verba discerpũt* 125.*m.*
*Ventis verba tradere.* 81.*p.*
*Venustus, idem est quod fœlix.* 147.*p.*
*Ver nouũ, adultum, & huiusmodi formulæ.* 163.*p.*
*Verbis tuis meis dicere.* 79*f*
*Verbum verbo exponere.* 180. *m.*
*Versare saltatorium orbẽ.* 213.*p.*
*Vesper quid vehat ferus, nescit.* 45.*m.*
*Vicissitudo in rebus est necessaria.* 74.*f.*
*Victoria amat curã.* 141.*p.*
*Victus Xenocratis, & Platonis moderatus.* 107.*m.*
*Victũ è terra petere.* 123.*m.*
*Videre somnum.* 34.*p.*
*Vigilia Demosthenis, & aliorum.* 91. 320.*p.*
*Vini cados in cella quibus notis veteres notabant.* 200.*m.*
*Vino olim mulieres carebant.* 186. *m.*
*Vinosi.* 86. *m.*
*Vinum Lesbium.* 253.*m.*
*Vinum moderatum acuit ingenium.* 103.*m.*
*Virgatũ, virgatores.* 95.*m.*
*Virgæ.* 94.*m.*
*Virgis cadere variè efferur.* 300.*p.*
*Virgil.* 168.*f.* 155.*m.* 378.*m*
*Virtus in teneris.* 218.*m.*
*Virtus qualis sit.* 45.*f.*
*Virtute qui perit, non interit.* 92.*p.*
*Virum à viro legi.* 267.*m.*
*Visceribꝰ aneis qui sint.* 30.*p*
*Vitæ aulicę descriptio.* 360*p*
*Vitę brevitas ex Virg. & Sen.* 85.*m.*
*Vndeuiginti vnde triginta, &c.* 54.*m.*
*Vndis concionari, proverbium.* 364.*p.*
*Vngues rodere quorũ.* 366.*p*
*Vocare apud veteres absolutè pro-*

*proimuitare.* 106. *m.*
*Voluptas qualis.* 46. *p.*
*Voluptatẽ perpetuus dolor sequitur.* 84. *f.*
*Voluptari in libris. voluptatib.* 112. *f.*
*Vox viua maximè afficit.* 250. *m.*
*Vox Stentorea.* 302. *f.*
*Vsus venit.* 108. *p.*
*Vsus est mihi sic.* 205. *m.*
*Vt qui maximè.* 105. *m.*
*Vtendum dare aliquid* 173. *f.*

## X.

*Xenocrates Aristotele tardior.* 137. *m.*
*Xenocratis frugalitas.* 107. *m.*
*Xenocratis caseolus. ibid.*
*Xenophon Attica Musa.* 281. *f.*

## Z.

*Zonula bullis nitens argenteis.* 216. *m.*
*Zeuxis pictor.* 412 *f.*

FINIS.



1881

T. T. 21

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

TT
I
k
101

Pontii
Progym

IACOBI PONTANI